





PARISETI
ALDI 1552
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
II
49











BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
II
1
49
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874.

Gio. Nencini

1862



IVNIORIS LVDOVICI PARISETI REGIENSIS DE DIVINA IN HOMINEM BENEVOLENTIA, ATQVE BENEFICENTIA

ORATIONES TRES AD VIROS REGIENSES HABITAE.



VENETIIS M. D. LII.

AD IVLIVM III. PONT. MAX. IVNIOR LVDOVICVS PARISETVS REGIENSIS.

NON uisum est conuenire, ut in tam graui opinionum dissidio quæramus alium iudicem, censoremq; orationum, quæ in publicum sint proditurae, quàm te; qui non acri minus iuditio polles, quàm suprema potes authoritate. Cum enim eiusmodi sis, ut siue iudicandi acumen, siue approbandi authoritas perpendatur; inter mortales sis maximus: non sumus arbitrati sine notæ discrimine fieri posse; ut ad alium refferremus de nostris iuditium, atq; censuram, quàm ad te: quo futurum sit approbante; ut nemo præterea ausurus sit in iuditium prouocare. Huc accedit etiam nostrum in te præcipuum studium, nostraq; tuæ dignitatis, & authoritatis singularis obseruantia: qua semper studuimus nihil prætermittere; quo tam dignitas ipsa, quàm authoritas apud quosq; maximè esset illustris, & comprobata: cui, quantum ad nos pertinet, adeo deferendum iudicamus; ut nihil ei prorsus opinemur exemptum, quod diuinis institutis cohæreat, & proficiendi publicæ respondeat rationi. Tibi igitur, quodcunq; id operis est, subijcimus expendendum; ut tua, si mereatur, munias authoritate: sin minus, quodcunq; offenderit, sic

explodas, damnesq́; ; ut nihil interim eius authori iudices imputandum: cuius fuit id consilium, ut prodesset maximè, nullaq́; in re pareret offendiculum: & nisi quæ tibi probarentur, nullius censeret esse habenda momenti.

Vale.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI REGIENSIS DE DIVINA IN HOMINEM BENEVOLENTIA, ATQVE BENEFICENTIA AD VIROS REGIENSES ORATIO PRIMA.

V ELLEM nunc uiri Regienses, ciuesq; mei, uniuersum genus humanum, & omne mortalium genus capax rationis hic, si fieri posset, interesset: & quæ uobis dicturus sum, atq; explicaturus, eo, quod quondã Apostolis, loquẽdi munere mihi concesso, audiret, atq; perciperet. Nimirum confiderem id rei, siue materiæ, de qua animo concepimus agẽdum, sicut omnibus mortaliũ animis usui potest esse, et ad omnes aliqua cum utilitate pertinere: ita non parum fructus parriturũ, nec modicam frugem allaturum. Cur enim summopere non est expetendum; ut qui nos eiusdem speciei communione contingunt; & qui eodem naturæ, atq; rationis consortio nobis coniunguntur; in ueritatis agnitionem deueniant; & in salutis uiam deducantur? cum præsertim possint esse quàm plurimi, quibus si æquè, ac nobis oblata esset occasio ueri cognoscendi, & salutis assequendæ: non solum graue non uideretur uiam Christi, sanctorumq; tot hominum uestigiis tritam inire: sed instar beneficii, locoq; maximi muneris sibi computarent: ut paruo, & propemodum nullo cum labore comparare sibi possent

ingentes felicitatis, æternæq; salutis thesauros, & absolutam, atq; perpetuam uitæ immortalis iucunditatem. Sed cum prouidenti, arcanoq; Dei consilio fiat, atq; permittatur: ut quæ ueritatis agnitio, & quæ salutis æternæ consequendæ oblata nobis est occasio: non æquè plurimis mortalium exhibeatur: qui ueræ religionis ignari, & tenebris uanæ superstitionis inuoluti nihil minus sciunt, quàm quid uerè pertineat ad salutis obtinendæ rationem, & ad uerum, perfectumq; humanæ naturæ finem assequendum: æquanimiter ferre nos oportet, si quod muneris diuinæ gratiæ beneficio, singulariq; Dei benefici liberalitate nobis concessum est, non æquè cæteris mortalium impertiatur. Nostrum sanè fuerit, ut si speciali beneficio à Deo nos inter cæteros mortales affectos esse cõperimus: in eum animorum gratitudine nos ipsos cæteris propensiores præstemus: & peculiaris beneficij uim, conditionemq; agnoscentes non solum perpetuò gratias ei habeamus; sed totis etiam animis, totoq; cordium affectu inseruiamus: & nihil prætermittamus; quod ad eius cultum, honorem, obseruantiam, gratificationem facere possit, atq; pertinere. Alioqui nihil est, quin arbitremur: certoq; credamus nobiscum actum iri peius, & durius, quàm cum Tyrijs, cum Sidonijs, cum Phœnicibus: quibus non tantum notæ, siue culpæ, quantum nobis, possit obijci, atq; adscribi: siue ingratitudinis iuditium agatur, siue incuriæ. Quod quidem ne contingat, summopere nobis elaborandum est: & procurandum summo studio, ne quod beneficij

loco nobis oblatum est, nostra culpa, nostra incuria conuertatur, atq; cedat in maius nostrum detrimentum, pernitiemq; in nostram grauiorem. Ad quod sanè cauendum longè optimam, & summè conducentem rationem eam, ni fallor, esse existimo: cuius explicandæ causa & exponendæ huc conscendi. Quantò enim beneficij ratio, atq; dignitatis magis constiterit, & quantò benefici ipsius largitas, benignitas, charitas maior, uberiorq; apparuerit: tantò eos, quos contingit beneficio esse prosecutos; par est magis affici, maioriq; amore, & cultu erga eum commoueri: quem sui amantissimum, sui studiosissimum omnino deprehenderint, atq; agnouerint. Quis fuerit animi tã agrestis, cordisq; tam horridi, qui cum nouerit se innumeris beneficijs, atque muneribus diuina liberalitate cumulatum; & nihil prætermissum Dei benignitate compererit; quod usui possit esse sibi, & saluti: & quod eximium, singularemq; Dei ipsius amorem in se ostendere ualeat: non ex aduerso aliquatenus in tam promptum largitorem, in tam liberalem exhibitorem, in tam beneuolum, amantemq; patrem gratitudine, cultu, amore, charitate commoueatur? Quòd si quispiam ex uobis fuerit adeo, quod non rear, immitis animi, immanisq; propositi; ut se mea hac dictione nihil commoueri patiatur: & quæ dicturus sum ad excitandos mortalium animos in Dei cultũ, atq; charitatem maximè idonea, sine fructu cedere permittat: is tantò deniq; asperius iuditium sibi experietur; tantoq; grauiorem condemnationem subi

bit: quantò maiorem culpam inde incurrerit; dum se ab eis immotum præstiterit, quæ uel immanissimum quenq;, atq; immitissimum possint alioqui commouere. Quin arbitror eum constitutum iri reum eius peccati, eiusq; culpæ: quæ propter peruicacem maliciam, propositumq; pertinax malè agendi nullam patiatur, nec hic, nec uspiam alibi remissionis, siue ueniæ rationem. Si præsentissimum, potensq; remedium aduersus infirmitatem offeratur: si tantum luminis, atq; splendoris inducatur: ut tenebræ ignorantiæ penitus discussæ, disiectæq; uideri possint: non aspicio, non percipio, quid præterea superesse queat; quod culpam imminuere, quod condemnationem lenire, quod excusationem prætendere ualeat. sola nimirum supererit pertinax malicia, perditumq;, & contumax malè agendi, atq; peccandi propositum: quod tam procul abest, ut ueniam promereatur; ut ueniæ ipsi ex diametro repugnet: & nihil minus admittat, quàm remissionem. Quapropter ciues mei carissimi peto, rogo, obsecro; ne id mei officij, atq; laboris, quod summo meo erga uos amore, præcipua mea in uos charitate suscipio; & quod uestræ utilitatis, uestræq; salutis causa libenter, ac sponte subeo: patiamini non solum irritum, superuacaneumq; cadere, sed in uestræ culpæ atq; condemnationis graue augumentum succedere. Ea est rei, siue negotij, de quo uobiscum acturus sum, conditio: ut non arbitrer solum uos, qui christianæ religionis albo estis ascripti: & quos noui nec moribus immites, nec

rationi rebelles, commotum iri, atq; perſuaſum: ſed etiam opiner quoſq; Thracas immaniſſimos, feriſſimos quoſq; uita, & moribus Scythas poſſe, ſi adſint, ſi me audiant, ſi me dicentem percipiant; ab immanitate auerti, à feritate reuocari, & in ſummi, ueriq́; Dei cultum, honorem, charitatem, conuerti, atque commoueri. Eiuſmodi inquam eſt ea, quam paramus ad dicendum materia: ut nemo, qui ſe hominem eſſe conſentiat, & naturæ humanæ, atque rationis participem ſe non diffiteatur, contenturus ſit; quin ab ea plurimum excitetur, atq; afficiatur. Quamuis putem iam uos animaduertere aliquatenus, & aliqua ex parte ſuſpicari, atq; agnoſcere, quidnam ſit id rei, ſiue materiæ; cui tantum, & uſq; adeo ad commouendos hominum in Deum animos à deferatur: ne tamen interea uobis ulla hæſitandi relinquatur occaſio: & ut planius, atq; certius cognoſcatis, qua de re agendum; & idcirco ad audiendum præbeatis uoſmet deinde promptiores: primum totius dictionis, tractandæq́; rei propoſitionem afferam: deinde dictionem ipſam reiq́; ipſius explicationem aggrediar: quam Deo auſpice, & opitulatore futuram eiusmodi ſpero: ut tandem nec pœniteat uos huc cõueniſſe ad audiendum, nec me laboraſſe ad dicendum. Dicturus igitur ſum de magnis, & egregijs beneficijs; quibus ingens, ſummaq́; Dei bonitas genus humanum affecit. explicaturus ſum mirificam curam, maximum amorem, ſingularem charitatẽ: qua prouidentiſſimi, amantiſſimiq́; Dei benignitas

hominesprosequitur. id sanè materiæ continet in se arduam tam diuinæ, quàm humanæ rei rationẽ: & adeo longam, altamq; seriem habet: ut eam ab origine rerum, atq; mundi repeti sit necesse. Quapropter pro ut multum frugis, atq; utilitatis potest afferre: ita plurimum diligentiæ exigit, & attentionis, tum à nobis, dum dicimus, tum à uobis, dum auditis. Nostri igitur fuerit officij rem quàm distinctissime, & clarissime complecti: & ne rerum multiplicitas, & copiosa exaggeratio tam me in dicendo, quàm uos in audiendo debilitet; ea tantum adducere, & recensere: quæ uisa fuerint intellectu faciliora, & ad rem ipsam magis conducentia: uestrum uerò fuerit, ciues mei, cura, studioq; incumbere diligenti; ne auditus audiendo relanguescat, & animus intelligendo remittatur. Si unquam uos oportuit tum audiendo attentè persistere: tum intelligendo perspicaciter animum aduertere: nunc maximè opus id esse existimetis: ubi de re adeo graui, seria, utili tractatur: ut de grauiori, de utiliori, de magis seria tractatum à quoquam non arbitrer uos hactenus audiuisse. Si unquam à uobis uel priuatim disserendo, sermocinandoq;, uel publicè uerba faciendo impetraui attentionem audiendi, aut promptitudinem percipiendi: nunc me impetrare sinatis obsecro: quoniam mihi hactenus non contigit ulla de re nec publicè, nec priuatim disseruisse, sermonemq; habuisse: quæ maiorem attentionem desideraret: audientiumq; animos promptiores, atq; experrectiores expostula-

ret: & in qua cuperem magis, ut silentium custodiretur, murmurq́; omne, atq; strepitus excluderetur. Sed cum iam uideamini satis præstare, quod mihi à uobis exposcitur: nihil est, quin æquè contendam, adnitarq́; præstare quod uobis sum pollicitus. Rei itaq; explicationem attrectando, altioriq́; paulò indagine generis humani rationem repetendo animaduertimus geminam existendi rationem inueniri: quarum una est, qua significatur, quod per se est, ex seq́; existit, non aliunde, quàm ex se ipso habens existentiam: cuiusmodi est Deus: altera, qua continentur ea, quæ cum ex se non habeãt, ut sint; nec obtineant existentiam, quæ unum sit atq; idem cum eo, quod sunt; à Deo ipso existentiam consequuntur: & quidquid habent, quo existant, ab eo suscipiunt: qui cum sui natura perfectus sit, nec ullius extrariæ rei, atq; substantiæ indigeat; et nihil minus admittat, quàm ut naturæ necessitate adductus agat, atq; operetur: quodcunq; agit, quodcunque efficit, quodcunque creat, sua simplici, atq; insigni bonitate, sua libera, atq; liberali uoluntate agit, efficit, producit. Qui omnem perfectionem in se continebat: qui nulla rerum, atq; substantiarum creatione indigebat: qui ad producendum, atq; creandum tot rerum genera, tot animantium species nulla necessitate agebatur, nulla naturæ ui impellebatur: ultronea uoluntate, munificaq́; bonitate adductus ex sinu, siue gremio suæ inexhaustæ perfectionis, atq; essentiæ effudit largiter: quod satis foret in rerum

substantiarumq; omnium naturam creandam, atq; producendam. omnibus quidem Deus sua sponte, bonitateq; sua contulit, ut essent. hac tamen in re uaria ratione, uarioq; tenore usus est: quando quidem non nulla ita esse uoluit, ut uita omnino carerent; alia, ut uegetatione uiuerent; alia, ut sensu prædita essent; alia, ut ratione pollerent; alia, ut corpus haberent; alia, ut spiritu constarent; alia, ut perirent; alia, ut immortalitate potirentur. Et si pro rerum uaria substantiarumq; natura, & conditione uariam existendi rationem licet animaduertere: & si uarias rerum, atq; substantiarum species patescit ex Deo consecutas uarios differentesq; existendi modos: ut quibusdam contingat nobiliori esse modo, quibusdã uero ignobiliori: tamen in omni rerum genere, omniq; substantiarum cõditione nõ licebit reperiri quidquam, quod adeo ignobili modo sit, ut si fieri posset, non foret attestaturum Dei in se beneficium, & non esset fassurum, se Deo ualdè esse obstrictum, à quo haberet, quòd esset, quòdq; existeret. Eiusmodi enim est existendi uis: ut si uel uitam in se non contineat, aut id uitæ genus in se comprehendat, quod miserijs circunsideatur, & quod malis, atq; molestijs refertum sit: nihilominus boni rationem retineat, & non possit non arguere eius bonitatem, eiusq; beneficentiam, à quo sit, à quo'ue procedat. Si per poeticam prosopopœiam detur his columnis, detur huic rudi lapidum materiæ, ut loqui, & discernere possint: non ambigendum, quin sint as=

ſerturæ Dei in ſe beneficentiam, & non ſolum relaturæ, quòd ſint, quòd'ue exiſtant, acceptum diuinæ bonitati; ſed etiam plurima cum gratitudine ſint prædicaturæ Dei in ſe benignitatem, Dei in ſe munificentiam. Si eadem poetices licentia æquè concedamus herbis, arboribus, pecudum generi, brutisq́; animantibus loqui, & agnoſcere, ſe ſe non ſolum, quòd ſint, ſed etiam quòd motum habeant, quòd ſenſu polleant, quòd uita potiantur, Dei munere, Dei benignitate habere: quas gratias arbitremur agendas ab eis Deo, quam prædicationem diuini in ſe beneficij faciendam, quod teſtimonium beneficentiæ in ſe diuinæ præſtādum, perhibēdumq́;? Sed genus hominum, quod inter cætera animantia præclariſſimam, atq; nobiliſſimam exiſtentiæ uim, conditionemq́; Dei benignitate conſecutum eſt; & peculiari rationis, atq; intellectus beneficio, ac munere affectum eſt: quo obligationis nexu obſtrictum, qua animi gratitudine addictum, qua amoris, atq; charitatis propenſione affectum ſe præſtare debet erga eum: à quo tantum beneficij ſit cōſecutum; à quo tantum doni, atque muneris habuerit; & cuius deniq; tantum amorem, tantam beneuolentiam, tantam charitatem in ſe expertum fuerit, atq; deprehenderit? ingratus ſanè nimium, atq; impudens homo fuerit, ſi, quod ſignum gratitudinis in Deum editurum, ſi daretur poteſtas, creditur quodcunq; inanimis naturæ eſt, & quodcunq; ſenſili, aut brutali uita eſt præditum: ipſe prætermittat, qui rationis, atq; intellectus munere donatus

est: quorum causa reliquis tantum præstat, atq; eminet, quantum diuina humanis, & immortalia mortalibus antecellunt. Profectò si comparemus animata inanimatis, rationalia brutis; & in uno quoq; genere Dei munus, Deiq; beneficium perpendamus: tantum accepti meriti ratione ea inter se comperientur differre: ut uix ulla proportionis ratio excogitari possit. Vnde si infinito propemodum interuallo animata inanimatis antecedunt, & brutis rationalia: & si, prout unum quodq; contingit antecedere, ita beneficij à Deo suscepti maiorem cumulum præsefert: quis unquam satis explicare, satis comprehendere, satis imaginari queat, quantum diuinæ bonitati obstringatur homo; quantum Dei in se meritis obligetur; quantum, si uel minima ex parte respondere uelit, teneatur instare præstando obsequio, exhibendo honori, procurando cultui eius: & quantum in eo demerendo, gratificando, amando studere debeat, atq; incumbere.

Si totius naturæ à Deo creatæ rationem diligenter excutiamus: comperiemus sanè quidquid uitæ, quidquid naturæ generi unicuiq;, aut speciei distinctè, et separatim concessum est, id omne in una hominis conditione Dei munere, atque beneficentia conuenire: & quidquid per totam propemodũ rerum, atque animantum naturam diffusum, diseminatumq; est: in una hominis ipsius specie, siue natura ita contineri: ut nec inscitè, nec incongruè senserint, quicunque eum microcosmon appellarint. Nam quòd sit, existatq; respectu corporis ex

materia elementari compositi, id commune habet cum id genus mistis. quæ philosophi uocant imperfecta. Quòd huiusmodi corpore sit præditus, quòd crescat, quòd augeatur, quòd moueatur, cum plantis, cum arboribus, cum genere rerum uegetatiuo conuenit. Quatenus sensu uiget, appetitu tangitur, corporea uoluptate afficitur: habet, continetq; quidquid brutis animantibus, irrationaliq; uiuentium generi proprium est, & naturale. Dum ratione pollet, & præstat intellectu, quoddam cum genere Angelico consortium, quandam cum substantijs spiritalibus, intelligentijsq; cœlestibus habet communionem. O' præclaram, & speciosam hominis naturam: o' admirandam naturæ humanæ conditionem. Scitè admodum profectò, & ueraciter ille priscorũ Theologorum princeps Trismegistus Mercurius hominem appellauit ingens, & stupendum naturæ miraculum: in quo cum corporeum incorporeo, & mortali immortale coniunctum sit: & cum totius creatæ naturæ uis, ratioq; participata comperiatur: quis unquam satis queat eius compactionem, quis satis eius dignitatem naturæ, atque præstantiam ualeat explicare? Existimatote hic paulum ciues mei, quo honore afficere, qua animi propensione colere, quo amore, & qua charitate prosequi eum nos deceat, atque oporteat: qui nostrum genus in rerum natura condidit tanta cum dignitate, tanta cum præstantia. Considerato te, quantum par sit, atque decens, nos debere eius bonitati, eius beneficentiæ, qui in nostro genere

condendo nihil rei prætermisit: quo naturæ nostræ ratio præclarior effici posset, atque locupletior: & qui in conditura rerum, mundiq; tantam significationem præcipui in nostrum genus affectus, & charitatis prodidit: ut qui diligenter uelit animaduertere: non possit non facere, quin admirando obstupescat, & considerando confundatur. O' propensum in creatione hominis Dei studium. ò admirandam erga genus humanum diuinæ uoluntatis affectionem. Postquam cœlum, sidera, plantas, animantia produxit Deus: hominem postremò, cuius causa tanquam finis cætera omnia condiderat, formaturus protulit. Hominem faciamus ad imaginem, similitudinemq; nostram. Cur hominem Deus conditurus, ut in reliquis producendis, non dixit fiat homo? cur diuinus uir ille Hebræus, cui Dei spiritu suggerente, atque dictante, huiusmodi rerum creatio explicata est, & prodita memoriæ, non æquè scriptum reliquit: Deus creauit hominem: sicuti scriptum reliquerat, creauit Deus cœlum, & terram? O' arcanum sensum, ò mysterium non absquè ope diuina explicandum. An non satis per imaginis: similitudinisq; significatum uidebatur exprimi, demonstrariq; Dei cum homine consortium, atque coniunctionem: nisi ex ipsa uerborum conceptione, loquendiq; forma, siue modo aliquid præterea accederet: unde præcipua Dei erga hominem uoluntas, affectio, charitas argueretur, atque constaret. Cum cætera rerum corpora, reliquasq; animalium species ita Deus produxisset, ut in eis relinqueret

queret quandam impreſſionem, quæ cuiuſdam inſtar eſſet ueſtigij: quod aliquo modo cauſam in effectu referret, atque repræſentaret: in condendo homine ſingulari quadam uſus eſt beneficentia: cui non impreſſionem tantum ueſtigij, ſed intellectus, animæq; rationalis munere imaginis afformationem contulit. Imaginem ſuam Deus in homine ita uoluit eſſe impreſſam: ut non eiuſdem naturæ rationem haberet in homine, quam haberet in filio: qui cum patris ipſius ſit perfecta imago, eiuſdem cum patre naturæ eſt: ſed ut contineret, atq; præſeferret in ſe naturæ diuinæ, ſpecie tenus ſimilitudinem: quæ eatenus refertur, atque repræſentatur: quatenus ratione exiſtentiæ, ratione uitæ, ratione intellectus Deum homo exprimit, & ui rationalis animæ imitatur. Sed quò clarius, atque apertius agnoſcatis ciues: quid Dei imago homini impreſſa differat ab imagine, quæ Dei patris eſt in filio; id exempli accipite: & exiſtimate Dei imaginem ita propemodum in filio eſſe, ſicut accidit Regis alicuius imaginem in filio exiſtere: & ueluti eiuſdem Regis imaginem contingit eſſe in æs, aut in lapide exciſam, ita in homine Dei ipſius impresſam eſſe imaginem. Verum homo ui rationalis animæ non ſolum imaginem naturæ diuinæ refert, ſed etiam diuinam trinitatem, diuinarumq; perſonarum triplicitatem repræſentat. Quatenus enim homo eſt, patris imaginem repræſentat. quatenus ſe nouit eſſe, imaginem filij refert. quatenus autem ſuam eſſentiam, ſuæq; eſſentiæ cognitionem amat, ſancti

ſpiritus præſefert imaginem. Cum cogitatione polleat homo, cum cogitando uerbum concipiatur: cum tam ex cogitatione, quàm ex uerbi conceptione quidam mutuus amor, atque affectus prodeat, atque exultet: nullus non uidere poteſt imaginem trinitatis diuinæ in rationali hominis natura repræſentari. Cum mens hominis, cui omnis diuinæ imaginis repræſentatio innititur, natura complectatur, memoriam, iutelligentiam, uoluntatem: cumq; memoria ita intelligentiam, & uoluntatem contineat: ut tamen tam ab intelligentia, quàm à uoluntate ipſa contineatur: cumq; uoluntas, atque intelligentia ita ſeſe uiciſſim reſpiciant: ut non ſolum ſingulæ ſingulas comprehendant, ſed etiam à ſingulis omnes comprehendantur: nemo, qui modò nouerit ſub una Dei ſubſtantia, ſiue eſſentia tres perſonas contineri: quarum ſingulæ ita reliquas reſpiciant: ut nulla ex eis ſit quæ reliquas eſſentiæ ipſius ratione non complectatur: animaduertere non poterit imaginem diuinæ trinitatis ita in hominem aperte cadere, ut nullo pacto, ſiue modo poſſit inficiari. Hinc iam conſtare poteſt non ab re, nec immerito ueracem, fidelemq; Dei interpretem Moſen Hebræum: cum uellet ſignificare imaginem Dei homini impreſſam tam reſpectu trium diuinarum perſonarum, quàm unius diuinæ naturæ, induxiſſe Deum in condendo homine dicentem, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Sed cum iam ſatis arbitrer eſſe dictum de imagine Dei in homine: ſupereſt, ut æque de ſimi

litudine loquamur: quæ cum eodem ſub complexu uerborum concludatur, non minus quàm imago, oſtendenda eſt continere tam trinitatis, quàm naturæ unius diuinæ repræſentationem: ſed priuſquam id tentemus; ne rei, de qua agatur, uis, ſignificatioq́; non ſatis cognita totam intelligendi rationem perturbet: diligenter ſcrutari oportet, quid interſit inter imaginem, de qua meminimus, & ſimilitudinem, de qua dicendum propoſuimus. Circunſcripta igitur omni, ſi fas modo eſt, aliorum, quos uiderim, interpretatione, ſimilitudinem ab imagine ſic differre opinamur, ut imago, ſeruata eius, cui adeſt, ſpecie, ſiue forma, perdi nequeat, aut aboleri: ſimilitudo uerò quandam rei qualitatem ſignificans perdi poſſit, & abeſſe à re, rei ipſius natura, atque ſpecie ſuperante. Quapropter hominem, cum conditus eſt, exiſtimo ſimilitudinem Dei reſpectu naturæ diuinæ adeptum, quatenus perpetuo poterat uitam agere; quatenus nihil habebat, unde pateretur, atque doleret omnis expers tam corporis, quàm animi ægritudinis, atque morbi; & quatenus denique felicitate, atque beatitudine potiebatur ſumma in tranquilitate conſtitutus, & rerum omnium copia cumulatus. Dum uerò in res omnes, animantesq́; uniuerſas dominationem, atque imperium conſecutus eſt, & poteſtatem obtinuit non ſolum reliquis dominandi, ſed ſe ipſum etiam moderandi: ſimilitudinem quandam uidetur habere cum patre, cui poteſtas omnis attributa eſt, & dominatio. Sed dum intelligendi exactam per-

ſpicaciam, rerumq; omnium ſcientiam, atque co-
gnitionem habuit: & diuina gratia ita affectus eſt:
ut in nullis percipiendis, atque cognoſcendis falli
poſſet, aut decipi: ſimilitudinis cuiuſdam cum filio
communem rationem tenuiſſe cenſendus eſt. Spiri-
tus ſancti ſimilitudinem præſeferre inde poterat ui-
deri, quod cum rectitudine uoluntatis ita conditus
eſt, ut procliuis in omne boni genus arbitrij foret:
& tam integra bonitate, atque iuſtitia polleret: ut
Deo ratio ipſa penitus ſubijceretur, rationi iuferio
res, ſiue ſenſiles animæ partes parerent: animæ ue
rò ipſi corpus inſeruiret, atque obtemperaret.
O` beatam, atque diuinam hominis conditionem.
O` mirificam Dei in hominem beneficentiam. Non
ſolum Deus hominem multiplici, uariaq; natura-
lium bonorum copia ornauit, atque dotauit, ſed
etiam ex fonte ſue diuinæ gratiæ hauriens ei contu
lit: ut præter omnem naturæ rationem nihil dole-
ret, nihil perturbationis ſentiret, nihil læſionis aut
corruptionis pateretur. Condidit enim Deus ita ho-
minem, ut niſi peccaret, peccandoq; gratiæ diuinæ
beneficio ſemetipſum ſpoliaret: poſſet ullo ſine do-
lore corporis, ulla ſine perturbatione animi uiuere,
& ſe ab omni pernicie illæſum, ab omniq; mortis,
atq; corruptionis diſcrimine liberum cuſtodire. Ea
erat in rerum ac animantum genere uis, atque di
ſpoſitio: ut cum iuſſu, atque uoluntate diuina
omnia producta eſſent, quo hominis utilitati, &
commodo inſeruirent: nihil ei noxium, nihil perni
tioſum, nihil mortiferum omnino afferre poſſent.

Pro ea enim lege naturæ, ordinisq́; ratione, qua Deum omnia respiciunt. Deoq́; ipso authore aguntur: fieri non poterat: ut quandiu homo ratione Deo se subderet, Deiq́; uoluntati cohæreret: aliquid sibi noxium experiretur, aut perniciosum ex illis: quæ naturæ ui nihil possent, quod aut Deo dissideret, aut à diuinæ legis ordine semel rebus in dito deuiaret. Sicut Dei beneficio consecutus erat homo, ut nihil extrarium sibi noxium, aut rebelle haberet: ita obtinuerat: ut proprios sensus peculiaresq́; sensuum motus ea moderatione, eo temperamento sese habentes experiretur, ut nihil repugnantiæ, nihil rebellionis molirentur aduersus ipsam rationem. Quàm putatis ciues fuisse tunc hominis felicitatem: qui tum ratione animi, tum corporis causa ea indemnitate, ea sospitate, ea incolumitate erat: ut nihil sibi aliunde sentiret, aut formidaret damni, atq; incommodi: nec in se quidquam haberèt, quod uel animo perturbationem, atq; solicitudinem, uel corpori detrimentum afferret. Amæno enim, ut sacra testatur scriptura, ac delitioso in loco homo collocatus à Deo, ea tranquilitate, & pace animi fruebatur; ea corporis sospitate, & prosperitate potiebatur: ut nihil sibi deesse iucunditatis, nihil sibi deficere uoluptatis, atq; delectationis experiretur. Inter cæteras eo loco consitas arbores arbor aderat uitæ: quæ felici fructuum ubertate, & copia germinans. atq; nitescens homini sufficiebat abunde: quo uiueret, & quo cibatus, atq; ex atiatus animi cum corpore societatem, atq; coniun

ctionem perpetuò custodire, & immortalitati suæ optimè posset consulere. O speciosam, & potentem arborem. O diuinos, & salutares arboris fructus: qui cum tantum uirtutis, & efficatiæ in se haberent, ut decerpentem, comedentemq́; hominem perpetua in uita, perenni in fœlicitate, continua tam animi, quàm corporis in sospitate, & incolumitate posset custodire, tueri, conseruare: nihil est, quin existimari ea debeat, aut uim, utrtutemq́; diuinam in se continuisse, aut potius diuinæ ipsius uirtutis symbolum extitisse. Constitutus igitur homo ea in loci salubri amænitate, & uitalis arboris suauibus fructibus uescens Deum uidebat, non sub ænigmate, neq; in rudi, atq; obscuro rerum corporaliũ, atq; sensilium speculo, sed in lucida, & perspicua rerum, atq; affectuum relatione: Dei, & Angelorum præsentia fruebatur: Deum ipsum loquentẽ audiebat: Deiq́; ipsius monitis atq; sermonibus instituebatur. Cum enim tot, tantisq́; beneficijs in hominem collatis necdum Deus existimaret suæ bonitati esse satisfactum: & cũ iam cogitaret post aliquot temporum spacia de felici huiusmodi uitæ statu ad alium longè feliciorem, longeq́; prestantiorem uiuendi statum transferre hominem: ne interea ipse homo sibi deesset, aut sua aliqua culpa, atque incuria occasionem felicioris uitæ consequendæ amitteret: interpellauit eum, enixeq́; admonuit: ut in fide consisteret: & quem felicitatis statum semel adeptus esset, studiose custodiret: quousque ratio temporis, suæq́; prouiden-

tiæ examen exigeret: ut transferretur ad longe beatiorem uiuendi conditionem: à qua nullo pacto, atque modo deinde posset excidere. Quapropter ei interdixit, ne quid ex arbore cognitionis boni, & mali degustaret: mãdauitq́;, aut ab eius arboris fructu comedendo caueret omnino: nisi uellet nõ solũ ab eius felicitatis, qua frueretur, conditione cadere, sed etiam occasione priuari multò maioris, multoq́; pfectioris felicitatis, facta deniq; translatione assequẽdæ: cumq́; inibi non solum arbor uitæ esset, cuius fructu abundè posset uti ad tuendã felicitatẽ, atq; immortalitatem, sed etiam complures aliæ arbores: de quarum fructibus sibi cibum parare posset, qui plurimo foret usui: solummodo manus abstineret: seseq́; prorsus cõtineret ab eius arboris fructu; cuius degustatio non solum eius felicitatem perdere, sed etiam mortem, corporisq́; corruptionẽ posset afferre. Præterea consideraret, admonuit, nullam fore rationem uel felicitatis, quam adeptus esset, tuendæ: uel societatis animæ cum corpore conseruãdæ: reliquorumq́; bonorũ, quæ gratiæ suæ beneficio esset cõsecutus, retinendorum: nisi suis pareret mãdatis: & nisi toto uoluntatis, atq; animi affectu obsequentem se præstaret. Exposuit quoq; quemadmodum eius causa condiderit omnia; quæ mundo cõtinerentur: ipsum uerò creauerit, quò sibi inseruiret: nõ quòd eius seruitio aliquatenus indigeret; iuuariq; aliqua ratione posset: cum in se omnẽ perfectionem comprehendat: sed ut seruiẽdo ipse feliciter uiueret, beatitudineq́; immortali frueretur:

et longè plus inde boni cõsequeretur, & cõmodi: dũ sibi inseruiret, quàm dum cæteris imperaret: cum si bi inseruire, sit regnare: & mera seruitus sit ea do minatio: quæ suæ gratiæ consortio immunis, & à seruitio sibi præstando sit aliena. Subiunxit etiam, hinc fieri, ut non solum, quæ propter ipsum condi ta sint, eius incommodum tendant, eius bonum re spiciant: sed etiam id, propter quod ipse sit condi= tus: & tantum abesse, ut quidquam, quod sit, quodq́; existat, alio, quàm ad bonum eius uergat, utilitatemq́; eius pertineat: ut omnia tum superio= ra, tum æqualia, tum inferiora eius commodum respiciant, eiusq́; beneficio destinata sint: in primisq́; fateri, semetipsum, quo nihil superius esset, nihil e= xisteret eminentius: eius ita esse, ut planè perfrui possit: spiritus etiam Angelicos, quibus tum ratio= ne intellectualis substantiæ, qua præditus esset: tum futuræ felicitatis, futuriq́; status causa uideri possit adæquari, eius ita esse: ut uno cum illis conuictu, eadem cum illis consuetudine sit potiturus: inferio= ra uerò eius ita deniq; esse: ut non solum ad usum eius, & commoditatem spectent: sed etiam eius im perio, eius dominationi subijciantur: & seruitijs eius, atq; obsequijs sint addicta, atq; mancipata. Hinc quæso ciues mei animaduertite, quàm stu= diose procurarit, quàm amanter affectauerit De= us, ut homo in ea, in qua conditus esset, innocen= tia animi, & corporis incolumitate persisteret: & nihil committeret, quo de felicitate in miseriam, de uita in mortem corrueret. putatis'ne quempiam in=

ter uos hic inueniri patrem, qui adeò salutis filij sui studiosus, adeò incolumitatis eius amans, & solicitus sit: ut studium, solicitudinem, affectum Dei in hominem uel aliqua ex parte coæquet? Absit ut putetis: quandoquidem nimis absurdum foret putatu, & creditu nimis incongruum: ut qui in filio nihil suæ operæ agnosceret, nisi aliquatenus causa corporis: affectu, studio, charitate se parem præstaret ei, qui in creãdo homine tam animæ, quàm corporis extiterit author: ut omittamus interea id, quo constat, multò efficacius quid semper in causa, quàm in effectu reperiri. O ingratum tanti studij, tanti meriti, tantæ charitatis hominem. si nihil etiam mali, atque detrimenti ex diuini mandati transgressione sibi contracturus fuisset homo: etsi impune etiam potuisset Dei monitis, Deiq; uoluntati aduersari: & nullo cum suo malo, nulláq; cum sua pernitie committere: quod ei displiciturum sciret: eiusq; animum offensurum: debuerat omni studio conari, omnibus uiribus contendere: ne quid omnino ageret, ne quid omnino perpetraret, quod posset uideri esse uel uoluntati contrarium, uel studio aduersum eius: à quo tot beneficijs esset affectus: & cuius beneficentiam erga se tam liberalem, tamq; copiosam foret expertus. Sed cum non solum homo frangendo præceptum Dei, eius uoluntatem offenderit: cui pro beneficijs, muneribusq; acceptis obsequentissimum se de debuerat præstare: sed etiam grauissimo cum suo damno, & detrimento id ipsum perpetrauerit:

quid est id', Dij boni, non solum ingratitudinis erga benemerentem, sed odij, & inimicitiæ aduersus semetipsum? O' capitalem sibi, suæq; saluti inimicum hominem. Dum Dei monitis non satis adhibita fide, sibi spiritus, atq; animi elatione permotus cœpit placere: & inde rem suam posse fieri meliorem suspicatus, unde peiorem futuram prædixerat Deus, sese ab ipso Deo, à quo totius boni, atq; felicitatis suæ causam trahebat, auertit: & rationem, quam in Deum directam, Deoq; subiectã continere debebat: conuertit ad rerum corporalium, et sensilium amorem: & cui dominari oportebat, appetitui subiecit: eam subitò, quam cum Deo similitudinem retinebat, amisit: & de statu felicitatis, in quo fuerat conditus, corruens, & ab immortalitate, quam, Deo cohærendo, perpetuò poterat tueri, decidens in barathrum miseriarum sese coniecit, & moriendi necessitatem sibi contraxit, atque accersiuit. Quandiu enim homo cohæsisset Deo, Deoq; ipsi subditam habuisset rationem: uis illa, quam præter naturam diuina uirtute, diuinaq; gratia inditam habuerat animæ: poterat corpus ab omni corruptione, atque ægritudine arcere: eiq; immortalitatem, uitamq; perpetuam conseruare. Sed cum se distraxit à Deo, rebusq; corporalibus animum, cogitationẽq; applicauit: confestim ui illa supernaturali destituta anima, quam habuerat potestatem tuẽdi ab interitu corporis, atq; corruptione amisit omnino, et quidquid prærogatiuæ, atq; doni uirtute diuinæ gratiæ consecuta fuerat tum in sui

ipsius, tum in corporis beneficium, perdidit. O' grauem, et insignẽ animæ iacturam. quæ modò potestatem habebat corporis perpetuò uiuificandi: quæ modò uirtute pollebat se ipsam tuendi, atq; custodiendi illæsam, intactáq; ab omni affectuũ, atq; perturbationũ infestatione, et molestia: iam nõ habet, non solum quid opis, & subsidij possit corpori impendere, sed sibi ipsi non sufficit etiam à malis tuendæ. Postquàm homo aduersus mandatũ Dei, fructum, siue pomum ex arbore cognitionis boni, atq; mali decerptum degustauit: quam cognitionem boni, et mali sibi profuturam crediderat ad assequendã Dei similitudinem, ea in causa fuit: ut quidquid similitudinis cum Deo ex creatione fuerat consecutus, amitteret. cui enim mirum uideri debet, qui se rerum corporalium studio tradiderit: seq; sensuum motibus, irrationaliq; appetiui subiecerit: in quibus uidetur omnis corporeæ, animalisq; uoluptatis, atq; molestiæ uis, atq; potestas consistere: eum reddi Deo tantò dissimiliorem, quãtò boni, quod in corporis, & sensuum uoluptate, & mali quod in contrario affectu collocatur: scientiorem, cognoscentioremq; se præbuerit? Quandiu homo in summi, uniuersalisq; boni cognitione perstitit, & in eo contemplando, amando, perfruendo perseuerauit: tandiu nec particularis boni rationem, nisi quatenus uniuersale bonum respiciebat: nec mali cuiuspiã notitiam, aut cognitionem habere potuit: cum omnis mali ratio ex boni alicuius cõstitutione prodeat: cum eius priuatio, siue carentia mali rationem ui-

deatur continere. Qua causa effectum est: ut cum primum homo non habita summi, uniuersalisq; boni ratione, se conuertit ad bonum particulare: & illud tanquam finem sibi proposuit cognoscendum, atque fruendum: subitò in mali cognitionem incideret; & ea se priuaret mali ignorantia: quam consequebatur ex ignoratione boni particularis, cognitioneq; ex ipsa, atque adhæsione summi uniuersalisq; boni. Mira admodum, & perceptu difficilis est hæc humanæ conditionis immutatio: ut uix quidquam aliud in rerum humanarum consideratione mihi se soleat offerre: quod æquè me tum admiratione afficiat: tum ad percipiendum hebetem, tardumq; reperiat. Res sanè hæc ex sacra constat scriptura, & maiore comprobatur testimonio, atque fide: quàm fas sit contra aliqua uti exceptione. Demodo autem tenoreq; rei, quemadmodum transacta sit: & si æquè eiusdem historiæ documento uideri potest apparere: dum Demonem sub specie serpentis tentantem, fœminam serpenti consentientem, uirum denique ipsi fœminæ annuentem continet: nihilominus res adhuc ipsa uidetur altiori explicatione indigere, & subtiliori posse indagine peruestigari. de quo quidem, quia loci huius, aut temporis nō est, ut scrutemur ulterius, & ratiocinemur: uerbis amplius faciendis supersedebimus, dilata fortasse huiuscemodi negocij discussione, atque tractatu in aliud tempus aptius ad disserendum, & in aliam occasionem ad ratiocinandum, atque speculandum op

portuniorem. Poſtquam igitur homo parti inferiori animæ conſentiens, & à ſpiritu ad carnem, ſiue ſenſum deficiens à Deo deſciuit; Deiq; uiolato mandato prohibitæ arboris fructum deguſtauit; boni, & mali cognitionem ita adeptus eſt: ut quæ prius ignorauerat mala, iam ſentiendo, patiendoq; experiretur: & cuius nuditatis corporeæ Deo deditus nullam rationem habuerat, iam ſtudio corporis, ſenſuumq; illecebris correptus de ea cœpit eſſe ſollicitus: & hinc ex nuditate pudorem concipiens, indeq; corporis nudi incommodum ſentiens; conſuit ſibi, quo ſe, pudendaue operiret perizoma. Id nimirum nobis documento eſſe poteſt, atque exemplo, nihil nobis fore curæ, nil nos curaturos eorum, quæ corporis commoda, ſtudiumq; reſpiciunt: quæq; ſenſuum motibus applaudunt, atq; deſeruiunt: ſi Dei cultu penitus detineamur: ſi Deum totis animis ſuſcipiamus: ſi tota deniq; mente, plenoq; ſtudio Dei religioni, atque contemplationi inſiſtamus. Quæ Dei ſunt, & quæ mundi: quæ ſpiritus ſunt, & quæ corporis, ac ſenſuum: adeò inter ſe diſſident, adeò uiciſſim diſcrepant: ut nullam mutuò conſenſionem admitatnt: nulloq; pacto, aut ratione unà conuenire poſſint. Nihil minus effici poteſt, quàm ut quis Deo, & mundo inſeruire; Spiritui, & corpori ſatisfacere queat. Tantum abeſt, ut quis ualeat Deo placere, ſimulq; mundo, ut qui ſe uni addixerit, amicumq; ſe præſtiterit, alteri in fenſus, inimicusq; ſit, oporteat. Tam procul eſt, ut qui corporis curam gerit, corporiq; curando in=

cumbit, spiritu polleat, spiritu inualescat: ut fieri non possit, quin procuratio, amorq; corporis spiritui interitum afferat, aut ingens detrimentum apportet. Hac ratione euenit, ut simulac homo indulgentia corporis affectus est, & sensuum appetitu se pellici permisit: aspectum Dei, cum quo liberè loqui, & cuius præsentia frui solitus erat, horruerit, atque extimuerit adeò: ut eius in paradiso deambulãtis uocem cum audijsset, subtraxerit se, atque absconderit: ne conspiceretur ab eo. Ò formidolosam peccati conscientiam; Ò securam, & audentem innocentiæ conditionem. Qui modò in statu innocentiæ constitutus, & à labe peccati immunis colloquium Dei expetebat: coram Deo astabat: Dei aspectu fruebatur: iam peccati reus, iam commissæ culpæ conscius uocem Dei horret: aspectumq; eius subterfugit, atq; reformidat. qui modò audacter se coram Deo habebat, qui modo se erga Deum confidenter gerebat; iam pauore affectus: iam rubore, uerecundiáq; suffusus quærit latebram, qua se Dei cõspectui subtrahat: latibulum procurat: quo Dei præsentiam fugiat. Quamuis homo tum propter offensam, quam in Deum commiserat, uiolando præceptum eius: tum propter ingratitudinem: cuius se maximè reum constituerat, ab eo se auertendo, atq; ab alienando: à quo tot beneficijs affectus fuisset: merebatur ut Deus non solum curam eius penitus dimitteret, auersantemq; auersaretur: sed etiam nulla mora eum perderet, eumq; pessundaret: tamen diuina ingens bonitas nec dereliquit fugientem, nec quæ=

rentem latitare deseruit: sed eum insecuta est, non ut perderet, sed ut seruaret: eum quæsiuit ut iuuaret, non ut profligaret. Quis satis hic ciues queat explicare miram, stupendamq; Dei bonitatem? Quis satis admirari eius eximiam in hominẽ benignitatem possit? Quem sui mandati contemptorem, quem suis monitis rebellem, quem beneficiorum ingratum, quem sibi iniurium deprehenderat; eum ultrò quærit latitantem, ultrò compellat fugientem. Quis fuerit ex uobis, quicunque hic adestis parentes: qui, si filium, quem omni genere beneficiorum sit prosecutus: sibi ingratum experiatur, suis monitis auersum reperiat, omnis cultus, iurisq; paterni uiolatorem deprehendat: non eum à se propellat, ab eiusq; consuetudine, & alloquio non abhorreat: eumq; tandem hæreditate non relinquat exhæredem? si quis seruum habeat sibi pretio non uili comparatũ: quem rei familiari præfecerit; & cui liberam rei domesticæ, peculijq; administrationem concesserit: cuiq; potestatem sui adeundi, sui alloquendi fecerit: si comperiat eum non solum tradita rerum administratione abuti: sed eò insolentiæ etiam, atq; arrogantiæ prouehi, ut mandatis illudat, monita subsannet: ut contempto deniq; iure gentium, atq; seruitutis, fuga se subtrahat seruitio: temperabit'ne huiuscemodi serui dominus penitus ab ira? cõtinebit'ne se, quominus inuentum coerceat cathenis, uinctumq; duriter abdat ergastulo: & eum indignum sua præsentia ratus releget in tenebras, suisq; adeundi, suiq; alloquẽdi potestate penitus interdicat? Nihil minus

arbitror existimandum, quàm quenquam ex his, seu patrem uelis, seu dominum, contenturum esse quo minus genus omne seueritatis exerceat, & eò iusta indignatione permotus procedat ultionis: ut uel paternæ in filium charitatis, uel dominicæ in seruum benignitatis nullam rationem habuisse com periatur. At Deus pater hominis, idemq; dominus non indignatione motus curam eius, à quo contem ptus, à quo offensus fuerat, dereliquit: Sed mise= ratione affectus, charitatisq; ardore succensus, abs condentem se ultrò quæsiuit, & colloquium detre= ctantem ultrò compellauit, ubi esset, ubi deliteret, interrogans: à quo cum peccati confessionem acce= pisset, & peccandi causas audiuisset, non ultra quid pœnæ illi intulit, quàm quod ipse sibimet peccando acciuerat. Tantum abest, ut quid homini pœnæ Deus ultrò intulerit: ultionemq; aliquam de eo ul trò expetiuerit: ut dum pœnas cõmemoraret, quas sibi accersiuisse peccando contigerat: ultrò prouoca rit ad peccati pœnitudinem, & ad contracti mali remedium aliquod suscipiendum inuitarit. Nihil æquè peccati pœnitudinem, odium'que inducit, quàm pœnarum recordatio, quæ causa commissi peccati sint subeundæ. Vnde commemoratis à Deo pœnis, quæ homini subeundæ essent propter admis= sum, et explicatis malis, quæ imminerẽt ei commissæ culpæ causa: quorum etiam nonnihil iam sentiebat, eò adductus est homo: ut peccati graui pœnitudine tangeretur: & in admissam culpam sic capitali o= dio moueretur: ut si eam uel grauissimo quoq; o=
nere

nere posset diluere, libenti id animo foret subiturus. Sed odio, pœnitudineq́; peccati, in quam homo tum Dei compellatione, tum pœnarum, malorumq́; explicatione adductus est: tantum ab ipso homine profectum est: ut longè maius, longeq́; potentius remedium aduersus mala, pœnasq́; peccati obtinuerit denique ope diuina post pœnitudinē, quàm ante suopte marte, suapteq́; natura connitens adeptus fuisset. Homo enim, qui post peccatum, priusquàm à Deo compellaretur, ad pœnitudinemq́; prouocaretur, aduersus nuditatem, peccatiq́; incommoda sibi perizoma ex folijs ficulneis consuerat, compellatus à Deo, peccatum confessus, peccati pœnitudine affectus, loco perizomatis ficulnei, tunicam pelliceam, qua indueretur aduersus nuditatem, Dei opera, Deiq́; munere consecutus est. Hinc profecto non modica diuinæ in hominem peccati reum benignitatis, commiserationisq́; significatio colligi potest: dum cum eo post peccatum sic egit Deus, ut compellaret ad confitendum peccatum, habendamq́; peccati pœnitudinem: qua habita consequeretur eiusdem Dei opera, atque munere aduersus nuditatem, peccatiq́; incommoda longè tutius, longè commodius, longe præstantius remedium, quàm illud esset, quod sibi ipse confecerat: quodq́; ui dumtaxat naturæ suffultus adhibuerat. Quæ enim incommoda oportebat solo naturæ patientis adnixu, atque conatu ferri, sustineriq́;: Deo prouocante, atque eliciente, peccati pœnitudine consecuta, redditus homo est idoneus: qui in tolerandis fortiter,

atque æquanimiter peccati pœnis, atque incommodis ope diuina iuuaretur, & in perferendo Dei operam, Deiq; gratiam auxiliatricem, atq; opitulatricem experiretur. Inualidum sanè, atq; debile aduersus mala, pœnasq; peccati futurum erat remedium homini ui, potestateq; naturæ competens; ut facilè succumbere potuisset: nisi Dei beneficio accessisset remedium longe ualidius, longeq; potentius: quod fide constans, atque spe, longanimitatem afferret: & mala leuiora reddens facilem induceret tolerantiam. Præterea ne quemadmodum contigerat homini ex oblata facultate sumendi fructum ex arbore cognitionis boni, maliq;, atque comedendi: ei æq; eueniret decerpto ex arbore uitæ fructu, atque degustato: ut unde sibi boni occasionem conciperet: inde mali, pœnæq; exortum experiretur: uisum est Deo, prohibere ei aditum paradisi: et destinato uitæ arbori custode cum gladio flammeo, atq; uersatili arcere eum ab eiusmodi arboris fructu decerpendo, atque degustando. Futurum enim animaduerterat Deus pro ea, qua homo tangebatur cupiditate recuperandæ, quam amiserat, immortalitatis: ut occasione oblata, ad fructum arboris uitæ manum iniiciendi, se omnino non contineret; sed degustato arboris fructu suam cõditionem multò deteriorem redderet. Quod quidem contigisset: quoniam quæ mala homini subeuntur tam causa corporis, quàm animæ, quatenus corpori coniuncta est: cum morte secuta, disiunctioneq; animæ à corpore facta, finem consecutura sint, atque

terminum: ea ſibi perpetua homo ipſe effeciſſet: ſi fructu arboris uitæ comeſto immortalitatem recupe raſſet. Vnde ne perpetuam, & immortalem in mi ſerijs, ærumniſq; uitam ageret, & ne miſeram, at= que calamitoſam immortalitatem incureret homo: & ne forte præcipua, opportunaq́; occaſio diuinæ charitatis, & beneficentiæ in genus humanum de= clarandæ, & teſtificandæ intercideretur: prouidit, cauitq́; Dei immenſa bonitas, circunſpectaq́; ani= maduerſio: ne homo ſua imprudentia, atque inſci tia tum ſibi amplius noceret, grauioremq́; cladem ſibi accerſeret: tum perturbaret conceptam iam ra= tionem generis humani ad ſalutem, beatitudinemq́; ſumma cum diuinæ gratiæ ſignificatione reſtituen= di. Cuius quidem conſilij, & prouidentiæ diuinæ cum inſcius eſſet homo: non poterat non ægreferre ademptam ſibi poteſtatem fructus ex arbore uitæ excipiendi, & immortalis uitæ recuperandæ. Qua ratione felicitatis amiſſæ memor, experienſq́; malo rum, quæ urgerent aſſidue: licet fide in Deum ni= teretur, ſpeq́; uigeret: non poterat tamen facere, quin triſtitiam animo conciperet, quin dolore ani= mi tangeretur, quin mœrendo, conquærendoq́; la boraret. Id præterea eius animo plurimum mœro= ris adijciebat, & triſtitiæ: quòd quæcunq; ma= la cauſa peccati ipſe contraxiſſet tam uitæ reſpectu, quàm mortis, quadam ueluti traduce generatio= nis in poſteros, naſcituramq́; generis humani proge niem profluxura, tranſituraq́; animaduertebat. Verſabat enim animo, quàm execrabile, & dete=

standum foret, quantum impietatis, & atrocitatis contineret commissum à se crimen, cum uirus eius, eiusq; labem contractura esset omnis posteritas; & nullus futurus esset ex posteris, qui eiusdem mala, pœnas, detrimenta non esset subiturus. Percensebat secum, nimis se male meritum de genere humano, deq; sua posteritate: quæ cum nihil mali, unde plectatur, inuenta fuerit commisisse; alieni tantum flagitij, alienæq; culpæ pœnas datura sit: & subitura detrimenta: quæ nullo suo facto promeruerit. His, huiuscemodiq; animi molestijs non diu passa est hominem affici Dei benignitas: quandoquidem aperto diuini consilij arcano indicatum est homini, quemadmodum futurum erat, ut tam ipse, quàm eius posteritas tandem liberaretur ab omni malorum calamitate: & non solum in felicitatis; pristiniq; status conditionem restitueretur: sed etiam ad longè beatiorem, multoq; perfectiorem uitæ rationem promoueretur. O' mirificum salutis humanæ mysterium. O' conditionem hominis à Deo plurimi æstimatam: detexit enim Deus homini, reuelauitq; fore: ut sicuti contigerat ex arbore, siue ligno periclitatum esse eum, eiusq; posteros, ita unus ex posteritate eius exoriretur: qui uirtute ligni, lignoq; interueniente redimeret eum, eiusq; posteritatem ab omni uitæ calamitate, mortisq; miseria. Quanti Deus fecerit hominem, quanti æstimauerit, hinc maxime censeri, animaduertiq; potest: quòd non solum salutare remedium excogitauit, atque præparauit contra mala causa peccati contracta: sed etiam

quo interea eum solaretur, releuaretq́; aliquatenus animi solicitudine atque molestia: rationem omnem futuræ salutis ei adaperuit: adeoq́; eum constituit, atque obfirmauit in spe perditæ felicitatis recipiendæ, amissiq́; boni recuperandi: ut nihil minus dubitaret, quàm de restitutione: cuius faciendæ ministrum, siue authorem cum reputabat fore unum ex sua posteritate, tantum solatij excipiebat; tanta uoluptate corripiebatur: ut præ animi gaudio, atque iucunditate exiliret: & eam quam peccando amiserat animi hilaritatem, atque lætitiam, propemodum adæquaret. Sed cum restitutionis faciendæ; salutisq́; recuperandæ tempus diuinæ prouidentiæ secreto præstitutum ignoraret: pro ea, qua detinebatur felicitatis fruendæ cupiditate, & pro eo quo maxime afficiebatur desiderio salutis obtinendæ: longè propinquiorem existimabat fore restitutionem, promissiq́; diuini successum: quem omnino dilatum iri diutius non arbitrabatur. Vnde cum totam rem, & quidquid à Deo accepisset, editis filijs explicuisset: & cum postmodum inter filios orta æmulatione, atque inuidia unum ab altero ligni stipite percussum, occisumq́; animaduertisset; credidit, sperauitq́; diuinum promissum ex percussi ligno filij morte effectum sortiturum, & filio authore sibi, posterisq́; partam à malis liberationem, atque salutem. Quod æque ipsi filio credi potest fuisse speratum: cum diuinæ promissionis conscius fratrem sibi conspexit ligni stipite imminentem, mortemq́; inferentem. Sed dum eius, quòd impen

ſe optabant, ſucceſſum facile crediderunt: & quæcunq; ex occaſione ſuſpicati ſunt, contigit eos longe, latéque opinione fuiſſe deceptos: quandoquidem ratio temporis nondum diuini promiſſi ſucceſſum permittebat: & diluendæ labis conditio, malorumq́; ex peccato conflatornm qualitas ea erat: ut eis abolendis, atque ſoluendis nulla naturæ humanæ uis, atque opera ſufficere poſſet. Abſurdum nimirum fuit, & incongruum exiſtimare, poſſe fieri: ut cum peccati labe tota generis humani natura infecta eſſet, & corrupta: quiſquam, qui eiuſdem naturæ conditione contineretur, & nihil amplius haberet, quod meri hominis, naturæq́; humanæ rationem excederet: poſſet totius naturæ uitium corrigere: & malum tam fuſim, tamq́; potenter impreſſum emendare. ſicut enim nimis id erat tribuere homini, atque deferre: dum crederetur ſola hominis opera poſſe totius natutæ humanæ peccatum dilui: & quidquid unius culpa in omnes æque homines profluxiſſet, ſanari: ita naturæ humanæ dignitati, diuinæq́; erga eam charitatĩ detrahi plurimum contingebat: dum putaretur quempiam merum hominem ſufficere ad eam redimendam à malis, atque liberandam: & in ea liberanda, atque redimenda nihil exigi, quod illuſtrem Dei operam teſtaretur, & quod diuinæ charitatis erga ipſam contineret præcipuam, ſingularemq́; ſignificationem. Sed ut plurimum aberat: ut mors hominis, & ſi pij, atque integri, à fratre inuidia acto perempti ligno contineret diuinæ promiſſionis

successum: & naturæ humanæ liberationem affer=
ret à peccati iugo: ita id rei, siue euentus signum
quoddam, siue symbolum continuisse eius, quod
pro liberanda natura humana, & pro implenda pro
missione diuina erat euenturum, tam procul ab=
est, ut ambigendum rear: ut uel diuino consilio,
atque constitutione id opiner ea sub specie, eoq́; sub
tenore accidisse: quo præseferret, & multo ante
tempore induceret testimonium rei ipsius, siue my=
sterij denique futuri. Cum itaq; Deus ita se haberet,
ita se gereret cum homine: ut interpellando, admo
nendo, instruendo ei non deesset, & cum præscri=
pta lege rationis, atque naturæ tradidisset cultum
religionis, suiq́; obseruantiam: & indicasset, quem
admodum se habere deberet in uiuendo, atque ope
rando tam respectu sui ipsius, quàm aliorum: fie=
ri tamen non potuit: ut homo ipse staret legibus: con
tineretq́; se à malo, & abstineret ab impietate. Qua
propter eleuata religione, commissis parricidijs: &
eis, qui studio religionis, cultuq́; Dei detineri sole=
bant ad incontinentiam prolapsis, & in uoluptates
sensuum, atque carnis conuersis, eò peruentum e=
rat nequitiæ, & impietatis ab homine: ut rectæ ra=
tioni, Deiq́; spiritui in eo amplius locus non esset ul
lus. Quin adeo à ratione boni, Deiq́; obseruantia de
scitum erat; adeo ab humanitatis, & rationalis na
turæ instituto deuiatum: ut nihil cogitando, nihil
operando prætermitteretur ab homine: quod mali=
tiam contineret, quod obseruantiæ Dei aduersare=

tur, & quod afferre posset dedecus, atque ignominiam humanæ, rationaliq; naturæ. Tanta hominem cœperat sui ipsius obliuio, suæq; conditionis: tanta appetitus impotentia, & indulgentiæ temeritas eum obsederat: ut cum nihil nisi brutale uiuendo, operandoq; saperet: nihil tamen, nisi diuinum, se efferendo, sibiq; arrogando affectaret. Abdicato enim quod rationalis fuerat naturæ, & brutali uiuendi conditione arrepta eò processerat audaciæ, & temeritatis, ut quæ Dei essent, sibi usurpare tentaret, & non minus sibi tribueret, & arrogaret: quàm si, ueluti ex humana, rationaliq; in brutalem uitam se coniecerat, ita ex rationali, & humana natura in diuinam se transtulisset. O prauum, & improbum genus hominum: qui cum infra brutalem naturam se deiecissent: & uoluptati, atque uentri solum indulgentes nihil minus uiuendo præstarent, quàm quod suæ, rationalisq; naturæ proprium esset: nullum tamen tenere modum in sibi tribuendo, atq; placendo contra Dei summi cultum, atq; decus sciuerunt. Hi profecto fuere Gigantes; de quibus non solum in sacris monumentis, Mosisq; Hebræi libris proditum est memoriæ; sed etiam Græcorum antiquitas, non sine multo translationis, atque figmenti sale fabulata est. Scita illa sanè, & docta Græcorum antiquitas, quæ fabularum, figmentorumq; inuolucris rerum tum diuinarum, tum humanarum rationem, atq; naturam magna ex parte conclusit: scriptum reliquit Gigantes magni, proceriq; corporis fuisse homines: qui cum ter-

ra orti essent, & pedibus anguineis incederent, bel lum Dijs immortalibus inferre ausi sint: & conge= stis montium molibus sedes Deorum impetere, cœ= lumq́; ipsum aggredi tentauerint. Quicunq; igitur magnitudine corporis ita pollent: ut spiritus pusilli= tate, animiq́; inualiditate laborent: quicunque or ti terra, & anguineis incedentes pedibus nihil, ni= si terrenum cogitant, aguntq́;: nihil, nisi quod bru talis naturæ est, curant uentri inseruientes, atque libidini: & quicunque denique ualiditate corpo= ris confisi, rerumq́; corporalium, & opum copia, at que cumulo adnixi tollunt cristas, capita exerunt, uerticibus cœlum petunt, nullam nec Dei, nec homi num rationem ducentes: hi sunt planè Gigantes il= li: quos Moses Hebræus memorat terras habitasse, quo tempore Deus mundo intulit aquarum diluui um. Cum igitur Deus prospexisset malitiam, pra= uitatemq́; hominum adeò excreuisse, eoq́; cumuli peruenisse: ut nihil sceleris, atque turpitudinis in expertum: nihil uiolationis, atque nefarij impe= tus prætermissum relinquerent: & nulla iuris diui ni, atque humani ratione habita omnia perturba= rent, prophanarent, confunderent, eò brutis, ir= rationaliq́; natura fœdius, turpiusq́; uiuentes, quò nefandiora, execrabilioraq́; rationis abusu perpe= trabant: eò animi, propositiq́; adductum eum sa= cræ testantur historiæ: ut conditi hominis pœnite= ret: cuiusquidem pœnitentiæ affectus cum in De= um ipsum propter immutationem naturæ cadere o= mnino non possit: intellectum, interpretationemq́;

accipiet: ut sentiamus adeo hominem à fine, cuius causa conditus à Deo fuerat, declinasse: adeoq; à scopo, in quem natura, Deiq; proposito dirigebatur, destinabaturq;,deuiasse :ut uideretur satis urgentem causam pœnitentiæ afferre potuisse.in quen cunque id caderet affectus: & nihil exequendo eius, quod esset tam ex uoluntate conditoris, quàm ex ipsius finis ratione, materiam opportunam, occasionemq; idoneam alioqui præstare poenitendi: si quid,qui condidit pœnitentiæ,huiuscemodiq; affectus pati, expeririq; posset. Quanuis ita se gesserit homo turpiter, scelesteq; uiuendo: ut non minus à sui finis ratione decedendo, quàm Dei propositum fallendo, mereretur inducere conditionis suæ pœnitentiam: tamen cum nulla cadere in Deum pœnitentia queat: mentio pœnitentiæ in libro Mosis facta ingentem quandam designat hominis deprauationem, & à fine, Deoq; ipso defectionem. Sicuti flagitijs, sceleribusq; suis homines nequiuere efficere, ut eius, quod fecisset Deus, pœnitentia corriperetur: ita nec potuere in eo iram, cuius natura est expers commouere. etsi ea hominum prauitas erat, atque impietas, ut mererentur cuiusque acerrimæ, atque ardentissimæ iræ ad satietatem usque ultionem experiri: non tamen cum eis egit iracunde Deus: nullaq; aduersus eos indignatione usus est. Quòd si nec ira, nec indignatione commotus est Deus: ut aquarum diluuio terras summergeret: & paucis quibusdam seruatis uniuersum genus humanum perderet: quo animi ductu, quo proposito a=

gente id effecisse sentiendum est? O' iustitiæ, charitatisq; diuinæ inexolubilem nexum. O' inexplicabilem diuini consilij cathenam. Iustitia, quam sibi innatam habet Deus: & charitas, quam sibi natura inditam tenet, in causa fuere: ut diluuio aquarum in terras illato sceleratum, nefariumq; genus hominum interimeret. Iustitia enim exigebat, ut qui modum peccandi, delinquendiq; ullum nescirent: pœnas denique luerent: mortisq; supplicio afficerentur. Charitas item, qua mirifice genus hominum Deus prosequitur, suadebat, seu potius efflagitabat: ut terminus delinquendi, maleq; agendi eis illata morte statueretur: & prohiberetur: ne dum diutius impunè peccare permitterentur, peiores euaderent, atque deteriores. Quæ enim maior charitatis diuinæ in genus humanum posset esse significatio: quàm prohibere, ne mali diutius uiuendo, impune'que peccando tum peiores reddantur ipsi: suamq; conditionem deteriorem efficiant: tum bonis obsint, bonorumq; conditioni, atque uitæ contagione officiant? Hinc licet existimare, nihil à Deo fieri, nihil immitti: quod si recte iudicetur: & ad libram exactæ rationis redigatur: iure queat alicui iræ, indignationi, odio'ue adscribi: quandoquidem tantum abest, ut quidquam, quantuncunque humano affectu iudicatum uideatur noxium, atque pernitiosum: Deus agat, immittat'ue, nisi summa cum iustitia pari cum charitate coniuncta: ut quod sensuum iuditio malum, nocuumq; uidetur: re ipsa comperia

tur tandem summè utile, ualdeq; salutare. Hinc nos miseri sensuum, appetitusq; corporei iuditio nimis indulgentes: & quæ sunt corporis, miseræq; huius uitæ commoda solum æstimantes, numeroq; bonorum adscribentes nostram felicitatem metimur his, quæ corporis inseruire uoluptati, & uitæ huius fragilis incolumitati conducere uideantur. Nihil minus considerãtes, quàm quæ sint uerè bona, nihil minus reputantes, quàm quæ sint spiritus, conquerimur, nobiscum malè agi iudicantes, quoties aliquid noxium corpori, aliquid rebus damnosum, aliquid huic uitæ infestum, atq; pernitiosum contingit. O' cæca hominum iudicia. O' crassas, atque hebetes nostras cogitationes. Ob eam, qua laboramus in discernenda bonorum ratione, inscitiam: ob eamq;, qua detinemur maxime, incredulitatẽ, diuinæ erga nos charitatis, & prouidentiæ: quidquid aduersi, quidquid incommodi, quidquid detrimenti tam rerum, quàm corporis causa nobis euenit, ægre ferimus, dolemus, in Deum reijcimus tanquam nobis infensum, atque iniurium. O' miseram deceptionem. Quod summam nostram utilitatem uerè continet: quod nobis ueri, summiq; boni acquirendi, atque fruendi aperit fenestram, præbetq; occasionem: quod Deum in nos beneficum, in nos liberalem, nostri studiosissimum arguit, atque comprobat: id nobis malum, damnosumq; arbitramur: & diuino in nos odio, atque indignatione immissum opinamur. Si boni, beneficiq; patris officio eum fungi consentimus: qui filium, quem

uideat secus, atque deceat, agentem, uiuentemq́;: admoneat, increpet, uerberet, flagris cædat: fas fuerit censere Deum, qui studio, & charitate erga nos longè omnem superat affectum patris in filium: dum nos aduersis percellit, iacturis rerum afficit, corporis incommodis affligit: id agere alia ratione, quàm nostri boni, nostræ utilitatis, nostræ salutis gratia? boni'ne medici officio utetur quis? quis'ne medicus se studiosum ægrotantis, eiusq́; salutis cupidum ostendet? Si appetitui, & corruptis eius sensibus obsequens præbeat, quæ noxia norit, & contraria sanitati recuperandæ: & abstineat præbendis medicinis, quas sciat fore usui, & remedio ægritudini fugandæ, sanitatiq́; restituendæ: dum amaritudine, atque austeritate earum formidat offendere gustum ægrotantis, & ingrata potione perturbare? Ad curam ulcerosi cuiuspiam accitus chirurgus censebitur'ne boni chirurgi operam præstare, artisq́; chirurgicæ rationi, atque instituto satisfacere: si dum timet ulcere laborantem dolore afficere: contineat manus, nec curet scarificare, secare, incidere, urere? Quapropter fit, ut non solum temerarium, sed etiam impiũ dijudicem, credere à Deo quidquam fieri, quidquam'ue immitti, siue id sit damnosum rebus, siue corpori, uitæq́; huic exitiosum uideatur: quod boni nostri ueram aliquam rationem non habeat: & ab eius in nos propensione, atque charitate non proueniat. Si beneuolentiam, charitatemq́; Dei erga nos experimur, etiam dum affligimur, torquemur, interimimur: quid dum uale

mus corpore, animo conquiescimus, uitæ incolumitate potimur, existimandũ est? Qua ratione conficitur, concludiq; est necessarium, Deum immisso aquarum diluuio, summersisq; uniuersæ terræ regionibus, non minus charitatis in genus hominũ, quàm iustitiæ expressisse: siue eos quos perdidit, consideremus: siue quos paucos seruauit, intueamur. Nihil enim prohibet, quin Deus eodem facto, eademq; rei patratione pro diuersa hominum conditione, & meritis possit diuersos proferre effectus eiusdem tamen iustitiæ, & charitatis ratione, atque tenore conseruato. Qui diluuio aquarum sceleratos, impiosq; homines perdidit Deus: perdẽdoq; abundans edidit testimonium suæ iustitiæ, & charitatis: idem pios, probosq; ab eodem diluuio incolumes conseruauit: conseruandoq; iustitiã suam, & charitatem abũde declarauit. Quin ipse Deus immisso diluuio tripliciter benemeritus est de genere humano, tripliciq; modo suam in genus hominum charitatem testatam fecit: tum quos perdidit, prohibendo, ne peiores euaderent: tum quos seruauit, efficiendo, ut uiuendo proficerent: tum qui futuri erant, prospiciendo, procurandoq;, ut ex probis, pijsq; orirentur. Sed non magis propemodum suam erga naturam humanam charitatem ostendit Deus, seruando à strage diluuij pios, probosq;: ex quibus deinde propagaretur nouum genus hominum, & melior soboles in lucem ederetur: quàm in modo, atq; ratione, qua usus est in eis seruandis ostendisse comperitur. Quem enim patrem cum tribus filijs non minus integritate ani=

mi, quàm omni genere uirtutum præstantem in uenerat dignum, qui seruaretur superstes: & ab impetu, inundationeq; diluuij liberaretur: eum amice interpellauit: summaq; cum charitate admonuit eius, quod propter scelera hominum, corruptamq; omnem bene uiuendi rationem facere destinauerat. Quapropter mandauit ei: ut arcã ligneam construeret, in quam ipse cum filijs, cum uxore, et nuribus se recipiens seruaretur ab imminenti diluuio: & in quã etiam reciperentur animantia generatim; quæ pro unaquaq; specie sufficerent conseruanda. Arcæ præterea faciendæ formam, rationemq; præscripsit: quam memorare hic non arbitramur oportere: cum satis longa id rei indigeat uerborum explicatione: & ex libro Mosis cuiq; uel facile possit innotescere. Vir bonus ille, atque integer, memor promissionis illius diuinæ, quæ primo homini post peccati pœnitentiam facta seriatim per singulas generationes patefiebat, & à parentibus tradita filijs singulatim reuelabatur: cum primum arcæ ligneæ à se fabricãdæ mandatũ à Deo accepit: in qua tam generis humani, quàm cæterorũ animantium species conseruãdæ essent: spe maxima adductus est, ut crederet arcæ à se cõstructæ opera redemptũ iri, atq; liberatum genus humanum ab omni miseria, atq; pœna: quam ex peccato primi hominis cõtraxisset. ut id crederet eò etiam adducebatur, quòd meminerat patrem sibi prædicentem, siue ominantem, quòd futurus erat ipse, qui allaturus esset suis requiem ab operibus, à laboribus manuum, & ab omni terræ graui exercitio.

Sed ſicut diuino conſilio erat conſtitutum: ut ipſe eſſet, qui conſtructæ arcæ adminiculo generis humani extinctionem prohiberet: & ab excidio diluuij eximeret, ex quibus inde uniuerſa generis humani futura eſſet propagatio: ita minime Dei prouidentia permittebatur: ut quo authore redimendum eſſet genus humanum, & cuius officio, atq; opera natura humana à labe peccati, & morte foret liberanda, alius eſſet, quàm qui cœlo mitteretur, & qui tã diuinæ, quàm humanæ naturæ rationẽ in ſe contineret. Sanè ueraciter ſenſiſſet ille, ſi pro ut generis humani liberatorem ſe fore exiſtimauerat; & ſperauerat ligno conſtructæ arcæ ſe authorem fore, ut à uitæ incommodis, & peccati pernicie genus humanum uindicaretur: ita cenſuiſſet, quendam typum præſeferre, ſymbolumq́; quoddam repræſentare eius: qui redimere à morte, qui liberare à pœnis, qui uindicare à peccato ligno interueniente genus hominum, naturamq́; humanam deniq; debebat. O congruum typum, ò ſymbolum conueniens, & opportunum. Vir pius, atque iuſtus monitu, præceptoq́; Dei fabrefecit arcam: qua genus humanum omnino periturum ab excidio liberaret: & incolume ab imminenti calamitate conſeruaret. Dei filius uerus, uindex, & liberator patre Deo ſuadente, atque agente conſtituit, ædificauitq́; Eccleſiam, in quam receptum genus humanum à diluuio uitiorum, & à ſummerſione peccati liberaret. liberaret inquam arca cõſtructa, Eccleſiaq́; condita adhibito ligno genus hominum, naturamq́; humanam ab omni mortis detrimento, &

ab omni peccati colluuie: quæcunque à prima origine trahebatur. Possem hic singulas arcæ à uiro Hebræo fabricatæ partes recensere, & ostendere ex sacrorum authorum interpretatione non solum quàm concinnè, quam'que appositè uiri Hebræi conditio, atq; operatio exprimat, repræsentetq; nostri liberatoris, atque uindicis operam, atque conditionem, sed etiam quàm perfectè, quamq; examussim arcæ constructæ ratio respondeat, atque consentiat (siue formam siue materiam consideremus) conditæ, constitutæq; à Christo Ecclesiæ. Sed quia non satis operæpretium esse ducimus, res quæ cuique possent esse obuiæ, & cognitæ ex complurium scriptorum lectione, longa qua omnino opus esset, dicendi serie prosequi: prætermittendo, quæ facile per uos adipisci potestis legendo, et ex scripto facile percipere: nec terendo temporis multum in alienis, quæ præcipuè lectu, & cognitu facilia sunt, recensendis, & commemorandis: aliquid nostræ operæ, & considerationis super hac re impendemus: & in medium afferemus, quid allegorice nobis se suggerat ex huiusce modi arcæ contemplatione: quod quidem si uisum fuerit aliquid salis, aut conditurę habere; nolim mihi id laudi cedere, sed Deo omnipotenti tribui, cuius bonitate, atque benignitate fateor, testor, etsi fas est, adiuro, si quid boni, aut sani sentiam, aut intelligam: id me habuisse, id me accepisse, id me impetrasse. Tantum abest, ut quidquam boni, saniq; sensus confidam me habere, quod eius gratiæ, & benignitati acceptum non sit referendum: ut quòd sim

quód uiuam, quód ſpirem, id me totum debere eius largitati, & beneficentiæ non ſolum conſentiā: ſed aſſidua etiam memoria teneam, repetam, conuoluam. Propter eam, quam uniuſcuiuſque rei natura rationem habet commnnem cum Deo: à quo cuncta prodeunt, cuncta gubernantur, cuncta continentur: euenit, ut nihil rei ſit, quod, quatenus pro ui, conditioneq; ſuæ naturæ reſpicit Deum, atq; attingit, cum cæteris æquè, uel diuerſa ratione, tam propioris, remotiorisq;, quàm maioris, minorisq; participationis reſpectu, Deum reſpicientibus, atq; attingētibus aliquam communicationem, ſeu participationē nō habeat. Quò fit, ut nihil in rerum natura reperiatur: quod pro ea, quam tenet cum pluribus, & uarijs cauſa eiuſdem principij, atque authoris communicatione, ad plura, uariáq; exprimenda aptari, accommodariq; aliqua ſimilitudine non poſſit. Vnde reor in rerum ſucceſſibus, illis præſertim, qui Dei religionem reſpiciunt, nihil adeo rudis eſſe materiæ: nihil adeo expoſitum, obiectumq; eſſe ſenſibus corporis: quod aliquam relationem non habeat ad animam, ad intellectum, ad ſpiritum: cum quidquid etiam traditur in religione de ſacris materiale, & ſenſile, ſignum ſit omnino, & ſymbolum alicuius nec materialis, nec ſenſibus corporeis expoſiti, ſed intellectualis, ſpiritaliſq; myſterij.
Quapropter in hac arcæ conſideratione ſi quid ſenſus, aut interpretationis afferemus, quod forte uideatur ab hiſtoriæ negotio diuertere, & à ſymbolo Chriſti, atque Eccleſiæ aliquatenus declinare: non

idcirco tamen exiſtimamus eleuandam eſſe fidem hi
ſtoriæ : nec allegoricũ de liberatore noſtro, noſtraq́;
redemptione paſſim ſacris ſcriptoribus comprobatũ
arbitramur eſſe reijciendum: quod ſanè adeo pium,
uerum, conueniens nobis uidetur : ut nefas ducere-
mus aliquid interpretationis ultra adferre : quod
poſſet tam myſtici, tamq́; diuini ſenſus rationem
perſtringere. Non igitur eleuando fidem Hebrææ hi
ſtoriæ, nec diſcedendo etiam à uero, pioq́; repreſen
tatæ ſalutis humanæ interpretamento : quæ profe-
cto, admiſſa etiam noſtræ interpretationis ueritate,
nihilominus uera eſſe, & perſiſtere poſſunt : pro ut
conſtare poteſt ex eis, quæ modò dicebamus, & pro
ut etiam, ex dicendis amodo, atque explicandis pa
teſcet illuſtrius. Hiſtoriam igitur arcæ ſic quoq; alle
goricè poſſe interpretari cogitabamus: ut cõſtructor,
fabricatorq́; arcæ eſſet animus humanus: qui cum di
luuio uitiorum, atque uoluptatum ſummergendus
foret, niſi ſibi conſuleret, admonitu Dei, & gratia
præuertente interpellatus conſtruxit arcam, id eſt, ra
tionem, quam potentia, ſeu potius habitu retinebat,
ad actum deduxit: per quem rationis actum ſeſe tue
retur ab urgenti uitiorum impetu, & ſe liberaret à
diluuio, mortiferiq́; peccati diſcrimine comitatum
tribus maſculis, & quatuor fœminis. O pulchrum,
& fidele humani animi ſodalitium. Tres maſculi,
tres ſunt ſacræ, myſticæq́; uirtutes : quas Theologi-
cas uocant: quæ quidem tantò cæteris quatuor, quæ
fœminarum ſymbolo comprehenſæ politicæ, ſiue mo
rales appellantur, ui, uirtuteq́; præſtãt : quantò ma

sculum genus muliebri præstare compertũ est. Sicut humanus animus se indemnem, incolumemq; à fluctibus uitiorum, morteq; peccati seruare non potest; nisi secũ has uirtutes conseruatas habeat, et conseruatis his uirtutibus uitam sibi tueatur: ita huiusmodi uirtutes, seu contineantur natura hominis tanquam habitus, seu superent, excedantq; naturam eius, tanquã inditæ diuinitus, atq; infusæ, in homine ipso non nisi cum animo cõseruantur, non nisi societate animi uitam, consistentiamq; sibi tuentur. Sed his uirtutibus unà cum animo tuendis, atq; conseruandis, porrigit adminiculum, operamq; præstat ipsa ratio: quæ cum ab animo ex habitu in actum deducta discernit bona à malis: & finis naturam discutit: in causa est, ut animus dirigatur, ordineturq; in Deum summum bonum, uerumq; finem, & unà cum uirtutibus tam sacris quàm moralibus: sine quibus ordo, directioq; in Deum cõstare non potest, conseruetur incolumis, & morte peccati, uitiorũq; pernitie liberetur. Nihil prohiberet, si experirer, quin ostenderem cætera omnia tam contemplatione arcæ, quàm arca contentornm congruenter posse ad hanc nostram interpretationem accommodari. & non diffiderem, si diligẽter excuterem, huic nostræ interpretationi, non solum quæ latitudinem, longitudinem, altitudinem, quadrata ligna, ostium, fenestras, proportionemq; partium arcæ respiciunt, congrua symboli, reiq; aptitudine applicare, sed etiam ex patris, filiorum uxoris, nurũ personis aliquid elicere, quod uideri posset satis cõuenire, & optime quadrare. Sed

ne nimis ambitiosè hac in re agere uidear, & curiosiori indagatione uti, quàm pro rei natura conueniat: & ne in id, quod antea uitare professus sum, imprudenter offendēs lōgiori tractatu agam, quàm ex rei propositæ instituto sit, libens id negocij prætermittam: quod planè à me exigeret plus diligentiæ, & laboris in dicendo, quàm uobis afferret utilitatis in audiendo: cum quæ explicata sunt, uideri possint esse satis ad principalis nostri instituti rationem comprobandam. Quapropter cum nihil repugnet, quominus superstite etiam historia tam sensus repræsentatæ humanæ salutis: quæ futura erat ex Christo, Christiq; Ecclesia: quàm nostra de humano animo Dei beneficio, operaq; rationis ad meliorem uitæ rationem restituto interpretatio, ueritatem commodè, signāterq; continere possint: superest, ut ex propositi nostri ratione uos interpellem ad cogitandum, & considerandum, quantum in genus humanum curæ, & charitatis specimen ediderit Deus: dum perdendi illato diluuio, seruandi mandata arcæ constructione eius rationem habuit: dumq; huiusmodi rei symbolo uoluit eidem innotescere futurā liberationem ab ærumnis, & morte: & dum deniq;, quos prospexerat nisi consuleret, periclitaturos diluuio, eos gratiæ suæ beneficio excitauit in id cogitationis: ut rationis opera ad studium uirtutum, & religionis conuerterentur, & mortiferi peccati pernitiem deuitantes, in cultu sincero religionis, alacriq; uirtutum studio degerent, atque conquiescerent. Singularem quidem aduersus hominem charitatem ostendit Deus, dum demon=

strato tam benignè, tamq; amanter euadendi remedio eum liberauit à clade diluuij: ut si res ipsa exactè consideretur, non minorem propemodum charitatis, & benignitatis significationem uideatur edidisse in eo conseruando, quàm in eo ediderit condendo, atque creãdo. Hoc tamen interest inter creatum, seruatumq; hominem, quòd cum creatus esset beatioris, indemniorisq; uiuendi conditionis, ingratiorem se tamen præstitit: cum uix accepto uitæ, & felicitatis beneficio, aduersus eum, à quo acceperat, peccauit grauiter, & ab eo nihil minus, quàm beneficij memor desciuit, atque rebellauit: seruatus uerò uix se liberatum comperijt, uix se periculo exemptũ conspexit; cum beneficij maximè memor, & acceptæ liberationis impense gratus ara constructa, erectoq; altari, sacrificiũ, holocaustumq; ei obtulit summa cum gratiarũ actione, à quo liberationis sumpserat beneficium. Quò factum est, ut animum, uoluntatemq; Dei adeo demereretur, sibiq; conciliaret: ut obtineret habere posteriratem: quæ eò infectionis, & corruptionis uitæ nõ esset peruentura: ut amplius opus esset diluuio ad eam abolendam, atq; exterminãdam: cuius quidem obtentionis, atq; impetrationis implendæ, atq; exequendæ signum, argumentumq; perpetuum cœlo, nubibusq; edidit Deus, arcũq; Taumanticum constituit; qui fœderis, pactiq; à Deo cum homine initi, percussiq; fidem perpetuam faceret: cõstãsq; ferret testimonium apud omnem posteritatem: in quam qua affectione, qua charitate moueretur Deus, uel inde constare potest: quod eam propagatu

ris bis mandauit, bisq; ardenti præcepto iniunxit: ut liberis operam darent, ut augendo, multiplicandoq; hominum generi incumberent. Quid salubria documenta referam? quid sanctos, utilesq; monitus recenseam? quid ea, quæ animorum sanitati conducerent, quid ea, quæ corporum sospitati conuenirent concessa, exhibitaq; commemorem? Quæ omnia nimirum arguunt, atque comprobant, tam copiosam Dei erga hominum genus benignitatem, tamq; liberalem in omni genere beneficiorum præstandorum uoluntatem: ut qui paulò diligentius consideret, non minus erga eum amoris, quàm de eo ipso admirationis sit concepturus. Post cladem itaq; diluuij, hominibus ex præcepto Dei suscipiendis liberis, augendoq; humano generi enixè incumbentibus, Deoq; ipso felicitatem abunde suggerente iam effectum erat: ut nulla propemodum terræ pars, seu regio esset, quæ suos incolas, suosq; habitatores nõ haberet alijs alia loca petentibus, alioq; se transferentibus: prout ratio excrescentis, multiplicantisq; generis exigebat. Iam ex tribus illis conditoris arcæ liberis tanta multitudo hominum profluxerat, tot populi prodierant, tot nationes emerserant: ut nec insulis, nec continenti deessent: à quibus colerentur, habitarentur, frequentarentur. Iam pro diuersitate nationum diuersi inualuerant mores: iam diuersa linguarum genera inoleuerant: iam quod unum terræ fuerat labium, diffisum erat, & diuerso uerborũ sono confusum: quãdo Deus alto prouidentiæ suæ consilio, & arcano uoluntatis suæ arbitrio usus elegit

certum genus ex reliquis. quod peculiari fauore pro sequeretur: & ex quo naturæ humanæ rationem, & humani corporis condituram traheret, quem missurus erat cœlo. & quo ministro, siue authore usurus erat ad liberandum, redimendumq; uniuersum genus humanum à potestate mortis, & seruitute peccati. Id nempe est genus Hebræorum: qui ex primogenito conditoris arcæ originem trahentes, ab eius abnepote id nominis consecuti sunt. Quamuis Dei benignitas, Deiq; cura extendatur non solum generaliter in quoscunq; populos, in quascunq; nationes hominum, sed etiam singulatim in quoscunq; homines: ut nullus sit adeo humilis cõditionis, abiectæq; sortis: quem sua cura non respiciat, suaq; benignitate non complectatur, & fauore: tamen peculiari quodam, atque speciali præter cæteros mortales studio uidetur genus Hebræorũ fuisse prosecutus: quippe quos non solum circuncisione distinxit à cæteris, & inter cæteros sibi præcipue acceptos ostendit sacrorum, legumq; traditione: sed etiã elegit ex quorum genere, atq; semine humanam carnem, hominisq; naturam assumeret: qui salutis humanæ futurus esset author, & libertatis peccato amissæ uindex, atque assertor. Id quanam causa, quanam'ue ratione egerit Deus, perscrutari, etsi uidetur audacis esse nimis, atque arrogantis: cum quæ nullis literarum monumentis appareant, & quæ pro difficultate sciendi, & obscuritate intelligendi reijci tutius possint in arcanum Dei consilium: uelle indagare, & uestigatione persequi sit cuiusdam nimiæ

curiositatis: & humanæ modestiæ rationem egrediatur: tamen, quia nihil arduum adeo esse inuentu, perceptuq; difficile opinari debemus: quod saltem aliqua ex parte non possit diuina gratia opitulante intellectui humano innotescere, deesse non debemus: quin ingenium, atque intellectum difficili palestra exerceamus: ut si ueritatem ipsam pertingere non potuerimus, aliquam saltem ueritatis imaginem, aut adumbrationem assequamur: & talentum, quod nobis est à Deo traditum, sic exerceamus: ut si sorti lucrum æquare non liceat, saltem illud deffodisse non redarguamur. Cum temporis omnis ratio locum sibi uendicet, consistatq; in eis, quæ mutationi subiecta sunt: corruptioniq; destinata: & cum quidquid præteriti, aut futuri est, non cadat nisi in ea, quæ motui sunt supposita, mutationiq; addicta: in Deum, qui non solum ab omni corruptione est alienus, sed etiam nulli motui est subditus, nulliq; mutationi obnoxius: cadere omnino non potest ulla temporis præsentis, aut futuri ratio: nec eius respectu, siue contemplatione aliquid temporis possumus effingere, aut imaginari. Ea est enim Dei æternitas: ut nullam rationem temporis in se admittat, nullā proportionem ad aliquod tempus habeat: nullum ductum, siue ambitum tēporis in se patiatur. Licet in naturæ, atque artium ratione nihil excogitari possit, quod aliquid ueræ, expressæq; similitudinis retineat cum eorum aliquo: quæ Dei sunt naturæ: tamen ea ex Mathesi deducta similitudo: qua exprimitur habitus: qui est æ=

ternitatis ad tempus, non inepta planè fuerit, aut incongrua. sicut indiuisile aliquod, quod ita se iunctum sit à continuo, ut non sit terminus, siue pars continui, se habet ad ipsum continuum: cui licet non insit, tamen semper est: dum contingit esse aliquid ex eis, quæ insunt, quæq; continuum conficiunt: ita æternitas pariq; propè modo se habet ad tempus ipsum: cui licet non insit: cum motum nesciat: quo tempus omnino constat: tamen cum nunquàm deficiat, semper etiam est. Dum tempus est: id'ue est, quod tempori inest. Vt id rei magis patescat, clarioremq; ut cunq; perceptionem admittat: exemplum afferri potest ex circuli ratione. punctum enim, quod inest circunferentiæ, licet indiuisile sit: tamen non contingit esse: dum aliud est eiusdem circunferentiæ punctum situ differens: cuius quidem situs ordine continuatio ipsius circunferentiæ constat. punctum uerò, siue centrum, quod à circunferentia se iunctum est: æquè semper, & indifferenter se habet ad quodlibet punctum in circunferentia existens. Non alia propemodum est ratio siue habitus æternitatis ad tempus. Nam nihil est in quacunque temporis parte: quod æquè æternitas non respiciat: & ad quod indifferenter sese non habeat. Et licet temporis partes successione inter se differant, ut præteriti, futuriq; rationem constituant: tamen æternitas cum successionis sit omnis expers: & quancunq; partem temporis semper æquè respiciat: & ad quodcunq; eius punctum, siue instans indifferenter se habeat: nec futuri ali=

quid, nec præteriti in tempore agnoſcit: & nihil in temporis ſucceſſione, ſeu perduratione continetur: quod ei præſens ſiue inſtans non ſit. Cum igitur Deus ex ſuæ æternitatis ſpecula omnia, quæ temporum ſucceſſionibus ſunt ſubiecta: & quæ curriculis temporum, atque dimenſionibus tranſiguntur: præſentia ſemper habeat, & expoſita: non mirum, ſi rerum ſucceſſus perſpectos, ſi hominum actiones cognitas habet, priuſquam temporis ſucceſſio, cui ſubiectæ ſunt, patiatur eas oriri, ſenſibusq; innoteſcere humanis. Semper nouit in æternitate ſua Deus quidquid ſucceſſurum, quidquid agendum in humana natura foret ab origine rerum, mundiq; usq; ad finem. Perſpectum ſemper habuit, atque cognitum: ſi in omnes æqué tam nationes, quàm populos beneficum ſe præſtaret, & benignum: & omnibus gratiæ ſuæ ineundæ, bonitatisq; ſuæ fruendæ occaſionem offerret: copiamq; faceret: quinam hominum oblati boni conditionem eſſent accepturi: & factam copiam non forent dimiſſuri, neque contempturi. Qua ratione id genus hominum elegit Deus, quos peculiari fauore proſequeretur: quos ſingularibus beneficijs afficeret: in quos fauorem non fruſtra exercitum iri, nec beneficia malè iri collocatum ſciret. quos enim nouerat beneficij oblati rationem habituros, & boni aſſequendi occaſionem non prætermiſſuros: in eos ſe maxime liberalem præbuit: in eos ſe præcipue beneficum præſtitit. quos uerò ſcierat oblata bona non accepturos, nec occaſionem conſequendi beneficij arrepturos: eos non curauit

adeo peculiariter fouere, nec beneficijs adeò liberaliter prosequi: ne eorum causam tantò deteriorem redderet: quantò pluribus beneficijs accideret eos frustra fuisse affectos, atque prouocatos. Quò fit, ut non solum de eis quos in offerendis beneficijs peculiari ratione complecti uideatur: benemereri sit censendus: sed de eis etiam, quos non oblatis adeò peculiariter beneficijs arcet ab occasione grauius peccandi, deterioremq; suam contemptis beneficijs conditionem faciendi. O stupendam diuinæ bonitatis, atque prouidentiæ rationem. Summum quidem bonitatis suæ testimonium fert Deus: dum quos nouit sui fore studiosos, beneficiorumq; oblatorum rationem habituros, se præbet eis ultrò, beneficia offert: peculiariq; fauore indulget: Quos uerò cognitos habuit: qui nec benefici, nec beneficiorum ullam rationem forent habituri: eis nec sese ultrò obtulit, nec se peculiari beneficio liberalem ostendit. Ex uobis hic fortè quispiam obijciet, & quæret: cur, si Deus, qui propter summi, uniuersalisq; boni rationem, quam in se continet, præcipuus, perfectusq; est scopus humanæ uoluntatis: quæ naturaliter bonum expetit, se peculiariter habuisset cum cæteris mortalibus: uti se habuit cum gente Hebræorum: & eis tum monendo, docendoq;, tum bonam uoluntatem tribuendo non defuisset, pro ut nec defuit Hebræis: existimandum non sit, eos æque, uti Hebræos in uitæ integritate, cultuq; ueræ religionis fuisse profecturos. Hic animaduerto magnæ disceptationis, arduæq; difficultatis campum aperiri: in

quo cum ueteres sacrarum literarum interpretes tum contendendo enixè, tum luctando uiriliter laborarint multum, atque desudarint: indecorum fortasse non esset nobis, qui nec arte adeò pollemus, nec uiribus; si arena cederemus, & ualidioribus lacertis id genus palestræ relinqueremus subeundum. Sed quia pium, & religiosum duco, unumquenq; pro facultatibus suis, atque opibus aliquid muneris, atque pecuniæ in gazophylatium, sacrumq́; ærarium deferre: non uerebor interim, neq; erubescam exemplo uetulæ illius, & pauperis euangelicæ pro mea ingenij, & facultatis exili substantia aliquid quoque conferre: quod licet ærarij rem non multum iuuet, neque locupletet: tamen meam testetur in diuinam religionem uoluntatem: cuius promptitudinem, atque studium non dubito, quin benignè Deus sit respecturus: cui quadrans uetulæ prodantis uoluntate, atque paupertate gratior fuit, atque acceptior omni grandi diuitum pecunia. In huius itaque rei difficultate discutienda, atque dissoluenda oportet animaduertere, quæ nam sint partes Dei in mouenda uoluntate hominis, & quæ nã sint ipsius hominis: quo liberi arbitrij ratio persistat, & necessitas omnis à uoluntate excludatur. Intelligi planè potest Deum mouere uoluntatem hominis duplici modo, uno quidem, dum propter rationem boni, quam in se continet, uoluntatem hominis, quæ natura bonum expetit: mouet tanquam scopus: altero uerò, dum uim, potestatemq́; tribuit uolendi: quæ potestas uolendi sic interpretatur: ut

uoluntas hominis, quæ bonnm natura expetit, dirigatur, exciteturq; interiori quodam motu ad id bonum expetendum: quod finis rationem obtineat, & quod summum uniuersaleq; bonum sit. Partes hominis in uolendo consistunt, dum dirigenti, excitantiq; Deo uoluntatem ipsius alioqui natura bonum expetentis, ad boni summi studium, & assecutionem assentitur: & sinit se duci: quò natura etiam uergit. Quòd si sensu agatur, & appetitu in id boni genus expetendum, quod nec summi, nec uniuersalis boni rationem habeat: et quod nulla summi boni, atque uniuersalis habita ratione expetatur: suas etiam partes in uolendo exequitur, atque implet homo. Quanuis Deus sit causa bonæ uoluntatis homini: quatenus eum excitat, atque commouet ad uolendum, expetendumq; perfectum, uniuersaleq; bonum; tamen, quatenus homo huiusmodi commotioni non repugnat, sed se sinit deduci ad ueri, perfectiq; boni expetitionem, atque consecutionem: tam meriti ratio constitui, quàm liberi arbitrij potestas sustineri deprehenditur. Hinc etiam omnis necessitatis, siue coactionis ratio cessare uidetur, non solum quatenus consentitur, ubi dissentiri poterat: & non opponitur obex, ubi poterat opponi; sed etiam quatenus diuino motu uoluntas hominis eò ducitur, quò deduci ipsius hominis natura, quæ bonum appetit, non abhorret: quandoquidem nulla coactionis ratio potest habere locum: cũ quid agitur eò, siue ducitur, quò natura eius uergit, atque inclinat. Vergit quidem, atque inten=

ditur homo natura ad bonum expetendum: sed cum maxime moueatur corporeis, sensuumq; appetitui subiectis: euenit, ut non habita ratione summi, uniuersalisq; boni, quod spiritu constat, & intellectu: adhæreat particulari, corporeoq; bono. Quo fit, ut relicto perfecto, ueroq; animi bono, sensibus obsequens, & rationem appetitui subijciens homo, id tantum sub ratione boni ducat, & id solum tanquam bonum uelit, atque expetat: quod præsenta neam corpori uoluptatem afferat, & sensuum appetitui satisfaciat delectando. Author itaq; istius præposteræ, atque peruersæ uoluntatis sibimet est homo: quam dum prosequitur, fouet, corroborat: se reddit auersum ab eius bonæ uoluntatis susceptione: quæ Deo authore tribuitur. Cum itaque Deus propter præsentiam uniuersarum rerum, atque actionum suæ æternitati obiectam perspectum haberet, & cognitum, quem consensum gens Hebræorum motui bonæ uoluntatis præstatura esset, & quem obicem oblatæ ueri boni expetitioni non foret opposítura: cæteras mortalium rationes tam consensum non præstaturas, quàm obicem etiam obiecturas: gentem Hebræorum elegit: quam peculiari magis fauore prosequeretur: & cui magis docendæ, atque instituendæ studeret, quàm cæteris: ne beneficij, boniq; oblati ratio periret: & noxam culpam'ue peccantium grauiorem redderet. Ne uero alicui uideamur Dei bonitati, Deiq; liberæ in eligendo uoluntati detrahere, & causam electionis meritis hominum adscribere: animaduertendum est dili

genter, cuiusq; rei causam re ipsa priorem esse, uel tempore, uel natura: ideóq; non posse fieri: ut electio quæ ab æterno est, & à Deo fit: causam sui habeat ex meritis humanis, quæ sunt in tempore, & ab homine procedunt. Qua ratione licet electio causam sui non sortiatur ex meritis hominum, sed ex mera bonitate, liberáq; uolutate Dei: tamen nihil obsistit quin Deus, quos elegit, eos sciuerit, quatenus ad se pertineret non repugnaturos, electionemq; non frustraturos. Quòd Deus gentem Hebræorum monuerit, docuerit, instituerit, beneficijs affecerit: id egit summa sua bonitate, liberaliq; 'sua uoluntate: qua uult omnes piè uiuere, salutisq; suæ in primis rationem habere. Quòd uerò se æque in cæteros mortales non gesserit: id euenit, quia nouerat in eis docendis, monendis, instituendis, beneficijsq; id genus afficiendis lusurum operam. Qua benignitate, qua liberalitate usus est Deus erga Hebræos, eadẽ quoq; erga cæteros mortaliũ usus fuisset: si æque in eis se nouisset fuisse profecturum. Sed cum nouisset, quæ beneficia pro singulari sua in omnes benignitate, & beneuolentia alioqui omnibus æque esset oblaturus: ea in uacuum non casura, si Hebræis offerrentur; nullius uerò frugis futura, si cæteris mortalibus exhiberentur: elegit Hebræos cæteris mortalium prætermissis, quibus conferrentur, quibus exhiberentur. Quemadmodum si quis princeps, qui pro sua animi liberalitate, & pro sua beneuola in subditos uoluntate paratus sit æque in omnes benefici, & liberalis officium exercere:

cere: pacto aliquo, siue modo cognouerit aliquos ex subditis fore, in quos si exerceat beneficentiam, malè collocaturus sit: beneficam liberalemq; manum ab eiusmodi cohibendo, cæteris porrigeret: quos nosset non abusuros huiusmodi beneficentia, nec situros, ut officium liberalitatis in se exercitum à principe uideri possit malè collocatum: non aliter Deus, qui pro sua bonitate, & munifica uoluntate paratus erat se beneficum æquè, & liberalem omnibus præstare, continuit se, quo minus beneficium præstaret: munificaq; manu uteretur erga eos: quos nouerat beneficium susq; deq; habituros: & beneficam, liberalemq; manum extendit in eos solũ: quibus acceptum fore beneficium, & liberalitatem non ingratam nec irritam animaduerterat. Subditorum promptitudo in accipiendo munere, atque beneficio à principe in causa non est ipsi principi, ut se munificum præstet, atq; beneficum: sed cum suapte sponte, suapteq; natura liberalis sit, & beneficus: accidit; ut qua beneficentia alias usurus fuisset erga omnes: si omnes æque beneficij studiosos, & munus accepturos agnouisset, utatur duntaxat erga eos: quos nouit fore, ut promptè accipiant: & bene utantur accepto; prætermissis illis, qui non minus contempturi sint beneficium, quàm liberalitate principis in se abusuri. pari igitur modo Deo ipsi, qui fons totius bonitatis, & beneficentiæ est: & qui causam omnem continet in se bonitatis exercendæ, & beneficij, atque muneris conferendi, in causa non fuit promptitudo Hebræi generis, siue consensio, quam

nouerat futuram in accipiendis beneficijs, & admittendis muneribus: ut erga eos se beneficum præberet: sed sua genuina bonitate motus, sua libera, beneficaq; uoluntate inductus, quidquid collaturus erat omnibus, eis duntaxat contulit: quos nouerat non contempturos, neque insolenter, aut ingratè detrectaturos. Id rei siue tractationis arbitror illustrius quoq; effici posse quadam alia similitudine, siue exemplo: quod ualde appositum, ni fallor, & congruum fuerit ad indicandum, atque significandum: quemadmodum tam omnis electionis, quàm prædestinationis etiam ratio: quæ beneficijs in hominem conferendis constat, & in felicitate atque salute homini tribuenda cõsistit: causam propriam, genuinamq; trahat, atque deducat non ex meritis aliquibus hominum, sed ex mera bonitate, beneficaq; uoluntate summi, magniq; Dei. Licet nihil rei, nihil intellectus humani sufficiat diuinæ gratiæ, atque prouidentiæ exprimendæ, atque significandæ: tamen pro ea, quæ est in effectu quoque efficientis ipsius, causæq; agentis similitudo, siue uestigium: ex his quæ obiecta sunt uisui, & quæ humanis sensibus oblata sunt, possumus quãdoq; in aliquam Dei, diuinarumq; rerum cognitionẽ peruenire: & aliquid consequi; quo intellectus curiositas aliquatenus con quiescat, & importunæ ingenij humani inuestigationi aliqua ex parte satisfiat. Sicuti uidemns hunc, quem mundi oculum uocat, atque regem Orpheus ille: & quem filium Dei appellat Plato, omnem causam luminis atq; splendoris in se continere, & sua=

pte natura, ſuapteq́; proprietate illuſtrare, illumina req́; omnia, & ſi qua ſint, quæ ab illius ſplendore abhorrentia non illuſtrentur, non ideo quæ expoſita illuminantur, in cauſa eſſe, ut illuminentur: cum omnis illuminationis cauſa ab ipſo proueniat: licet quandam ſui illuminandi occaſionem uideantur præſtare, quatenus exponuntur lumini, & à lumine, cum poſſint, non ſe ſubtrahant: cur non eodem modo arbitramur in electione agẽda, in lumine ſuæ gratiæ cõferendo? in prædeſtinatione ad ſalutem facienda ſe habere Deum: ut ſua mera bonitate & liberali uoluntate, quidquid boni, atque beneficij eligendo, illuminando, prædeſtinando confert homini, intelligatur conferre: licet ex parte hominis exigatur occaſio effectus in ſe producendi miniſtrandæ cauſæ. Poſtquam difficilem, periculoſumq́; uorticem ope diuina iam ennatauimus: eò reuertamur: ubi ſeriem noſtri inſtituti reliqueramus: & proſequamur explicare Dei largam, beneficamq́; in genus hominum charitatem: cuius quidem declarandæ, atq; ſignificandæ cum maior occaſio præſtita ſit ab Hebræis, procedendo ulterius ſolum in genere Hebræorum uerſabimur: cæteras mortalium nationes: in quas non adeo peculiarem, non adeo apertam, teſtatamq́; monumentis beneficentiam Dei, atque charitatem habemus, interim prætermittendo: donec ad rei cardinem perueniatur, in quo appareat uniuerſi generis, omniumq́; gentium æquè habitam à Deo eſſe rationem: & maximam, ſingularemq́; in omnes mortales Dei extitiſſe charitatem. Diffuſo igitur

per uarias mundi regiones hominum genere: linguarum, loquendiq; uarijs constitutis modis, Deus genus Hebræorum, quod præcipuè foueret, peculiariq; fauore prosequeretur, elegit. Electionis huiusmodi initium licet referri fortè posset ad eum, à cuius nomine Hebræi sunt appellati: tamen euidens electionis testimonium nullũ apparet, nisi cum Deus, quem uirum Hebræum non minus fide, & constantia, quàm pietate spectatum de fornace Chaldæorum liberauerat: amicè eum, familiariterq; appellando iussit ex regione Chaldæorum, siue ex Mesopothamia concedere in terram Canaan. Pollicitus est ei domo paterna, laribusq; patrijs decedenti se effecturum: ut tantum posteritatis, & progeniei ex eo prodeat: ut in populum numerosum, & in gentem summè copiosam ea sit euasura: se curaturum, ut nomen eius & gloria inter mortalium genus sic innotescat, ut summa celebritate pariq; honore afficiatur: & denique cum eo sic se acturum: ut non solum ei sit bene, rebusq; eius, sed etiam omnibus, quicunque ei bene optarint, beneq; fecerint, sit bene euenturum: contraq; malè eis, quicunque contra eum malè fuerint animati, & studio nocendi agentur. O' egregiam, & magni amoris, atq; beneuolentiæ diuinæ erga hominem indicem pollicitationem: quæ cum tam corporis & animi, quàm rerum contineat prosperitatem: nullũ genus bonorum fit reliquum: quod in se non comprehendat, atque complectatur. Paruo post tempore cum uir Hebræus regione, quam iussu Dei accesserat, relicta, urgente fame, cogen=

teq́; rei frumentariæ penuria petijsset Aegyptū, pollicitationis diuinæ quatenus minabatur malum, à quibus malè foret habitus, successum cœpit experiri: quandoquidem Rex ille Aegyptius, qui uxorem eius interceperat, cum grauem ei ignominiam moliretur, grauiter percussus à Deo malè habuit: ut coactus sit unà cum uxore inuiolata eum incolumem dimittere. Hunc ex Aegypto reuersum adeo ditauit Deus, adeo omni rerum copia refersit, ut siue greges ouium censerentur, siue auri argentiq́; copia perpenderetur, quosq; uel ditissimos æquaret facultatibus. Cum propter sedandas pastorum factiones, pascendosq́; commodius greges, facta potestate nepoti in quam uellet regionis partem, secedendi: habitaret seorsum: eum conuenit Deus, conuentumq́; iussit ex loco, in quo erat, usquequaque prospicere tam in orientem, & occidentem, quàm meridiem, atque aquilonem uersus: & indicauit fore, ut omnes, quas ex omni parte orbis prospiceret, oculisq́; lustraret regiones: subijcerētur eius potestati, eiusq́; semini subderentur: quod adeo numerosum esset futurum: ut puluerem terræ, arenamq́; maris propemodum esset numero adæquaturum. Postquam liberato ex captiuitate nepote contra hostes uictoriam ope diuina adeptus fuit: & principem Sales, eundēq́; sacerdotem factum sibi cum pane, & uino obuiam decima manubiarum parte honorauit: & cæteris tum quorum fuerant restitutis, tum inter socios diuisis, nihil prorsus sibi prædæ retinuit: domū reuersus Deum audiuit adhortantem ut confideret: &

pollicentem, se fore eius protectionem, atq; mercedem: nec ulla in re ei defuturum. Cum uerò, quid mercedis, quid rei daturus esset, requireret, quod orbitatem solari posset: & quod sibi non susceptis liberis satisfacere quiret: Cœlum Deus iussit ut suspiceret, & stellas si posset, numeraret: & quot illæ essent, speraret omnino tot de semine suo prodituros homines. Qui ter iam audierat à Deo factã mentionem sui seminis, qui iam plurimam gentem hominum esse progressuram ex se Deo attestante acceperat: qui progeniem instar arenæ, terreniq; pulueris numerosam sibi fore Deo promittẽte intellexerat: non prius plenam fidem Dei uerbis adhibuit, nõ prius diuinæ promissioni perfectè credidit, quàm quartò eiusdem rei admonitus est: eductusq; foras, iussus est Cœlum suspicere, Cœliq; stellas recensere. O arcanum sensum, ò reconditam humani profectus, & diuinæ gratiæ rationem. Cum nõdum sua terra, sua cognatione egressus esset uir Hebræus: promissioni diuinæ de semine propagando non crediderat. cum adhuc transiret, peregrinareturq; per terram Canaan: admonitus sui seminis fidem non adhibuerat. Cum ex loco, in quo erat, directa acie prospicere terræ plagas iussus est, de semine suscitando, multiplicandoq; pollicitationi fidem non præstiterat. Cum uerò eductus foras, iussus est suspicere Cœlum, stellasq; Cœli recensere: tum credidit omnino, tum plenam fidem adhibuit: quæ quidem fides, atq; credulitas in causa fuit, ut iustitiam, perfectamq; animi rectitudinem consequeretur. Non prius firmiter credi

dit, non prius solidam fidē adeptus est, qua iustiti=
am consequeretur: quam quaterno uitæ profectu
promotus, & quadruplici diuinæ gratiæ motu inter
pellatus, non solum quæ seminalis, corporeæq; propa
ginis tantum uideri poterat, promissionem accepit:
sed etiam intellexit suspecto Cœlo, quæ futura esset
spiritalis propaginis ex se ratio. Si quid fidei, ter se=
minis propagandi admonitus contraxerat superante
adhuc spe aliqua, pro sua uxorisq; conditione susci=
piendæ sobolis: cum eius rationis non esset, ut penitus
ex Deo penderet: penitusq; causam à promissione di
uina traheret: non mirum uideretur, id si proceden
te tempore, ingrauescente ætate, corroborata sterili
tate efflueret omnino, atq; deperiret: & prout eti=
am pendens aliunde nihil firmi, atq; solidi ex diuina
promissione ab initio contraxisset: ita nec iustitiam
ullo pacto parere posset. Postquam uerò omni hu=
mana ope destitutus, & rem promissam diffisus pos
se amplius opera sua, atq; coniugis succedere, propa
gandi seminis adhuc promissionem fieri, repetiq; à
Deo animaduertit: se totum ita Deo addixit: ita to=
tam mentem, atque animum in Deum direxit, ita
in promissionem Dei omnino intendit: ut certò crede
ret, quod ei placeret, omnino euenturum: & fir=
mam, perfectamq; fidem conciperet: qua iustitiam
consequeretur. Animaduertite quæso hic paulū mei
ciues, quam curam gesserit, quo studio usus sit De
us erga hunc hominem: quò participem suæ perfe=
ctionis, & gratiæ efficeret. Cum semel, bis, terq; ad
monitum eum esse non uideret sufficere ad fidem

in eo perfectè formandam, iustitiamq; ex fidei perfectione constituendam, manu sua acceptum eduxit foras: cœlumq; iussit suspicere. O speciosum rei mysticæ indumentum. Non poterat homo continens se domo corporis, tectoq; domestici, corporeiq; sensus obductus, cœlum suspicere: & quæ Dei sunt agnoscere, atque assequi. Ope diuina, diuinoq; ductu domo egreditur: & de tecto foras, sub diumq;, & in lucem educitur: ut possit cœlum intueri: & quæ cœli, atque Dei sunt, nullo impediente contemplari: & ut intuendo, contemplandoq;, fidei perfectæ diuino munere facta adeptione, consequatur iustitiam: quæ Deo cohæreat: Deoq; ipsi, quatenus humanæ naturæ ratio patitur, similis efficiatur. Apprehenditis'ne hinc ciues mei, cuiusmodi esse, & qualem se præstare oporteat hominem: cui perfectam fidem inesse meritò queat existimari? Agnoscitis'ne, quali fide, qua fidei perfectione opus sit homini: ut iustitiam consequatur? Quisquis adhuc domi est, & sub tecto uiuit, nec se eductum foras comperit: ut liberè possit cœlum suspicere, & speculari: decipitur planè: si putet eam se fidem habere: quæ ad iustitiam constituendam sit necessaria. Cum multiplex ita sit fidei ratio: ut alia sit informis, alia ruditer, alia ineptè, alia fucatè effigiata, siue conformata: non alia profecto ex fide contingit iustitiam parari homini, quàm ex ea, quæ sit liberalis, absolutæq; formæ. Quò fit, ut si quis, qui licenter uiuat, uoluptatibus inseruiat, impotenti affectu agatur: iactet esse sibi fidem: qua iustitiam consequi ualeat: eum nō solum

existimem ea carere fide, qua iustitia paratur, sed nec ullam rear habere, quæ forma sit prædita: nisi informi quoq; eum carere consentiam. O impudentem hominum audaciam, ò temeritatem insolentem. Cum nihil agant, quod non arguat uentris indulgentiam, libidinis obsequium, superbiæ tumorem, audent tamen fidem suam iactare, fidem suam inculcare: qua possint iustitiam consequi, similem fungo propemodum fidem facientes: qui quæcunq; ex terra tam amara, quàm dulci, tam rara, quàm densa proueniat; ex tempore, & nullis radicibus actis oriatur, & auferatur nihil immutata soli facie. Quid minus fieri potest, quàm ut, qui studio corporalium detineatur, idem curet spiritalia, & qui deseruiat sensibus corporis, idem rationem ducat spiritus? Quid dictu, cogitatuq; est absurdius, quàm ut quis Deo confidere censeatur, Dei promissis præstare fidem existimetur, qui nihil minus curet, quàm quorum causa confidere posset: nihil minus agat, pendatq;: quàm quorum gratia fidem præstare uideri quiret? si fides cōsistit in his quæ tradita promissaq; sunt à Deo, credendis atque sperandis: quid minus arguere potest fidem, quàm nihil eorum agere, quæ à Deo constitituta sunt agenda: quo promissa succedant, & tradita comprobentur. Postquam uir Hebræus fidei munere consecutus est iustitiam, perhibetur Deus eo ultra compellato percussisse fœdus, pactoq; inito promisisse se ei, eiusq; posteritati perpetuo futurum amicum, beneuolum, propitium, nec unquam defuturum ope,

fauore, conſilio, patrocinio: exegiſſe uerò ab eo, quod eſſet inditium acceptati fœderis, & teſtimonium præſtiti pacto conſenſus: ut tam ipſe, quàm maſcula eius omnis poſteritas circuncideretur. Neſcio propemodum ciues, & ſi diligenter conſiderem, plus'ne in huiuſmodi pacto, ſeu fœdere diuinæ benignitatis, atque charitatis erga hominem appareat, atque oſtendatur: quàm myſterij, moraliſq; arcani contineatur, atque deliteſcat. Egregiam ſanè benignitatem, ſingularemq; charitatem oſtendit Deus hoc fœdere erga hominem: cui non ſolum ſe ultrò obtulit amicum, & fautorem: ſed etiam ſpopondit nullum genus officij præteriturum, nihil ſtudij, curæ, operæ ſe prætermiſſurum, quod poſſit eſſe ei uſui, commodo, ſaluti. Non tamen idcirco minus myſterij, arcaniq; moralis reor abſcondi: quandoquidem fœdus, pactumq; Dei cum homine initum: qui ex fide iuſtitiam ſit conſecutus: nihil aliud indicat, quàm conſenſum, quàm commercium, quàm ſocietatem quandam: quæ Deo reperitur eſſe cum homine: qui rectitudine animi ſit præditus, & quæ ſita ex fide iuſtitia polleat. Huiuſmodi homini qui ſimilitudine quadam Deum exprimat; Deumq; ipſum quadam affinitate attingat: quis neſciat, quis dubitet, Deum fore amicum, propitium, beneficum, nec ei ullo modo defuturum, nec eius poſteritati, ſiue progeniei, quæ eum uita referat, & moribus: quoniam diuinæ promiſſionis ratio non tam eos, qui ſanguinis uinculo, quàm qui uitæ ſimilitudine coniuncti ſint, reſpicere omnino intelligenda eſt.

Circunciſio, quæ continere perhibetur teſtimonium
diuini fœderis ab homine acceptati: ſymbolo conue
nienti, atque appoſito cum deſignet ratione mem-
bri, in quo fit, deciſionem eorum, quæ tum ex ge-
neratione infecta contrahendo: tum nimis indul-
gendo ſibi, incontinenter committit homo: quis non
intelligat fœdus cum Deo non habere ratum: nul-
lam cum Deo præſeferre conuentionem: quicunq;
neglecta circunciſione ſe libidini dedat, ſe luxui im
pendat, ſe uitiorum fœditate contaminet? fœderi
tam benigne, tamq; amice à Deo propoſito pater ille
futurus multorum conſentiens, uix ſe circuncide-
rat, cum beneficentiam Dei, & charitatem fœde-
re promiſſam expertus eſt: & ſuſcepto ex uxore fi-
lio, quem iam fide conceperat, promiſſionis factæ ſuc
ceſſum animaduertit inchoari. Sed quia perſpicio
ſacrum Moſis monumentum non tam pulchram hi-
ſtoriæ explicationem, quàm diuinorum arcanorum
ſignificationem continere: non grauabor hic tum hi
ſtoriæ ſeriem recenſere, tum quæ myſtica ſignificen
tur, enucleare. In conualle Mambre apparuit De-
us Abraamo ad hoſtium tabernaculi conſidenti ſub
ipſo diei feruore: qui ſimulac extulit oculos, tres
conſpexit ſibi appropinquantes: quibus conſurgens
perexit obuiam: & ſummiſſus, adoranſq; dixit. Do
mine ſiquid uis mihi gratificari, ne progrediare ulte
rius: ſed diuertens apud nos officium, hoſpitiumq;
ſerui tui ne detrectes. Sinite id ſaltem à uobis impe
trari: ut tandiu moremini, quouſq; ablutis pedi-
bus, & allatis cibarijs uos feſſos de itinere pauliſper

recrearo: quod quidem per uos si mihi licuerit, per me licebit uobis postea, ut eatis, quò magis libuerit. Qui precibus rogantis annuentes, simulac lauto conuiuio accepti comederunt: quæsiuerunt, ubinā uxor eius esset: & ubi acceperunt eam esse in tabernaculo, perhibentur dixisse. De hinc annum reuertens te inueniam auctum filio, quem suscipies ex uxore: quod dictum ubi uxor mariti, suiq; conscia risu excepisset: conuersus ad eum Dominus dixit: Reuertar huc inquam ad condictum tempus, & inueniam uxorem tibi peperisse filium: nec est, cur ideo rideat uxor, tuam, suamq; ætatem respiciens, quoniam nihil inuenitur, quod Deo possit esse difficile. Quibus auditis cum negaret uxor correpta timore se risisse: redarguta est à Domino, & conuicta mendacij. Deinde surrexerunt uiri: qui cum direxissent oculos aduersus Sodomam: hospiti, qui eos deducebat, dixit Dominus: non placet ex his, quæ gesturus sum, quidquam te celare: quoniam noui te futurum, qui filios, domumq; tuam doceas, nostro cultui inseruire, nostrasq; uias custodire. Non longiori, quàm necesse sit, historiæ narratione utar, nec ulterius progrediar prosequendo tenorem historiæ, quàm nostri instituti ratio postulet, & explicandorum arcanorum occasio requirat. Non tamen conuallis Mambres interpretationem prosequar: non ostij, non tabernaculi, non meridiani feruoris symbolo explicando insistam, sed solum unitatis diuinæ, triumq; diuinarum personarum indicatum mysterium attingam: & nostri seruatoris

conceptum multa, congruáq; similitudine adumbratum explicabo. Cui Dominus apparuit considenti: eidem attolenti oculos apparuerunt tres uiri. Qui Deus unitate naturæ uel cuilibet leuiter intuenti unicus apparet: idem perspicacius consideranti tribus constare personis comperitur. Qui unum Domini nomine compellauit orando, inuitandóq;: ut ad se diuerteret, apud séq; maneret: is mox offerendo officium, atque præstando, tres indicans pluraliter appellauit. sicut Dei omnes actiones tam hominis, quàm reliquorum causa exteriores unius naturæ, atque substantiæ rationem respiciunt: nec distinguntur, separanturq; ratione habita personarum: sic pietas hominis erga Deum, sic reuerentia religiosi cultus expostulat: ut tres agnoscãtur personæ, & in exhibendo officio, præstandóq; obsequio diuinarum personarum trinitas admittatur. Sed quia actiones, quæ alioqui unitatem diuinæ naturæ respiciunt, & ideo communes sunt trium personarum: quadam peculiari ratione, & proprietate distinctè, separatimq; uidentur tribui personis: ac ratione fit: ut cum tres accepti conuiuio comederint, tres de uxore quæsiuerint, tres consurrexerint, ad uersúsq; Sodomam respexerint: dumtaxat tamen unus memoretur fuisse, qui suscipiendum filium prædixerit; qui risum uxoris redarguerit, atq; mendacium: & qui deducenti, comitantiq; hospiti protulerit, se nihil celaturum eorum, quæ gesturus esset. Diuinæ unitatis, & trinitatis symbolo exposito superest: ut æque diuini conceptus symbolum ape-

riamus: quo nihil eorum, quæ proposuimus, prætermittatur, quo minus exequamur. Ab eo, qui non solum Deo ipsi credendo consecutus erat iustitiam, sed circuncisione usus omnem libidinis affectũ in se exciderat, & omnem intemperatæ concupiscentiæ stimulum resecuerat: concipitur ex uxore sterili, atque anu filius. Ex uirgine, carnalis concupiscentiæ exclusa omni opera, diuini spiritus ui, uirtuteq; duntaxat agente, atque operante concipitur item filius. Quæ uirgini naturaliter est concipiendi impotentia, eadem ferme, similis'ue est anui, atq; sterili. Quæ ratio est sterilis, anusq; concipientis, eadem ferme est uirginis. Quæ filij conceptio facta est uiro operante, qui recisa libidinis cura, & impotenti Veneris æstu restincto ageret: apte nimirum, & congruè indicat, designatq; eam conceptionem, quæ diuino spiritu operante confecta est nulla intercedente libidinis opera. Huic symbolo multum adijcitur similitudinis, & congruentiæ, quatenus quæ prædictio concipiendi filij facta est sterili, eadem ab Angelo facta est uirgini: & quæ orta est uirgini propter humani concubitus ignorationem dubitatio, siue incredulitas futuræ conceptionis: eandem risu præsetulit, atque expressit anus sterilis: nõ minus annositatis, sterilitatisq; suæ habita animaduersione, quàm mariti, suaq; ipsius ab immondo Veneris concubitu auersione, atque abstinentia cõsiderata. Ex sacræ, quam retulimus historiæ tenore, nihilominus & magnum specimen colligitur benignitatis, charitatisq; Dei erga hominem: qui non

ſolum ei ſe oſtendit, ſed etiam ad eum diuertit, apud eũ cõmoratus eſt: cum eo diſcubuit, ei ſuſcipiendum filium prædixit: & denique eorum omnium quæ geſturus erat puniendo ſceleratos, admonuit: quatenus ea poterant uel ipſi eſſe uſui, uel ſoboli eius, generi ue inſtituendo ſiue, admonendo expedire. Nec paruum tulit teſtimonium ſuæ erga hominem beneuolentiæ, & charitatis Deus cum, Abraamo exquirente declarauit ſe temperaturum ab excindendis populis Syriæ flagitioſe uiuentibus, ſi contingeret ex eis inueniri decem homines, qui probate uiuerent, & integritate uitæ præſtarent. Cum tot populis, tamq́; numeroſæ hominum nationi, à quibus omni genere iniuriarum laceſſitus, omni ſcelerũ colluuie prouocatus fuerat ad ultionẽ, ſuppliciumq́; ſumendum, parſurus eſſet cauſa decem hominum: qui reperirentur apud eos piæ integræq́; uitæ: non ne aperte comprobauit, teſtatumq́; reliquit? quanti apud ſe foret conditio hominis: quantum defferret ipſi homini; cuius amore, ſiue cauſa de tot iniurijs, quibus affectus fuiſſet: de tot offenſis? quas accepiſſet, ultionem prætermiſſurus eſſet. Sed cum ex tot unus duntaxat pietate præditus, & probitate præſtans inuentus eſſet, eo liberato, conſeruatoq́;, genus illud hominum nefarium, capitaliq́; inimicitia ſibi infenſum deleuit penitus: & urenti perdidit excidio. Qui propter decem probos, iuſtosq́; homines parſurus erat quinque Ciuitatibus comburendis: idem uni æquè conflagrandæ pepercit propter eum, qui uitæ probitate liberatus ab

incendio in eam se receperat. Hinc duco ciues nobis maxime esse laborandum: ut tales euadamus uiuẽdo: ut non solum nosipsi digni simus amicitia, patrocinioq; Dei: sed etiam nostri causa, nostriq; amore Deus parcat nostris: qui uel communione legum nobis coniunguntur, uel eiusdem religionis agnitione nos attingunt. Quòd si eo nequitiæ atq; prauitatis peruenimus nos, ut inueterata malè agendi consuetudine detenti nolimus à uitijs, & ab iniquitate interim desistere: saltem aliquam rationem habeamus eorum, qui uitæ integritate spectati, & religionis obseruantia insignes Deo maxime cari sunt, atq; accepti: quorum præcibus, & obsecratione permotus Deus uindicem manum contineat à nobis, & ab ultione delictorũ nostrorum iustitiæ arceat flagellum: quousq; uel eorum exemplo meliores euadamus, uel cumulatis eorum precibus, & meritis fiat; ut leuiorem, mitioremq; Dei ultionem subinde experiamur: et aliquid grauioris: quod nostrapte culpa alioqui mereremur, supplicij à Deo remissum diminutumq; sentiamus. Sed nescio qua inscitia animorum, & cæcitate fiat: ut cum per nos minus studeamus eiusmodi effici, qui possimus ultricem Dei manum declinare, nihil minus curemus, quàm cõsuetudinem, atque commertium eorum: qui tum monitis, & exemplis possint ad meliorem uitæ rationem nos alicere: tum meritis, & obsecrationibus ab imminentibus diuinæ ultionis flagellis, si non penitus, saltem magna ex parte liberare. At huiusmodi hominum consuetudinem non solum nõ quærimus,

rimus, ſed eos auerſamur, ut angues: eos maledi=
ctis inceſſimus, iniurijs afficimus, proſequimur o=
dio, deridemus, ſubſannamus. Quod quidem tot
noxijs alioqui accedentibus tantum abeſt, ut arbi=
trer impunè diutius proceſſurum fore: ut mihi non
aliam propemodum uidear uidere, niſi reſipiſcamus,
imminere cladem, ac fuit illa: quæ illata ſcribi=
tur eis, qui domum iuſti, pijq; hominis auſi ſunt
impetere: & in grauem eius iniuriam, atque con=
tumeliam ius hoſpitalitatis uiolare. Sed ne fortè ui
deamur præter inſtituti noſtri rationem à beneficen=
tia Dei ad ultionem pertranſire: illud præclarum fa
cinus, & mirabile adgrediemur explicare: cuius ra
tionem, atque tenorem nunquam ferè memoria re
peto, reuoluoq; intellectu: quin niſi quidquid bo=
ni, præclariq; continet, agitq; homo, referendum o=
mnino Dei benignitati acceptum arbitrarer: hæſita=
turus eſſem: maiorem'ne ſuæ erga Deum obſeruan
tiæ, & affectus parendo ſignificationem edidiſſet ho
mo: an ſuæ erga hominem ipſum beneficentiæ, &
charitatis Deus præcipiendo. Præcepit Deus homini;
ut filium ſibi immolaret. O' ſpem magnã obſeruan=
tiæ, & amoris: quam conceperat Deus de homine.
Nunquam enim Deus eò adductus fuiſſet: ut peteret
ab homine filium ſibi holocauſto offerri: niſi nouiſ=
ſet hominis in ſe eam obſeruantiam eſſe, eam amo=
ris propenſionem: ut nihil eſſet detrectaturus, ni=
hil recuſaturus, quo ſciret ſe ipſi gratificaturum.
Alioqui foret nimis abſurdum petere à quoquam a=
liquid, quod impetrari poſſe nulla uel amicitiæ uis,

uel obligationis ratio ſuaderet. Quò fit, ut quantò quid magis arduum eſt, & difficile præſtatu: tantò magis de eius, à quo id petatur præſtari, amicitia in ſe, & beneuolentia confidere cenſeatur is, qui petit. Vt quis, quantum de alio ſibi polliceri poſſit, recte dijudicet: neceſſe eſt, ut diligenter conſideret, quantum ſibi debeatur ab eo: & quæ nam ſit ratio beneficiorum collatorum: & quo animo, quo'ue amoris affectu erga eũ ipſe ſit: & quantum ſi ſe offerat occaſio pro eius utilitate, & commodo præſtaturus ſit. Metiri diligenter omnia oportet: & cauendum maximè eſt, ne quid à quoquam quis exigat, quod ipſe ex aduerſo non foret conceſſurus: ſi exigeretur ab ipſo: nec præſtari ſibi petat quidquam quod ipſe, ſi peteretur præſtaturus non eſſet. Quamobrem ratio rei ſiue facti, quod petitur, quandam rationem habet, & præ ſe ferre uidetur ſignificandi, & oſtendendi, quæ nam ſit uoluntas eius, & beneuolentia, qui petit, aduerſus eum, à quo petitur. Vnde argumentari licet, nullam propemodum à Deo potuiſſe fieri maiorem ſuæ beneuolentiæ, & charitatis erga hominem ſignificationem: quàm ab eo id expoſcere: quod inter ea, quæ cara, & accepta maxime haberet: cariſſimum eſſet, & acceptiſſimum. Quo enim animo, neceſſe eſt, fateatur, qua uoluntate opus eſt, conſentiat ſe eſſe Deus erga hominem: à quo non dubitet, à quo non erubeſcat petere filij immolationem? conſcius ſuæ erga hominem charitatis Deus, & ſuæ beneficentiæ memor in eum exercitæ, non dubitauit, neq; erubuit petere,

quod ab eo sciret non posse denegari: nisi ingratus haberi uellet: qui cum nosset se nihil habere; quod non accepisset; recusaret in aliquo satisfacere eius uoluntati, à quo recepisset: & pateretur eum frustrari fiducia, siue spe, quam ex sua beneficæ charitatis conscientia conceperat, obtinendi quæcunque flagitaret. Sicut itaq; Deus petendo ab homine, ut sibi filium immolaret, pro concepta fiducia, & pro rei petitæ conditione arguit in se eximiam erga hominem animi propensionem: promptumq́; ei benefaciendi propositum, & uoluntatem: ita uidetur ferre abundans testimonium obseruantiæ, & amoris: quem crederet esse homini erga se: à quo tantum rei auderet exposcere, & exposcendo confideret impetrare. Sed quam planè creditam hominis erga se obseruantiam, & amorem, comprobat Deus petendo, atq; imperando: eam concedendo, obsequendoq́; sic testatam, sic manifestam reddit homo: ut palam prorsus se habeat, omninoq́; constet, & nullo probationis alio genere magis indicari, aut clarius ostēdi possit. À Deo interpellatus homo, iussusq́;, ut filium, quem unicum haberet, quem ex uxore sterili, anuq́; senex ipse suscepisset: quem sperarat fore sui generis propagatorem, immolaret, holocaustoq́; offerret: nihil ingemuit, nihil hæsitauit, nihil commotus est, sed promptus, & intrepidus strato asello, concisis in holocaustū lignis accessit una cum filio locum sibi à Deo præscriptum ad sacrificādum: ubi lignis in struem, rogumq́; congestis: & arrepto, alligatoq́; instar uictimæ filio & altari, struiq́;

lignorum imposito, correptum manu gladium iam extenderat: ut Deo obsequens perderet filium, atq; trucidaret. O singularem hominis erga Deum obseruantiam. O constans, ardensq; Deo obsequendi desiderium. Cui uiscera affectu non commoueantur? cui animus admiratione non obstupescat? si consideretur patrem nulla habita ratione paternæ pietatis in filium, nullo naturalis affectus in sobolem habito respectu gladium corripuisse, manuq; correptum extulisse: ut filium percuteret, filium obtruncaret, filij sanguine sese conspergeret: quò Dei petitioni satisfaceret, quò Dei præcepto obtemperaret. Discite hinc uiri Regienses, agnoscite hinc ciues mei, quanti à nobis fieri oporteat præceptum Dei: quantum conari debeamus, ut Dei uoluntati pareamus: cui quò pareret, atque obsequeretur, nouimus eum, quem pro paterno iure, quo ei obstringimur spiritali, tenemur imitari, non fuisse parsurum filij uitæ, non fuisse temperaturum à fundendo filij sanguine. Hunc imitando, huius exemplo inhærendo procuremus: ut nihil antiquius, nihil affixius animo habeamus, quàm Deo obsequi, Dei uoluntati obtemperare: cui ut rem gratam faciamus, non solum rei familiari, opumq; facultati parcere non debemus: sed etiam, si opus sit, filios perdere, patriam prodere, uitam prodigere paratos nosmet præstemus oportet. Cur enim par non fuerit, cuius beneficio, & quo authore, atque datore, res, facultates, liberos, patriam, uitam deniq; ipsam habeamus, omnia hæc impendere, perdere, profundere,

eo exigente, eo præcipiente? Quod enim nō solum temeritatis, sed ingratitudinis etiam maius esse potest argumentum; quàm ut ei, qui non solū, quod habemus, contulit: sed etiam quotiescunq; sibi libuerit, potest nobis inuitis, quæcunq; dedit, auferre: petenti, exposcentiq; à nobis quidquam denegemus, & liberalitatis utendæ occasionem, & gratitudinis animi ostēdendæ oblatā opportunitatem graui cum dedecore, grauioriq; cum damno prætermittamus? si oblatio filij instar uictimæ facta à patre, quæ poscente eo, qui dederat, & auferre poterat, nō ualebat sine uitio ingratitudinis prætermitti: tam magnam admirationem parit, tam ingens testimonium fert obseruantiæ, & beneuolentiæ hominis erga Deum: quantò maiori admiratione digna fuerit: quantò maiorem probationem fecerit charitatis, & beneuolentiæ diuinæ erga hominem filij illa oblatio, quæ facta est à Deo causa hominis: quæ non solum sine nota aliqua ingratitudinis poterat prætermitti, sed nec etiā sine nimiæ indulgētiæ Dei erga hominem declaratione ualuit præstari: de qua quidem oblatione loquendi quia nondum appetiit tempus opportunum, mentionem solummodo facere eatenus sufficiet, quatenus symboli ratio exiget explicandi. Symbolum id sanè congruū est, & appositum, quatenus pater homo unicum habens filium, eumq; immolaturus refert patrem Deum: qui unicum filium tradidit immolandum, & pro expiatione generis humani perimendum, atq; occidendum: & quatenus filius, qui à patre immolandus erat, lignis impositus

repræsentat nostrum Seruatorem Dei filium: qui pro salute, & libertate nostra immolatus est, ligno crucis impositum. Ratio symboli multum differt à ratione rei, quatenus pater homo, quod facturus erat immolando filium, deferebat uoluntati eius, et præcepto: cui omni beneficiorum genere obstrictus erat: & cui non solum filium, quem immolaturus erat, debebat: sed reliqua omnia, uitáq; ipsam acceptam referebat: pater uerò Deus sua sponte, suáq; ultronea uoluntate actus, quod fecit immolando filium: detulit necessitati, salutiq; generis humani: cui tantum aberat, ut quidquam deberet, aliquo'ue meriti genere obstringeretur: ut cum multifariam, multisq; rationibus de eo benemeritus esset: multis tamen, uarijsq; modis offenderetur ab eo, iniuriáq; afficeretur. Præterea symbolum continet paratam à patre filij immolationem non perfectam tamen: in filio, Deo prohibente, sed in ariete: quem cornibus, capiteq; inter uepres hærentẽ post terga prospexit immolator. Quod in re uno duntaxat absoluitur: in signo siue symbolo duobus constare comperitur. Quæ futura erat nostri Seruatoris immolatio, tum filij, ut immolaretur, parati: tum arietis ipsius immolati typo comprehensa fuit, & repræsentata. Postquã audito Dei nuncio elatum manu gladium continuit pater à percussione nati: & intellexit omnino sibi abstinendum ab immolatione filij: conuersis retrò oculis prospexit arietem uepribus caput inuolutum, qui foret immolandus. Ó præclarum mysteriũ; Ó symboli arcanam rationem. Qui maiorum suorum tradi

tione acceperat futuram generis humani à morte redemptionem: & in pristinum uitæ statum, ex quo peccati causa deciderat, restitutionem: postquam filij immolationem, de qua iam conceperat animo exultaturam generis humani liberationẽ, prohiberi sibi à Deo audiuit: spe cadens, propositóq; frustratus, & de ea, quam futuram acceperat, generis humani liberatione hæsitans retrò aspexit: & post terga uidens arietem constitutum, qui foret immolandus, animaduertit Deo suggerẽte, atq; indicante, nõ morte sui filij, nec immolatione quærendam esse generi humano liberationem atq; salutem, sed postea futurum, qui destinatus immolationi esset: & qui sua morte post opprobria, post iniurias, post contumelias non dignas homine acceptas, toleratasq;: & post circunuolutum, coronatumq; tum ludibrij, tum tormenti causa uepribus, spinisq; caput redempturus esset à seruitute peccati genus humanum, & à morte. Quapropter spe ualidiori iam cõfirmatus homo: quippe qui Deo indicante generis humani liberationem nihilominus futuram agnouerat, sospitatem filij gratanter Dei benignitate attribuit, & diuinam beneficentiam, atq; charitatem erga se, genusq; humanum ualde admiratus est. Homo quidem in conseruato sibi filio beneficentiam erga se diuinam mira animi gratitudine agnoscebat: & gratias iugiter agẽdo, cogitabat assidue, uersabatq; animo: si quid agere, si quid præstare posset: quod suæ gratitudinis erga Deum testimoniũ aliquod ferre posset: & quo beneficentiæ in se diuinæ, diuinorumq; erga se me=

ritorum aliquo pacto se ostendere posset memorem.
Non tamen id genus officij passus est Deus ab homi
ne se superari. O immẽsam Dei bonitatem; O infini
tam benignitatem. Cui dedisset omnia quæ haberet:
cui substantiam, cui filium, cui uitam tradidisset: ei
quia sibi poscenti filium immolari se paratũ obtem=
perare præbuerat, & decreuerat exequi: quod sine
nota, uitioq; ingratitudinis prætermittere non pote
rat: se debere profitetur; gratias agere sustinet, &
summam erga eum animi gratitudinem retinere se
protestatur: & tanquã ingens, summumq; benefici=
um accepisset ab eo: pollicetur, iureiurãdoq; promit
tit, se ei, eiusq; posteritati semper futurũ beneficum,
nullumq; genus officij, atq; beneficij præteriturum:
quo sciat se posse ei, eiusq; posteris prodesse. Hinc a=
nimaduerti potest abũdè ciues mei, qua beneuolen=
tia, & charitate in nos afficiatur, qua benemerẽdi
de nobis promptitudine agatur Deus: qui quãcunq;
uel tenuem occasionem captat, quò nobis prodesse,
quò nos beneficijs afficere merito uideri possit. Nihil
prætermittitur ab eo, quod possit spectare, atq; perti
nere ad reddendos nos idoneos accipiendis beneficijs;
& ad efficiendũ, ut indigni omnino non uideamur:
quibus conferantur beneficia: & in quos beneficen
tiæ, & largitatis officium exerceatur. Quidquid fit,
agiturq; à nobis, quod aliquam boni rationẽ habe=
at, licet in causa sit ipse, licet id ipsius gratiæ sit tri=
buendum: tamen nobis adscribit merito, & credito
res nos cõstituens imputat sibi debito: quo beneficijs
nos iustius possit afficere: & ne prorsus immerentes,

atq; indignos beneficentia, præmijs'ue prosequi uideatur. Postquam pater multarum gentium ex cognatione sua uxorem filio accersiuit, et iam grauis annis, & ætate ualde prouectus, bonorum, facultatumq; suarum relicto hærede filio uita decessit: Deus tum paternæ in se obseruantiæ, paterniq; erga se obsequij memor: tum pro insita sibi bonitate, atque benignitate hominis maxime studiosus, & amans, id curæ, id studij, id beneuolentiæ erga filium exercuit: ut nihil ommitteret: quo suam erga eum beneficam, beneuolamq; uoluntatem testari posset, atque ostendere. Vix pater decesserat, cum ei benè imprecando, benè ominando, benè dicendo effecit: ut dignus euaderet, qui habitaret ad puteum uiuentis, atque uidentis: et tantum proficeret uirtute animi, & sanctitate, ut diuinorum uisione frueretur, & nullo penè bonorum, quæ solari in hac uita hominem, & beatum ut cunque reddere possint, genere defficeret. Idcirco diximus nullo penè bonorum genere, quæ hominem beare possint defecisse: quoniam ad summam bonorum id uidebatur deesse, quòd carebat liberis, sterilemq; uxorem habebat: quod diuino planè consilio contigisse existimandum est. Diuino inquam consilio existimandum est contigisse: ut quam uxorem duxerat, sterilitate laboraret. Quo maior suppeteret opportunitas, & aptior sufficeretur occasio beneficentiæ diuinæ erga hominem ostendendæ: & comprobaretur eam esse Deo erga hominem uoluntatem: ut nihil gratius, nihil acceptius sibi propemodum ducat posse

contigere, quàm ut occurat occasio de eo benemerendi, testandiq; suam erga eum beneuolentiam, & charitatem. Multa contingunt naturæ impedimenta: multa uim, potestatemq́; naturæ sic retundunt, consternantq;: ut aliquando non possit solitæ operationi incumbere, & impedita non ualeat exequi: quæ sibi propria ratione conueniant. Verum quæcunque naturæ impotentiam, debilitatemq́; arguentia eueniunt: eadem plerumq; deseruiunt Dei immensæ potestati ostendendæ, & beneficentiæ, benignitatiq; diuinæ erga hominem significandæ, atque declarandæ. Immolatoris filius nō eam in se Dei beneficentiam deprehendisset, non eam erga se benignitatem expertus fuisset: quam deprecando fœcunditatem uxoris expertus est, & agnouit: si natura producendo nihil impedimenti sustinuisset: & quam sterilem impotens, impeditaque tulit, custodita consuetudine sua, atque proprietate fœcundam protulisset. Vix pro fœcunditate uxori impetranda fuderat preces maritus: uix quid optaret, quid expeteret in uxore, rogando explicauerat: quòd sensit, quem rogabat exoratum, & quod optabat impetratum. Quidquid enim uitij, defectus' ue impotens pertulerat natura, Dei potestas impedimenti nescia passa non est perseuerare, sed hominis precibus, desiderioq; consentiens, quod impedimenti naturæ operanti inciderat, repulit omnino, atque disiecit. Impedimentum naturæ illatum ita disiecit, ita amouit Deus: ut quæ uitium sterilitatis euasisse uideri satis poterat unum pariendo, eius fœcundi=

tatis reddita ſit: ut uno partu geminos eniteretur. Mariti rogantis preces ita exaudiuit Deus: ita homi nis uoto, atque deſiderio abundè ſatisfecit: ut qui forte ſatis ſibi conceſſum iri putaſſet, ſi liceret unum filium ex uxore ſuſcipere: duos ſuſciperet: & Dei benignitate, atque largitate plus longe impetraret: quàm impetrare deſideraſſet. Quapropter nihil eſt ciues, cur dubitemus quidquam petere, expoſceréue à Deo: cui tam propenſa eſt nobis benefaciendi uoluntas: cui tam promptum eſt ſuæ erga nos bene ficentiæ exercendæ propoſitum, ſiue deſiderium: ut ſummopere expetat, ſummopere ambiat, ut petamus. Tantum abeſt, ut Deus pro ſua in nos benigni tate: & liberalitate quidquam à nobis ægreferat peti, atque efflagitari: ut quantò audentius, quan toq; maiori cum fide petiuerimus: tantò libentius, tã toq; efficacius petitis ſit, uotisq; noſtris aſſenſurus. Quàm cupiens, quàm ſtudioſus ſit Deus, ut petamus: non'ne compertum fecit, & manifeſtum teſti monio filij: qui pro ut Euangelicis conſtat monumẽ tis, nos ſuadet, nos adhortatur, nobis præcipit, ut petamus confidenter, & pulſemus: promittens fore; ut ſi petierimus, impetremus: ſi pulſauerimus, admittamur. Sed plurimum refert ad impetrandum quod petimus: cuiuſmodi ſit quod petamus: & quo affectu, quóue propoſito petamus. Plerunque enim contingit pro ea, qua boni, maliq; ignoratione labo ramus, & pro ea, qua ſenſuum, appetitusq; illece bra agimur: ut petamus à Deo, à Deo impetrare cu piamus: quod ſi concederetur: in grauem nobis per

nitiem cederet, & nobis ingentem calamitatem apportaret. Hinc euenit plerunque: ut longe amicio rem se nobis præstet Deus negando quod petimus: quàm nosmetipsos nobis petendo præstiterimus. Hinc etiam fit: ut quantò magis diuinæ in nos benignitati, atque beneficentiæ, non impetratis, quæ petierimus, arbitramur esse detrahendum, atque derogandum: tantò Deum in nos benigniorem, beneficentioremq; experiamur: dum nostræ ignorantiæ, atque inscitiæ compatiens non sinit id à se impetrari, quod petamus non alioqui successurum: nisi cũ magna nostra pernitie, insigniq; petitionis pœnitudine. In petendo igitur à Deo aliquid, oportet primò plurimũ cõsiderare rationẽ, naturamq; eius quod petitur: & deinde diligenter excutere quo animi affectu, quóue proposito petatur. Quòd si id, quod petimus comperiamus uirtutis rationi consentire, & perfectioni, salutique animæ conuenire: confidere debemus, & sperare, Deum nos uoti compotes facturum: dummodo pio, fideliq; proposito agamur: & dum quantum in nobis est, quantumq; nostræ potestati, atque operæ conpetit enixè urgeamus, & studiose elaboremus. Vt sterilitatem ab uxore amoueret, ut sobolem sibi concederet, orauit Deum filius immolatoris, eo animi proposito actus, eo mentis studio ductus: ut mandatum Dei, quo ampliatio generis humani continetur, exequeretur: & ut ex se prolem suscitaret: quam pie edoctam, religioseq; institutam cultui Dei, & obseruantiæ addiceret: & huius rei causa magis Deum

demereretur. O` pium ſuſcipiendæ ſobolis deſide-rium. O` dignam exauditu hominis precationem. Orauit, deprecatusq́; eſt ſibi dari ſobolem, non ut eam in delicijs aleret, in luxuq́; nutriret: non ut ei ambiret, redimeret'ue primos in ciuitate honores: non ut eam deniq; multis per fas, nefasq́; congeſtis facultatibus ditatã, locupletatamq́; relinqueret: ſed ut impleto mandato Dei eam pie inſtitueret, caſte erudiret, religionis ſtudium doceret, & tanquam anſam quandam haberet, qua benemereri de Deo, remq́; Deo gratam facere poſſet. Quæ ſterilis fue-rat, ſic munere diuino, Deiq́; beneficio fœcundata eſt; ut cum ſenſiſſet colliſum quendam, exultatumq́; in utero, uiciſſim tumultuantium, & ſuper hac re conſuluiſſet Deum, reſponſum acceperit, dupli-cem gentem in utero contineri, & duos populos ex utero prodituros: qui mutuò contendant ita, ut maior ſuperatus cedat minori, & minor uictoria potitus in maiorem exerceat imperium. Huiuſcemo di quidem reſponſi diuini uariam multiplicemq́; tum allegoricè, tum moraliter poſſemus hic afferre interpretationem: & ſeu uellemus id ſymboli He-bræo, & Gentili populo applicare, ſeu ſinagogæ, & Eccleſiæ, ſeu appetitui, & rationi, ſeu uitio, & uirtuti; commode ſanè, & appoſite id poſſemus, ni fallor, efficere. Sed quoniam id explicationis forte nos nimis diuerſurum foret ab inſtituti noſtri ratio ne, & à propoſitæ nobis materiæ orbita longius di ducturum: non arbitramur fore inconueniens, ſi-tam longo rerum, atque uerborum præterito diuer

ticulo cœptam uiam proſequamur: & prætermiſſis, quæ non nimis ad propoſiti noſtri rationem faciant, & quæ aliunde hauriri facile poſſint; ea adgrediamur, atrectemusq́;, quæ rem noſtram propius reſpiciant: & quæ noſtri ſtudij aliquid, atque operæ cómodius, atque utilius ualeant admittere. Sed ſicuti exiſtimamus non eſſe immorandum in explicanda, interpretandaq́; duorum fratrum maioris ſubiectione, minorisq́; ditione: ita non nihil ducimus attingendum, tractandumq́; de eorum uario corporis habitu, eorumq́; diuerſa uitæ ratione, diuerſoq́; Dei erga eos affectu ſacris literarum monumentis atteſtato. Maior itaq; ex fratribus hiſpido corpore, in moremq́; pellis belluinæ hirſuto rubebat: minor contra, glabra cute, totoq́; læui corpore nitebat. Maior agricolationi operam dabat, uenandiq́; ſtudio detinebatur. minor uerò ſimplex moribus, & uitæ quieti deditus degebat in tabernaculis. Maiorem Deus auerſabatur, eiq́; ualde infenſus erat; minorem uerò plurimum diligebat: ſummaq́; beneuolentia proſequebatur. Adeò inter ſe gemini fratres differebant: ut non ſolum aliquid ſimilitudinis in ſe non retinerent, ſed etiam contraria tam corporis, quàm uitæ conditione mutuò diſſiderét. Vi quidem naturæ, cœli poteſtate, ſecundarum cauſarum efficacia contingere, fieriq́; poteſt; ut fratres habitudine corporea inter ſe differant, & contrarijs uitæ ſtudijs, diuerſaq́; morum ratione diſſideant. Quòd autem Deus unum auerſatus fuerit, odioq́; proſecutus: alterum dilexerit, plurimoq́; amore com

plexus sit: unde id contingere potuerit non facile explicatu, nec leue cognitu existimari solet: cum diuinæ paginæ testimonio uideatur apertius constare, quàm ut queat inficiari quidquid auersionis, odijq; diuini in maiorem fratrum, & quidquid dilectionis, & beneuolentiæ in minorem perhibetur, conceptum fuisse prius, quàm uel maior quidquam mali commisisset, unde sibi auersionem, odiumq; Dei contrahere posset: uel minor aliquid boni fecisset, cuius causa sibi diuinum fauorem, atque amorem conciliaret. Si enim ea est bonitas Dei, Deiq; benignitas: ut se præstet beneficum in omnes: & uelit omnes æquè seruari, suæq; beneficentiæ, largitatisq; fieri participes: quonam pacto fieri potest, ut sua sponte, nulla lacessitus hominis nequitia, atque prauitate ipsum hominem auersetur, odioq; habeat? Tantum abest, ut Dei bonitas patiatur quenquam hominem à se haberi odio; ut eum etiam à quo iniuria afficiatur, à quo offendatur à quo contemptui habeatur, & odio: studeat iuuare, cupiat seruare, procuret beneficio afficere. Si nostra culpa fiat, si nostra nequitia committatur: ut nolimus à Deo iuuari, recusemus à Deo seruari, renuamus à Deo beneficijs affici: nihil est, cur ideo detrahamus diuinæ in nos bonitati: Deumq; putemus ultrò beneficentiæ suæ potentē manū cōtrahere à nobis: cū simus nos in causa peccādo, nosmetq; ipsos à Deo auertendo: ut beneficentiæ diuinæ peculiari munere non potiamur, nec largitatem Dei in nos promptam, paratamq; experiamur. Alioqui si Deus hominem, à quo etiam odio habeatur,

à quo offendatur, auersetur, odioq; mutuo prosequatur: quonam modo comperietur seruare quod nobis tradidit, præcepitq; seruandum ore filij: qui, ut Euangelicis scriptis continetur, præcipit nobis, ut inimicos nostros diligamus, et qui odio nos prosequũtur, amemus: beneficijsq; afficiamus? Quapropter sentiendum est Deum ipsum nihil aliud odisse in homine, nihil aliud auersari, quàm peccatum, quàm uitium: quæ cum suæ bonitati, suæq; sanctitati contraria, aduersantiaq; deprehendat, ea non potest non odio habere, atque ualde non auersari. Quò fit, ut si sacræ scripturæ authoritate comprobetur, maiorem ex duobus fratribus odio habitum à Deo, priusquàm etiam quid peccasset, mali'ue quid comisisset: intelligi debeat, id odij concepisse Deum aduersus peccatum, aduersusq; malitiam: quæ licet nondum foret contracta ab homine, tamen pro suæ æternitatis conditione, in qua nec præteriti, nec futuri ratio distinguitur, & in qua cuncta futura sunt præsentia: eam contrahendam aspiciens Deus, & perinde ac si contracta esset animaduertens, non mirum, si priusquam contraheretur, memoretur odio habuisse, auersatusq; fuisse. Non enim Deus, ut sciat, quæ sint agenda, indiget aliqua agentis opera: sed priusquam existat qui agat: in æternitate sua nouit, quæcunquæ sint agenda: & de eis iudicat, perinde ac si agantur: & in eis se habet perinde atque si essent acta. Quòd si quis fortè non adeo deferendum existimet naturæ, secundisq; causis: ut in causa possint esse, ut fratrum ma

ior tam

ior tam dispari, tâq; exorti corporis habitu sit conditus : argumentariq; ideo uelit Deum uideri exercuisse odium aduersus eum, priusquam omnino peccasset : non arbitror existimandum, quenquam habitum corporis quantumlibet deformẽ, exortem'ue posse arguere aliquid diuini odij in eum, cui contingat ; quoniam, siue concedamus corporis id genus habitum cedere malo hominis, hominisq; conditioni aliquid detrahere, siue negemus : nunquã licuerit quidquam diuini odij in ipsum hominem inde coargui. Si quidem negemus : nihil est cur quidquam odij inde arguatur. Sin concedamus, nihil æquè fuerit, cur id genus mali, siue detrimenti in aliquod Dei aduersus hominem odium reijciamus. Cui igitur rei, siue causæ : si neque is, qui sic affectus est, neque parentes eius peccauerunt, id mali adscribemus? nihil sanè peccauere parentes, cuius causa censeri queat filius id mali corporis habitus contraxisse. Nihil adhuc peccarat filius, nihil adhuc malitiæ, nequitiæ'ue contraxerat. Id non negamus, id non diffitemur. Nõ planè peccato alicui, quod commisisset, neq; nequitiæ cuipiam, quam exercuisset, sed peccato committendo, nequitiæq; exercendæ tribuendum est. Non idcirco tamen effectum quenquam causa ipsa priorem consentio : sed arbitror non secus, ac in morbis corporum euenit: qui priusquam sese efferant, corporaq; malè habeant, quædam eorum signa, & simptomata apparent : quod mali, exortisq; habitus corporei ante peccatum commissum, nequitiamq; exercitam accidit, id fuisse ue

luti quoddam præuium ſimptoma, quod argueret peccatum committendum, prauitatemq́; animi contrahendam, atq; exercendam. Quin adeo non eſt exiſtimandum, Deum quidquam aliud in homine odiſſe, quàm peccatum: ut pro benignitate ſua, atq; charitate erga hominum genus ſemper propemodum ei, quem proſpicit peccaturum, aliquid inijci permittat, atq; procuret, quò peccatum leuiori noxa perpetretur: & quò uoluntas in peccando habeat aliquid humanæ fragilitatis admixtum: quò meræ, peruicacisq́; nequitiæ, & conſultæ, deliberatæq́; malitiæ reatum euadat. quod quidem poteſt exiſtimari Dei benignitate, atq; prouidentia cõtigiſſe maiori ex fratribus: qui cum primatum generationis, iusq; primogenituræ edulij auiditate uenditurus eſſet fratri, effectum eſt, ut uenderet: cum de uenatione feſſus, & de labore fameſcens prætendere poterat auiditati aliquid neceſſitatis humanæ: & qui cum futurus eſſet inimicus fratri, fratremq́; ipſum odio capitali foret proſecuturus: accidit, ut eulogium, quod ei deſtinatum fuerat à patre, aſtu obtinens minor natu, feliciori quidem prouentu, quàm quo fuiſſet ille conſecuturus, cauſam aliquam indignitationis in ſe, & odij concipiendi ei ſumminiſtraret. Sed fratre maiore derelicto, qui ſuis peccatis, ſuaq́; prauitate ſe reddidit indignum, quem Deus peculiari fauore, atque charitate proſequeretur: minorem natu fratrem accipiamus, qui cum Dei gratiæ ſe non ſubtraxerit, ſed ab ea illuminari ſe permiſerit: ſeq́; paratum præſtiterit ei ſuſcipiendæ: tan-

tum benignitatis, tantum beneficentiæ, tantum charitatis in se diuinæ expertus est, ut id uix ulla arbitrer loquendi ratione complecti, uix ulla dicendi facultate posse explicari. Quis credat, quis confidat ulla dicendi ui, siue copia posse satis exprimi illam singularem benignitatem, illam stupendam beneuolentiam, & amorem: quem erga minorem ex fratribus ostendit, declarauitq; Deus: cum iussu patris tenderet in Mesopotamiam uxoris ducẽdæ gratia? cum enim appellente nocte diurno itinere defatigatus requiescere uellet: & uno ex lapidibus, qui circum strati iacebant accepto ceruical capiti prostrasset: & procumbens humi sub dio iaceret resupinus: somno uix correptus, scalas aspexit à terra ad cœlum pertingentes: Angelosq; Dei partim scalas ipsas conscendentes, partim descendentes, supremæq; scalarum parti inhærentem, summisq; gradibus innitentem Deum: à quo compellatus est hisce uerbis. Scias uelim, me esse Dominum, Deum'que aui, patrisq; tui: qui tibi, tuis'que posteris hanc omnem terram, in qua nunc dormiendo iaces, habitandam, possidendamq; sum daturus, effecturusq;, ut instar arenæ numero, atque multitudine sese habeat tua posteritas: quæ sic excrescet, adeoq; diffundetur: ut non minus orientem, occidentemq;, quàm meridiem, atque septentrionem sit occupatura. Tua causa, tuiq; seminis contemplatione benè habebunt, nostriq; eulogij munere potientur omnes tribus, gentesq; terræ. Interea tibi me custodem fore polliceor, quocunq; locorum perrexeris: dedu-

camq́; te, quousq; denuò reuertaris in hanc regionẽ: nec te dimittam, tibi'ue deero: donec executus fuero, quæcunque dixi, pollicitusq́; sum me facturum. O' egregiam Dei erga hominem beneuolentiam: O' mirificam curam, & beneficentiam: O' plus quàm paternam sedulitatem & studium. Præter magna, singulariaq́; beneficia: quibus cum Deus prosecuturum se pollicetur: ei custodem, pedagogumq́; propemodum se exhibet: & non ĩ quibus deducatur, comiteturq́;, spõdet se traditurum, sed se offert ipsum, qui eum deducat, atque comitetur. Maximam quidem, atque singularem Dei erga hominem propensionem, & charitatem licet agnosci, deprehendiq́; ex huiusmodi uerbis, quibus Deus ipse hominem allocutus est: quibusq́; homini tantum muneris, & beneficij obtulit ultrò. Verum non minorem planè diuinæ in hominem affectionis, & beneuolentiæ significationem colligemus: si uisæ scalæ rationem inierimus: & huiusmodi typi, siue symboli interpretationem, atq; mysterium excusserimus. Quandam profectò, si modò mystica profanis fas est comparare, similitudinẽ uidetur retinere huiusmodi scala cũ cathena illa: quæ Græco poetæ perhibetur demitti cœlo usq; in terras, Iouisq; opera sustineri: quæ quidem cum totius mundi, rerumq; naturalium mutuam quandam connexionem significet, & indicet omnium rerum quandam seriem ab uno, eodemq; principio propendentem: scitè admodum, & appositè excogitata est: sed longè minus rei, significatiq; in se contineat, quàm scalæ nostræ



typus: quo non ſolum rerum omnium ab uno, eo=demq; Deo pendentium, procedentiumq; mutua con=nexio continetur, ſed etiam ſignificatur diuinæ, hu manæq; naturæ copulatio: & Dei ad hominem de=ſcenſus, hominisq; ad Deũ aſcenſus deſignatur. O' pulchram ſcalæ huiuſmodi uiſionem. Hoc ſanè typo ſcalæ oſtendit Deus homini non ſolum quemadmo=dum ipſe immobilis, hærensq; ſuam uim, uirtutemq; infunderet, immitteretq; per uarias rerum naturas: & eas prout uirtutis ſuæ capaces eſſent, uarijs non ſolum gradibus uiciſſim differentes, ſed à ſe quoq; diſtantes conſtitueret: ſed etiam quali myniſterio ſe=paratarum ſubſtantiarum uteretur in gubernandis, moderandisq; rebus: & quonam pacto effecturus eſſet, ut natura diuina humanæ coniuncta, qui cœ=lo deſcendiſſet Deus Angelis comitatus, idem Deus, & homo ſecum homines inſtar Angelorũ in cœlum adduceret. O' felicem hominem; O' nobilem homi nis conditionem: cui tot rerum humanarum arca=na patuerunt; tot diuinorum myſteria innotuerũt; & cui non ſolum detectum, reuelatumq; eſt, quid quid erat de uerbi aduentu arcani; ſed etiam quid=quid id erat, tendere, pertinereq; ad eum, huma=num'ue genus à morte liberandum, & in uitæ per petuæ felicitate conſtituendum. Agnoſcitis'ne ciues apertè iam, quale ferat teſtimonium, quam proba=tionem edat diuinæ in hominem charitatis, & bene ficentiæ ſymbolum conſpectæ ſcalæ? quo nõ ſolum diuinorum arcanorum ratio ei patuit, ſed ſalutis eti am conſequendæ, felicitatisq; adipiſcendæ ſpes om=

nino certa constituta est. Postquam homo somno experrectus: & sensibus, à quibus diuina uisione abalienatus fuerat, restitutus cœpit animo repetere, quæ uidisset, quæ percepisset: admiratione obstupuit, & pro admiratione ipsa pauore quodã correptus est: tulitq; subinde lapidem illum, quem capiti supposuerat quieturus: lociq; eius, uisionisq; memoriæ super infuso oleo consecrauit sempiternæ. Hic est lapis ille mysticus: qui cum reiectus esset, & reprobatus tanquã inutilis ab architectis, ædificatoribusq; sinagogæ: appositus est angulo ædificandæ Ecclesiæ: & primum, præcipuumq; locũ in sacro adeptus est Ecclesiæ ædificio. Hic lapis oleo perfusus, est ille, illũq; refert, qui cum diligeret iustitiã, & ab omni iniquitate abhorreret, meruit, inter omnes alios, qui participes forent eiusdem speciei, ut à Deo lætitiæ oleo perungeretur: sanctiq; spiritus oliuo perfunderetur. Hic est ille quadratus lapis: cui quicunque cadens, offensq; incubuerit, concutitur, consternaturq;: & quem quicunque passus fuerit in se cadentem, comminuitur omnino, atq; obteritur. Hic lapis inunctus oleo refert, repræsentatq; domum Dei uiuentis, sacramq; Christi Ecclesiam, in qua is oliui est usus: ut nihil propemodum salutaris sacramenti sine eo conficiatur, atque expediatur. Iam frater natu minor iussui paterno obtemperans, peruenerat in Mesopothamiam: ibiq; complures commoratus annos, ob seruitium, operamq; præstitam auunculo in pascendis gregibus, obtinuerat ab eo, ut geminas, quas habebat filias, sibi locaret: & iam auctus liberis, &

facultatibus supramodum Dei propitiatoris beneficio non minus soceri, quàm sobrinorum cœperat in se inuidiam contrahere: cum repetendi domum, in patriamq; ad patrem reuertendi tempus esse ratus, compositis rebus, coactisq; gregibus unà cum coniugibus, & liberis iter in patriam uersus corripuit: in quo quidem itinere non solum, sicuti spoponderat, Deus se præstitit ei comitem, & tutatus est eum ab inuidia soceri persequentis, & ab odio fratris occurrentis: sed etiam fertur luctatus cum eo: à quo non ante dimissus memoratur, quàm neruo femoris eum debilitatum reddiderit: eulogij munere affecerit. Proh Deum atque hominum pater. quid nam id luctæ est, quid nam est id femoris debilitati? Rogate, orate, obsecrate mei ciues, ne diuina ope hic destituar, ne deficiam spiritu: quo, si unquam, nunc maximè est opus, huius excellẽtis, arcaniq; symboli enodandi, explicandiq; causa: cui aperiendo cum uires humanas omnino animaduertam non suffecturas: nihil est, cur sperem ullo pacto, aut confidam me posse quidquam proferre, aut eloqui: quod tam mirifico rei arcano dignum sit: & quod tanti mysterij rationi explicandæ conueniat: nisi diuinus Dei spiritus nobis peculiariter aspirarit, & gratiæ diuinæ uis ingens, atq; potestas maxime nobis hac in re succurrerit, opitulata'ue fuerit. Postquam homo uadum luctationis cum sensuum irrationali appetitu initæ traiecit: & superato uitiorum, affectuũq; humanorum flumine, se uirtutum moralium, expiatricumq; consortio non continuit: sed ulterius

progrediens, seq́; numero eximens constitit solus: & uirtutes purgati animi assecutus est: colluctatus est cum Deo, non studio contendendi, sed imitandi: ut quemadmodum Deus iuxta naturæ diuinæ rationem perfectus esset, ita ipse naturæ humanæ inspecta conditione foret perfectus. Sed cum homo huiusmodi perfectionis ratione luctaretur cũ Deo ita, ut minime superari iudicaretur: effectum est diuina largitate, & beneficentia: ut supra rationem humanam tolleretur: & eneruato femore, debilitatoq́; corpore propius accederet ad rationem diuinæ naturæ apprehendendam: qua comperta infinita uirtute pollere, infinita perfectione præstare luctam dimisit: & quatenus immensum perfectionis cumulum deprehendit: cessit ultrò, uictoremq́; eum dimisit: & huiusmodi perfectionis contemplatione non sustinuit aliquo pacto cum eo colluctari, nec imitando similitudinem aliquam aut comparationem affectare. O` expedientem & salutarem homini luctam: qui dum femore debilitatur, & corpore eneruatur: animo inualescit: & roboratur spiritu: & dum superatur, naturæ suæ rationem superare se intelligit: & sui ipsius se uictorem fieri animaduertit. Sed quia nihil ferè arcanioris symboli arbitror inueniri in sacris Hebræorum monumentis: quod si diligenter excutiatur, aliquam rationem non contineat exprimendi, significandiq́; mysterij: quo parta salus est humano generi: & quo facta est humanæ naturæ cum diuina coniunctio: idcirco experiar, tentaboq́ue

diuina ope, aurá que confisus explicare: quemadmodum id symboli, referre, exprimere'que ualeat Christi seruatoris nostri conditionem: qui cũ unius personæ complexu duplicem naturam contineret humanam uidelicet, & diuinam: ita expertus quandoque est humanam diuinæ repugnantem: ut inuicem colluctari: & quandam luctæ speciem repræsentare uiderentur. Quæ quidem lucta perdurauit, quousque debilitato femore, & corporeo, quo tangebatur affectu morte ipsa rectincto, resurrexit corpore immortalis, impatibilisq́;: & nulli corporis affectui amplius obnoxius. Non prius luctam, quã cum diuina agebat, humana natura dimisit, quàm debilitato femore, morteq́; secuta, quidquid corporei, mortalisq́; affectus habebat, diuina omnino superãte natura amisit. Cõmissa, peractaq́; luctatione Deus homini nomem immutauit: qui cum à uitijs supplãtandis supplantator uocaretur, Dei uisor, siue Dei corregnator appellatus est. O' speciosum, & nobile nomen: quod indidit Deus homini: ut in primis suam erga eum benignitatem, & beneficentiam testaretur: deinde etiam comprobaret strenuam eiusdem constantemq́; in luctando operam. Sicut non ausim affirmare de huiusmodi cum Deo luctatione hominem mortali uita ad huc præditum eò cognitionis, eoq́; perfectionis peruenisse; ut potuerit Dei naturam, Deiq́; essentiam uidere, & apprehendere eo pacto: quo licet apprehendi ab intellectu beato, corporalisq́; materiæ experti: ita crediderim eum abundanti diuinæ gratiæ lumine affectum, atque il

lustratum uidendo, apprehendendóq; eò pertigisse: ut omnem humanæ cognitionis, quæ speculo rerum constet, rationem excesserit, atque exuperauerit: & eam intelligendi, percipiendiq; potestatem, donumq; adeptus sit: ut si puri, beatiq; intellectus instar diuinam essentiam non apprehenderit: saltem aliquatenus supra rationem humani intellectus diuino lumine promotus, eam tanquã per cancellos, & transennam uiderit, atque prospexerit: ut meritò potuerit asserere, se palam coramq; Deum uidisse, & collata ad faciem facie conspexisse. Sed quò prætera uis, efficaciaq; beneficentiæ, prouidentiæq; Dei erga hominem appareat, atque innotescat, sacræ prosequamur tenorem, seriemq; historiæ. Cum itaque minor fratrum ex Mesopothamia regressus in patriam esset, & non minus liberis, quàm facultatibus abundaret: effectum est diuino consilio, diuinaq; prouidentia euenit, quo ei caueretur, eiusq; familiæ consuleretur incolumitati: ut unus ex eius liberis, quem maxime diligebat: quemq; iam matura ætate susceperat, odio fratrum, atque inuidia uẽderetur negociatoribus: qui eum in Aegyptum conducerent. qui quidem adolescens cum non minus ingenuus esset forma corporis, quàm animi uitæq; probitate integer: accidit, ut cum à negociatoribus Aegyptio cuidam regij exercitus principi uenditus, recusasset libidini heræ consentire: tantum inde odij sibi conflaret: ut ab ea falsò deferretur ad dominum: & libidinosæ interpellationis, cuius ipsa erat rea, ardenter incusaretur, atque indignanter. Qua accu=

ſatione commotus dominus adoleſcentem conijci iuſſit in carcerem : in quo tandiu permanſit, quouſq; regio pincerna indicante ſomniorum coniector compertus, ad regem adductus eſt, de quibuſdam ſomnijs anxium ualde, & ſolicitum : cui cum plurimũ, interpretando ſomnia, ſatisfeciſſet : & rei ſucceſſu iam aliqua ex parte interpretamenti ueritatem comprobaſſet, id auræ, & beneuolentiæ apud eum ſibi conciliauit : ut non ſolum regiæ domus adminiſtrationi præficeretur, ſed etiam uniuerſæ Aegyptus, totiusq; imperij gubernationi præponeretur. Quapropter cum ex tenore ſomniorum tempora fertilitatis acceſſiſſent: in regia horrea tantum frugum, frumentiq; curauit congerendum : ut commodè futuræ, quæ expectaretur, penuriæ tolerandæ poſſent ſufficere. Cum uerò ſubinde ſeptennæ fertilitati, ſeptennis æquè ſterilitas, ut ex ſomnijs coniectatum fuerat, ſucceſſiſſet : non ſolum ex omni Aegypto cõcurrebatur ad regia horrea cauſa comparandi frumenti, ſed undiq; etiam ab externis regionibus confluebãt homines in Aegyptum : quò ſibi uictum, alimentaq; redimerent. Qua ratione cum fratres quoque, qui fratrem negociatoribus uendiderant, penuria uictus, & fame coacti, ut frumentum emerent, Aegyptum petiuiſſent: oportuit eos fratrem adire: qui non ſolum rei frumentariæ præerat, ſed etiam curam omnium, quæ ad regij prouentus rationem pertinerent, gerebat. Hi quidem fratrem minus agnoſcentes, à fratre ſunt agniti : qui non modò impetrarunt, ut Aegypto exportarent frumentum,

ſed etiam pecuniam, quam comparando frumento ob tulerant, inuenerunt poſtea ſaccis frumentarijs in iectam, ſibiq; latenter reſtitutam. Vrgente rei frumentariæ inopia ſecundò Aegyptum petiuerunt fratres: qui cum accepti conuiuio, & perhumaniter habiti à fratre fuiſſent; non prius eum agnouerunt, quàm ſe quis eſſet indicauit: quo quidem cognito cum memores illatæ ei iniuriæ, & commiſſi aduerſus eum criminis graui timore eſſent perculſi, & uehementer exterriti: quidquam loqui, aut hiſcere cõtra non ſunt auſi: ſed frater eis ſuadens benignè, nihil pauerent, & iubens bono animo eſſent, nihil minus ægrè ferre, quàm ſe uenditum ab eis eſſe atteſtabatur: cum uenditio eiuſmodi in cauſa fuerit, ut ad id honoris, & authoritatis, qua præſtaret in Aegypto, perueniret: & hac cauſa poſſet ſuis opitulari: quorum incolumitati, atq; ſaluti, non erat futurum, unde in tam diuturna frugum ſterilitate cõſuleretur: niſi diuino conſilio, & prouidentia effectum fuiſſet; ut ipſe uenundatus in Aegyptũ deduceretur. Quapropter eos admonens ſterilitatis, quæ adhuc quinquennium perduratura eſſet, dimiſit multis, uarijsq; cum muneribus in patriam: ut patrem in Aegyptum adducerent: & ſecum tam liberos, coniugesq;, quàm uniuerſa quæ haberent, referrent. Spopondit ſua opera, curaq; effectum iri, ut omnes quotcunq; eſſent, commode uiuerẽt in Aegypto: & nihil inopiæ cauſa uictus ſuſtinerent. Id ſanè negotij, ſiue ſucceſſus arguit eximiam Dei curam de homine, et prouidentiam: qua effectum eſt,

ut quæ uidebātur habere ſpeciem miſeriæ, atq; in-fortunij, uiam ſternerent, aditumq; pararent felici fortunæ, maximæq; felicitati. Qui enim à patre putabatur mortuus, à feriſq; interemptus: is adeo interemptus non eſt, adeo non eſt mortuus: ut à morte patrem redimeret, & patrem, ſuoſq; omnes mori fame prohiberet. quem uenundatum fratres iugo ſeruitutis premi, aſperamq; ſeruire ſeruitutem exiſtimabant: is adeo ſeruire non eſt repertus: ut latè populos regeret: populiſq; latè dominaretur: & eos ſibi ſeruire paratos haberet, à quibus traditus ſeruituti fuiſſet. Hinc nobis reor addiſcendum ciues: quàm non ſit diffidendum unquam diuinæ bonitati, atque beneficentiæ: à qua tantum abeſt, ut deſtituamur: ut cum uidemus aliquid aduerſi, ſiue calamitoſi ſe ſe offerre, tunc maximè debeamus acceſſum felicitatis ſperare, magniq; alicuius boni euentum expectare. Hinc exemplo poſſumus edoceri, quàm non ſit in aduerſis etiam à uirtutis uia, atque honeſtatis declinandum: nec committendum, ut ulla uoluptatis, atque utilitatis oblata ſpecies ita nos transuerſos agat; ut imprimis recti, honeſtiq; rationem non habeamus. Quod ſi fecerimus, non eſt dubitandum, quin quidquid inanis uoluptatis, fucatæq; utilitatis, uirtutis tuendæ, honeſtiq; conſeruandi cauſa reiectum, contemptumq; fuerit: aliqua ſolida uoluptate, ueraq; aliqua utilitate reficiatur, magnoq; cum fœnore reſarciatur. Hebræus adoleſcens reiecta uoluptate, contemptaq; utilitate omni, quæ ſperari poterat: ſi patratione adulterij ſibi amo

rem heræ conciliasset: noluit ullo pacto committere: quod aduersaretur honestati, & uirtuti repugnaret. Sed passus se falsò accusari, & indicta causa in carcerem detrudi, quidquid erat aduersi, æquo animo, speq; confidenti pertulit: donec de carcere liberatus, & à seruitute uindicatus eò peruenit honoris, & existimationis: ut non solum obtineret in Aegypto nomen Proregis: sed palam diceretur etiam, atq; appellaretur mundi uindex, atq; seruator. Hic idem generis Hebræi homo poterit esse nobis documento: quemadmodum habere nosipsos debeamus erga eos: à quibus iniurijs simus affecti: & quos nobis infensos simus experti: quibus quidem tantum non debemus iniuriam rependere, & lege talionis ulciscendo respondere, ut etiã debeamus eos, si suppetat occasio, iuuare, beneficijsq; prosequi. Benignitas sanè, & beneficentia, qua usus est hic uir Hebræus erga eos, à quibus odio habitus, iniuriáq; affectus esset: & id nominis, quod sibi comparauit non modò Aegyptum, sed complures alias gentium regiones sua opera tueudo à famis discrimine, & ab exitio penuriæ liberando: admonent nos maximè, atque interpellant, ut credamus omnino, & arbitremur eum gerere typum, & ferre symbolum seruatoris nostri Christi: qui nullum benignitatis, beneficentiæq; genus prætermisit exercere aduersus eos, à quibus malè haberetur, iniurijsq; afficeretur: & qui genus humanum seruauit ab interitu peccati, & liberauit ab exitio pœnæ. Sunt aliæ præterea appositæ, accomodæq; similitudines, quæ ar-

guunt comprobantq; Hebræum hunc hominem quodam typo præseferre Christum: nam sicut odium, inuidiam'que fratres aduersus fratrem conceperunt inde, quòd intellexerunt se ab eo accusatos de crimine pessimo: & quòd eum patri cariorem, gratioremq; agnouerunt: & quòd eum dum somnia sua interpretaretur, audiuerunt innuentem fore, ut fratribus imperaret, & tam à parẽtibus, quàm à fratribus adoraretur. Non aliter Pharisei Hebræorum, primatesq; sinagogæ odium, inuidiamq; aduersus Christum contraxerunt: dum se ab eo hipocrisis accusari ægreferunt: & dum eum miracula edendo Deo se cariorem, acceptioremq; comprobare animaduertunt: & dum deniq; audiunt prædicantem se Regem, Deiq; filium: qui in nubibus cœli uenturus sit, & ab omnibus tam suis, quàm alienis adorandus. Veluti fratres uiginti argenteis fratrem uendiderunt negociatoribus Madianitis; ita Christum unus ex illis, qui cooptati erant in fratrum, discipulorumq; collegium triginta argenteis tradidit, atque uendidit negociatoribus iniquitatis & contradictionis Phariseis, scribisq; Hebræorum. Quemadmodum ex tetro carcere eductus, & propemodum excitatus homo Hebræus honoris sibi plurimum parauit apud Aegyptios, & summa in existimatione, ac nominis celebritate est habitus: sic Christus simulatq; ex sepulchro excitatus est, atque eductus: apud homines passim cœpit summo in cultu haberi: & summa ueneratione, atque honore ubiq; à mortalibus affici. Postquam fratres Aegypto abeuntes in patriam per-

uenere: patri, quæ gesta essent, explicuere, eiq; munera nomine filij, quem iam tanquam peremptum luxerat, obtulere: qui tanquam graui somno excitatus, animo subitò reuiguit: & ingenti gaudio perfusus benè secum, feliciterq; actum esse attestatus est; cui priusquam moreretur, liceret eum quem a deo diligeret filium uidere, compellare, amplecti. Quare nihil immorandum ratus compositis omnibus iter arripuit Aegyptum uersus unà cum liberis, uniuersáq; progenie: qui quidem cum esset in itinere, & Deo mactatis uictimis holocaustum obtulisset: gratiasq; pro beneficijs acceptis ex animo egisset: nocte intempesta audiuit Dei uoce se compellari, adhortariq;: ut bono fidentiq; esset animo: quoniam id itineris benè ei cessurum foret: & nihil minus dubitaret, quàm se unquam ei, eius'que progeniei defuturum. senex pater beneuola, amantiq; Dei compellactione, & adhortatione cumulatior gaudio effectus, in Aegyptum peruenit: ubi cum filij opera, Regisq; Aegyptij beneficentia non solum tempus imminentis sterilitatis, & penuriæ traduxisset læte, & feliciter, sed complures etiam ulterius annos summa cum quiete, & tranquilitate degisset: animaduertens diem mortis adpetere, acciri iussit, coramq; adsistere quos habebat duodecim filios: ut unus quisque eorum acciperet, quidnam sibi, posteritatiq; suæ futuris temporibus esset euenturum. Non uidetur mihi propemodum aliter allocutus pater duodecim filios ante obitum suum, quàm perhibetur Christus duodecim discipulos peracta cœna, imminenteq; morte allocutus

tus: quibus cum indicasset fore: ut ab uno ex eis tra deretur in manus inuidorum, inimicorumq́; : ab a-lio audacter, & perfricta fronte ter abnegaretur: ab omnibus ita desereretur, ut nullus in fide persiste ret: prædixit, uaticinatusq́; est amussim, non solum quidnam post obitum suum eis esset obuenturum: sed etiam quid eorum successoribus, & posteris acci surum. Quis non uideat, quàm typus huiusmodi quadret, atque conueniat, non modo uaticinij, præ-dictionisq́; factæ causa, sed etiam numeri, persona-rum, temporis gratia? quibus accedit etiam id simi-litudinis: quòd non aliter ferè per duodecim Christi discipulos ampliatum est genus, nomenq́; Christia-num: quàm per hos duodecim Israelis filios genus Israeliticum, atque nomen fuerit auctum, atq; pro pagatum. At non solum tota huiusmodi typi series rem Christi, religionisq́; Christianæ successum desi-gnat, sed etiam, quod sanè magis est admiratu di-gnum, quod uaticinij, quod prædictionis à patre fa ctum est Iudæ filio, id totum signanter adeo Chri-stum exprimit, remq́; Christi adeo apertè indicat, & repræsentat: ut nihil aptius effingi, nihil illustrius indicari posse putem: & rear id solum posse suffice-re ad illuminandos oculos uespertilionum, & ad ob turandum os improbum importunis, inauspicatisq́; cornicibus: quæ dum rauca uoce crocitantes inter se constrepunt: quid cycni concinant, non patiuntur audire: & malũt sibi importunis stridoribus applau dentes rudibus balanis, & agresti glãde uesci, quàm tundendo iuglandium testas dulcem, sapidumq́; ci-

bum eruere. O pertinacem hominum ignorãtiam. O extremam, miseramq; cæcitatem. Quod cæteri omnes mortales uiderunt, nouerunt, approbarunt, hi soli suis monumentis fidem non adhibentes, suorumq; hominum, suorumq; patrum testimonia eleuantes non uident, non agnoscunt, non approbant. Quin fucum facientes, præstigijsq; operam nauãtes, à luce abhorrent: et tenebris delectati instar noctuarum nihil minus curant, quàm prodire in lucem, & radios solis usquequaque collucentes intueri. Sed suis in tenebris, suaq; inpertinaci ignorantia hos miseros relinquamus, non interim diffidentes, quin aliquando sint ex tenebris in lucem potenti manu Dei educendi, & de peruicaci ignorantia ad ueritatis agnitionem extrahendi. Nos uerò, qui nec lucem detrectamus, nec à luce abhorremus, diuini senis uaticinium, quod sub Iudæ filij typo de Christo seruatore nostro edidit, perscrutemur aliquantum, & quid inde lucis exeratur ostendere ex uiribus adnitamur. Dum prædixit senex pater Iudæ filio, ex cuius genere, siue stirpe proditurus erat Christus, fore, ut à fratribus summopere laudaretur, & tanto in cultu, & ueneratione haberetur: ut ab eis adoraretur: indicare Christum uoluisse nemo non agnoscit; qui animaduerterit, quæ Iudæ dicuntur euentura, non Iudæ, sed Christo ex genere Iudæ descendenti euenisse: qui nõ modo apud suos, sibiq; genere coniunctos, sed apud externos etiam tantum sibi laudis, & gloriæ comparauit: ut summo in honore, singulariq; in ueneratione habeatur, & cultu

adorationis afficiatur. Quisnam est ille catulus leonis, quem memorat senex uates ascensurum ad praedam, nisi Christus: qui lignum crucis ascēdendo genus humanum peccato captiuum ex manibus, potestateq; Diaboli eripuit, atq; liberauit? Qui sanè non ab re leoni comparatur, leonisq; symbolo designatur: dum doli omnis expers, & liuoris, cuiusmodi perhibetur esse leo, sic animi generositate, sic naturae dignitate caeteros homines antecessit, sicut caetera animantia antecedere leo existimatur. Quis est hic qui dicitur à sene prophetante requieuisse, accubuisseq; uelut leo? nisi hūc intelligamus esse Christū: qui generosi instar leonis saeuientium in se Hebraeorū tela contempsit: & forti pectore, impauidoq; animo persistēs adeo nullum fugiendi signum dedit: ut constanter, & animosè se morti obiecerit. Tam quis praeterea non est, cui id uaticinij possit competere, aut accommodari: ut quae senis uerba indicent eundem qui requieuerit moriendo, uti leo se ipsum esse excitaturum à morte: nulli alij, praeterquàm Christo ipsi omnino conuenire, quadrare'ue possint. Dum senex uaticinando protulit non fore, ut sceptrum, iusq; dominandi auferretur Iudae, atque posteritati; donec adueniret; qui mittendus esset: & qui accipiendus foret à gentibus, ueluti si magna in expectatione apud eos extitisset: de quoquam alio putandus non est sensisse, quàm de Christo seruatore nostro: cuius paulò ante aduentum imperio Romano subiecti Hebraei desierunt habere Regem ex tribu, posteritateq; Iudae: & quo interempto mox extremā cladem passi sunt:

qua non solum patriam, patriosq; lares amiserunt, sed etiam templi, sacerdotiiq; possessione, & iure priuati sunt: & extorres facti qui cædibus superfuerát, eiecti sunt, & dispersi per uarias mũdi plagas: quod quidem genus hominum adeo nihil tam longo temporum spatio potuit ueteris iuris, & antiquæ possessionis recuperare; ut adhuc disiectum, dispersumq; sine focis, sine laribus miserabili uiuat in exilio: & eo odio habeatur ab omnibus: eiusq; ignominiæ sit apud quasq; mundi nationes: ut instar sit abominationis, & non secus propemodũ à reliquo hominum genere habeatur; quàm sit ab eo Christus habitus. Ó congruam sceleris punitionem. Ó iustam Dei ultionem: quam indicatam, prædictamq; à sene patre sub typo duorum filiorum: quos uti homicidas, & maleficos sit auersatus, & quorum consilium nequam, furoremq; pertinacem detestatus, nemo non agnoscere potest, qui uaticinii uerba expendat, quibus omnino indicatur futurum: ut quorum malefico consilio, & pertinaci furore sæuitum sit in necem hominis: hi disiiciantur inuicem, & miserè dispergantur. Quo adueniente auferendum erat Iudæis ius dominandi, & tam sacra, quàm profana potestas adimenda: ex senis æquè uaticinio idem erat futurus, qui ad uineam deligaret asinæ pullum, & ad uitem uineæ asinam. Sed quænam uinea est hæc? quinam pullus asinæ? quænam hæc asina? Vineam typum gerere Ecclesiæ: pullum asinæ symbolum esse Ethnici populi: asinam referre Hebræorum sinagogam, neminem, qui uel mediocriter in sacris litera=

rum monumentis exercitatus sit, arbitror ignorare. Qua ratione licet facile animaduertere Christum senis uaticinio ideo dici futurum, qui alliget ad uineam, siue uitem asinam, pullumq; asinæ: quoniam ipse Christus fuit, qui tam populum Ethnicũ, quàm Hebræorum gentem unius Ecclesiæ consortio cõstrinxit, & unius, eiusdemq; ueræ religionis præceptis, & obseruantiæ alligauit: qui etiam idcirco dicitur abluturus in uino stollam suam, & in sanguine uuæ pallium, aut amictum: quoniam qua patibili humanitate indutus erat, & qua erat mortali carne amictus, eam moriendo, sanguinemq; effundendo ita eluit, defecauitq;: ut mox resurgeret humanitate impatibilis, & carne, corporeq; immortalis: cuius fuluos oculos memorat omni uino pulchriores, & cuius dentes omni lacte asserit candidiores fatidicus senex, eundem esse, de quo cætera prædixerat, tum ratio uaticinij, ipsáq; uerborum series apertè comprobant: tum quæ symbolo oculorum, dentiumq; designantur in perfectione hominis, interioriq; homine, coarguunt: quandoquidem Christi seruatoris nostri eæ fuerunt animi cogitationes, mentisq; intentiones: ut omni uini fuluore, atque nitore nitidiores, pulchrioresq; essent: & eiusmodi extiterunt sermones, locutionesq;: ut munditie, castitate, candore superarent percolati, defecatiq; lactis quancunq; munditiam, atque candorem. Volo ciues mei ex hoc uaticinio eliciatis duplex benignitatis, & charitatis erga hominẽ diuinæ testimoniũ: unum quatenus homini huic seni detexit, et aperuit Deus quicquid pro salute

humani generis, quem missurus erat, filius acturus, passurus, executurus esset: alterum quatenus quæ futura de Christo essent; multo ante tempore designãs, indicansq; nullum de eo, simulatq; uenisset, hæsitãdi locum occasionemq; reliquit hominibus: quò certius ueritatem agnoscerent, ueritatemq; agnoscendo, fideq; ei adhibendo facilius, atq; cõmodius se seruarẽt: seruandos'ue se offerrent, atq; præstarent. Postquam Israelitæ illis uita defunctis, quorum gratia benè habebantur ab Aegyptijs, & in Aegypto indemnes, tutiq; degebant; multiplici sobole adeo excreuere numero: ut se eis cessuros facile multitudine, nisi cauerent, Aegyptij animaduerterent, ideoq; suspicarentur sibi ualde timendum ab eis: quos numero superiores denique haberent: & è quibus multitudine superarentur: cœperunt iussu regis Aegyptij duris, uarijsq; laboribus affligi, & graui præstandarum operarum seruitio premi: ut dum laboribus attriti, & assiduo operarum seruitio oppressi detinerentur, minus haberent, unde darent operam liberis; & propagando generi incumberent, atq; deseruirent. Sed cum nihilominus numero excrescerent, atq; etiam tanto maiori sobolis fœcunditate abundarent, quantò grauioribus premerentur laboribus: quod consilij & cautionis initum fuerat, animaduertens Rex Aegyptius nihil proficere, tum iussis obstetricibus ut necarent masculos, tum misso publicè edicto, ut quicunq; ex Hebræis nascerentur masculi flumine mergerentur: decreuerat omnino cauere, ne gens Hebræorum amplius excrescendo posset pro multitu

dine hominum aliquid timoris, atq; periculi Aegyptijs afferre: & iugum seruitutis, uinculumq́; subiectionis excutere. Sed qua benefica cura, & prouida charitate usus fuerat Deus erga genus hoc hominum: dum ne fame periret, penuriaq; uictus periclitaretur, deductum fuit in Aegyptum: eam multò studiosius, multoq́; ardentius præstitit, atque exercuit: quò liberaretur ab Aegypti seruitute, Regisq́; Aegyptij dura, immaniq; subiectione exolueretur. Sicuti Deus in liberando huiusmodi hominum genere à famis internetione, penuriæq; exitio usus est opera, officioq́; eius: quem uenditum negociatoribus, in Aegyptumq; deductum eò prouexit potestatis, & authoritatis, ut facile, commodeq́; suis posset succurrere: ita pro eodem ex seruitute Aegypti liberando delegit hominem, cuius opera et officio uteretur: quem quidem cum infans fiscella conditus, & in ripa fluminis positus esset periturus; regiæ filiæ repertum, educationiq; traditum seruauit ab edicto Regis incolumem, & tanto fauore, tantaq́; familiaritate prosecutus est: ut nō minus suis esset uenerationi, quàm externis terrori atq; formidini. Hic est ille Moses adeo sacris monumentis celebratus, adeo rebus gestis, Deiq́; obseruantia clarus: ut ambiguum uideri possit, fuerit'ne benemeritus magis de hominibus, an Deo ipsi familiaritate magis coniunctus extiterit. Is sane uix dum ex materna aluo eductus peculiarem Dei in se beneficentiam, amoremq; expertus est: & toto uitæ tempore adeo beneuolum, beneficumq́; in se Deum habuit: ut nulla uideatur à Deo prætermis-

ſa occaſio ſuæ erga eum beneuolentiæ teſtandæ, bene ficentiæq; oſtendendæ. Sic beneficum planè atq; be= neuolum ſe oſtendit Deus erga hunc huminem: ut tamen non minus propemodum beneuolentiæ oſten diſſe, minus'ue beneficentiæ exercuiſſe uideatur er= ga eos: quos huius opera, atque officio à ſeruitute li berauit. Cum itaque Iſraelitæ homines ab Aegyptijs malè haberentur, & ab Aegypti Rege graui ſeruitu te premerentur: ut pleruuque conqueri, gemere, in dolere cogerentur: nolens Deus id ferre indignitatis, & nimis ægreferens, quam gentem plurimum dili gebat, miſera, calamitoſáq; ſeruitute detineri, quem expoſitum ad fluminis ripam, & periturum ſerua= rat: quem de manu Regis infenſi liberauerat: hunc oues ſoceri paſcentem, & coacto ad interiora deſer ti nemoris grege petentē diuini montis ſolitudinem, de rubo ardenti, qui tamen igne nō conſumeretur, amicè compellauit: iuſſitq; adire Aegypti Regem, & procurare, ut Iſraelitæ dimitterentur, Aegyptoq; ex cedere permitterentur. Cui officio cum ſe imparem Moſes aſſereret: ſe ei affuturum Deus admonuit: à quo cum poſceretur, quo nomine eſſet, reſponſum fuiſſe perhibetur, Ego ſum, qui ſum. Qui iam ei, cum quo luctatus fuerat, expoſcenti nomen ſuum indicare recuſauit, eiuſmodi eſſe aſſerens, ut fando exprimi nequiret: nunc Moſi petenti conſentit ape rire. O ſingularem diuinæ erga hominem familiari tatis ſignificationem: cui tantum defertur, cui tan= tum tribuitur: ut obtineat impetrare notitiam nominis, quod alioqui tam magnum eſt, ut uer=

bis complecti nequeat, & tam arcanum, ut intellectu non ualeat aliquatenus apprehendi.

O' nos felices, o' nos beatos, si quid hoc nomine contineatur, significeturq́;, percipere possemus: & unà cum Mose diuinum solitudinis montem conscendentes quiremus apprehendere istius nominis rationem. Cui id nominis competit, is intelligendus est per se existere: à nullo esse, omnibus in causa esse, ut sint. Qui nominis huius est, ita est, ut esse queat quoquam alio non existente: sine eo tamen nihil esse queat. Hoc nomine continetur omnis ratio bonitatis, perfectionis, uitæ, substantiæ. Nihil hoc nomine excogitari potest: quod aptius sit, & efficatius ad referendam, repræsentandamq́; naturæ diuinæ simplicitatem cum ui, potestateq́; uirtutum omnium coniunctam. Nihil minus in se complectitur id nominis, quàm complectatur quatuor literarum illud sacratissimum nomen: cuius ea uis, uirtusq́; esse censetur, ut nihil non effici, præstariq́; in rerum natura possit ab eo: qui eius cognitionem perfectam habeat, eiusq́; plenam calleat interpretationem. Vnde qui cum Deus esset, quæ Dei erant, efficiebat, dictus est Momis recutitis quatuor literarum suppilato nomine effecisse: qui sanè suppilatione reiecta uideri possent non mentiti, quãdoquidem cum Deus esset, & seruator: qui nomine literarum quatuor designatur: huiusmodi nominis uirtute non ab re existimari potest effecisse, quodcunq; mirabiliter edidit, & insigniter operatus est. O' mirificam, salutaremq́; istius nominis uirtutem: quo salutis humanæ ratio,

uerbiq; diuini uis designatur omnis: & quo gratiæ omnis, & beneficentiæ diuinæ plenitudo continetur. Huius salutaris nominis efficatiam, atque uim indicauit Deus Mosi, cum interrogatus de nomine, cuius authoritate posset uti in liberandis ab Aegypti seruitute Israelitis; respondit Ego sum, qui sum. Qui iam sub typo rubi igne succensi, ab ipsoq; igne inuiolati conceptũ diuini uerbi ex muliere inuiolata uirginitate faciendum prospexerat: & qui iam Dei admonitu calciamentis exutus, & crassis, corporeisq; cogitationibus, atque affectibus expoliatus, propius accesserat ad rubum inspiciendum, mysterium de coniugatione diuinæ, humanæq; naturæ futurum: is tum perfectam seruatoris futuri, salutisq; humano generi afferendæ cognitionem consecutus est: & plenam fidem, spemq; constantem futuræ humanæ liberationis obtinuit: cum à Deo, quo nomine esset, accepit; & quid tanti nominis sacramento contineretur, diuina gratia illuminatus intellexit. Quapropter iam euidenter agnoscens gentis Israelitæ liberationem à seruitute Aegypti fore, quæ præseferat, typoq; indicet liberationem generis humani de seruitute peccati, mortisq; subiectione denique futuram: animaduertit se quoque, cuius opera, atque officio uti uelit Deus in Israelita gente liberanda, relaturũ, typoq; repræsentaturum eum, qui cœlo proditurus, deq; sinu Dei patris descensurus esset in terras, quò sua opera, suo officio, sua uirtute redimeret à seruitio peccati genus hominum, & naturam humanam iugo mortis exolueret, & liberaret ab immi=

nenti noxæ detrimento. Qua mentis hilaritate, quo animi gaudio, qua cordis exultatione putatis affectum hunc hominem ciues: cum nouit se Dei benignitate electum, cuius opera, & officio de seruitutis afflictione liberandi forent Israelitæ, & cuius typo exprimeretur qui futurus deniq; esset humani generis liberator? Hinc effectum est, ut qui modò aduersus Dei consilium, decretumq;, quo electus indicabatur: qui populum Israelitam educeret ex Aegypto, suæ authoritatis debilitatem excusauerat, & suæ tenuitatis, atque ineptiæ exceptione usus fuerat: iam promptus animo, iam paratus officio se Deo præstet obsequentem, & nihil hæsitans suscipiat mandata Dei peragenda. Quapropter conuento fratre, eiq; indicatis Dei monitis, atque consilijs, unà cum eo Israelitæ gentis seniores adiuit: qui simulac uisis, agnitisq; diuinæ ad se legationis signis, sunt certiores facti de benignitate, beneficentiaq; Dei erga se, lætati sunt mirificè, & summas gratias agentes Deo, qui populi Israelitæ miserijs, & calamitatibus compatiens decreuerit grauis seruitij uinculum, nexumq; soluere: obtulerunt se paratos obedire dicto fratrum, & diuinæ uoluntati obtemperare. Cum primum diuinæ legationis officio functi sunt fratres apud Israelitas, Regem æquè, pro ut mandatis continebatur, Aegyptium conuenere: cui simulac Dei uoluntatem exposuerunt, indicaruntq; ex mandato Dei dimittendum esse populum, gentemq; Hebræorum: quò sacra facere, holocaustaq; ei offerre liberè posset: non modo non persuaserunt,

ut mandato, uoluntatiq; Dei pareret: sed effecerunt, ut laborem labori adijci iuberet, & Israelitas homines lõgè grauiori operarum exactione affligeret. Adeo Dei mandatum Rex pessimus nihil curauit, adeo nullam uoluntati diuinæ obtemperandi rationem duxit: ut quibus ante, quæ præstare possent facile, imposuisset: ab eis accepto Dei mandato longè grauiora exigeret, quàm quibus enitendo possent sufficere. Qua rei indignitate commoti præfecti, primoresq; Hebræorum cum Regem adijssent, grauiterq; indoluissent apud eum conquerentes maiora populo Hebræo onera imponi, quàm quæ ferri, tolerariq; possent; & cum nihil deniq; indolendo, conquerendoq; omnino profecissent: in Mosen, fratremq; eius ira grauiter exarserunt, indignatiq; acriter sunt: eosq; conuentos de curioso nimis in se, & importuno officio redarguerunt, eisq; exprobrauerunt, quòd dum spem libertatis consequendæ proponerent, grauiorem seruitutis conditionem effecissent, & in causa essent, ut qui alioqui satis æqua, tolerabiliq; seruitute detinebantur, concitato in se Rege, infensioriq; reddito, subijcerentur duræ adeo, & asperæ seruituti, ut eam diffiderent omnino posse tolerari. Non aliter propemodum contigit Hebræis à seruitute liberandis, quàm solet contingere homini morbo corporis aliquo laboranti: cui quemadmodum curando, sanandoq; adhibita medicina morbum exasperat, & dolorem, afflictionemq; adauget: ita Hebræi adhibito liberationis à seruitute remedio, non incongruum fuit, neque inconueniens;

ut exasperatam aliquatenus seruitutem sentirent: & maiorem seruitutis in liberatione ipsa molestiam experirentur. Primorum Israeliticæ gentis expostulatione ualdè commotus Moses, ad Deum sese conuertit: eumq; consuluit, quidnam sibi agendum foret: ut id, quod mandasset negotij, ad exitum perduceretur: & ut spe, quam ex eius uerbis concepissent Israelitæ liberationis accipiendæ, non frustrarentur: cui quidem Deus rei perficiendæ rationem, modūq; tradidit, & totius negocij successum aperuit ita: ut non minus ei Regis peruicacitatem, qua usurus esset in prohibendis, quo minus Aegypto abirent, Hebræis indicaret: quàm suam declararet curam atq; potestatem: quam exerciturus esset tam contra Regem, quàm Aegyptios: quò liceret populo Hebræorum tutò abire: & quò ipse uellet, iuberetq; concedere. Iussit itaque Deus Mosen ipsum unà cum fratre rursus Regem Aegyptium adire, suoq; nomine eum interpellare ad dimittendum ex Aegypto populum Hebræorum: & quoniam sciret id minus Regem facturum, tradidit potestatem, ostenditq; rationem edendi signi, comprobandæq; ostento iussionis suæ, atque uoluntatis. Ex iussu igitur Dei fratres Regem rursus adeuntes, adeo nihil impetrarūt, adeo non obtinuerunt, ut dimitteret quos Dei nomine dimtttendos peterent: ut nec multi Deum faceret; nec eis signa diuinæ iussionis edentibus fidem adhiberet. Iam ter fratres conuenerant Regem, iam ter editis uoluntatis, iussionisq; diuinæ signis uniuersa Aegyptus ranarum multitudine obsidebatur: cum

Rex fratribus ſpopondit, ſe ſiturum Aegypto abire
Hebræos: ſi de medio auferretur noxia ranarũ mul
titudo. Cui quidem fratres cum Dei opera ſatisfeciſ
ſent, oblatam tamen ipſe promiſſionem renuit ad
implere: qui deinde cum nihilominus facta toties
dimittendi populi ſponſione impetraſſet, ut cynipes,
ynomyæ, peſtis, ulcera, grando, locuſtæ, tene=
bræ auferrentur: ſemper irritam promiſſionis fidem
fecit: ſemperq́; ab implenda ſponſione deſtitit: quo
uſq; Deus potenti, ualidáq; manu interemit nocte
media omne primogenitum tam humanæ, quàm
brutalis naturæ, quod Regis foret, atque Aegyp=
tiorum. Sed priuſquàm id exitij immitteret Deus,
cuius cauſa ſciret Regem dimiſſurum Hebræos: ad=
monuit Moſen, fratremq́; Aaronem eius, quod eſſet
acturus, & eis iniunxit: ut nomine ſuo admone=
rent, certioresq́; facerent Iſraelitas futuræ actutum
liberationis: procurarentq́;, ut priusquàm Aegypto
excederetur, in una quaque domo, ſiue familia im
molaretur agnus: qui ferret teſtimonium ſui ad li=
berandos à ſeruitute Aegypti Iſraelitas tranſitus: &
ex agni immolati ſanguine conſpergeretur oſtij ſu=
perliminare, geminiq́; poſtes cuiuscunq; domus,
in qua contingeret Hebræos habitare: ut hoc inditio
ſiue ſigno, cum percuſſurus Aegyptios accederet: ad
monitus manum arceret, atque temperaret ab offen
ſa, ſiue læſione. Iuſſit præterea Deus fratres ſuo no
mine ſuadere Hebræis, ut commodatò peterent ab
Aegyptijs, unus quisque à ſuo uicino, ſiue amico
uaſa argentea, uaſa aurea, ueſtem, ſupellectilemq́;

pretiosam: & secum afferrent, atque exportarent, cum Aegypto excederent. Cum omnia quæ ex Mose, Mosisq; fratre Dei iussu sibi peragenda acceperant Israelitæ tam agni immolandi, sanguineq; conspergendi superliminaris, & postium, quàm commodatò accipiendæ supellectilis preciosæ ratione peregissent diligenter, & executi essent: nocte in tempesta Deus ad condictum tempus percussit Aegyptios, & nullum in Aegypto primogenitum reliquit, quin sterneret, atque occideret. Ex tot Dei rebus contra Aegyptios, Regemq; Aegypti gestis pro liberanda à seruitute gente Hebræorum, licet deprehendere multipliciter, atque cognoscere diuinam erga genus id hominum beneficentiam & charitatem: quæ quidem nescio, si pluribus, an illustrioribus signis, testimonijsq; ostensa sit, atque declarata. Variæ, multiplicesq; Regis interpellationes factæ pro liberandis Hebræis: & multa, uariaq; signa, atque ostenta edita tam pro fide diuinæ uoluntatis facienda, quàm pro inducendo, compellendoq; Rege ad dimittendos Hebræos non plura, quàm illustriora ferunt testimonia diuinæ erga genus id hominum charitatis, & beneuolentiæ. Cum tot incommodis, tot damnis, tot pestibus, tot cladibus causa Hebræorum affecerit Deus Aegyptios: & cum ipsos Hebræos eisdem locis, eisdem urbibus habitantes illæsos, intactosq; ab eiusmodi omnibus seruauerit: non tam multiplex, quàm illustre tulit testimonium suæ erga huiusmodi homines beneficentiæ: quam sanè testatam reddidit non solum, quatenus eos incolumes seruauit, seruituteq;

liberatos cum ſuis omnibus indemnes abire Aegypto fecit: ſed etiam quatenus curauit, ut rebus ab Aegyptijs commodatò acceptis abirent cum præmio ſeruitutis qua laborioſè ſeruierant, & cum mercede operarum, quas in conficiendis lateribus præſtiterãt. Nec mediocre illud fuit ſpecimen curæ diuinæ, & beneuolentiæ erga Hebræos: quatenus ne cuiquam fortè eorum contingeret periclitari, & quò memoriam liberationis aſſecutæ quotannis ſolenni ſacro renouantes, conſeruanteſq́; haberent, unde ſæpius uoluptatem, delectationemq́; caperent ſeruitutis excuſſæ, receptæq́; libertatis: & quò deniq; facilius ingratitudinis uitium euitarent beneficium liberationis celebri memoria repetendo, & ſolenni obſeruatione receptum beneficium teſtando: ſingillatim ſunt iuſſi per quaſq; domos, atque familias immolare agnum, poſteſq́; ſanguine intingere: & tempus diuini tranſitus ſolenni repetitaq́; quotannis obſeruatione agnoſcere. quæ quidem res, iuſſioq́; Dei licet referat magnum ingenſq́; probamen curæ, & beneuolentiæ, magnamq́; æquè beneficentiæ rationem, declarationemq́; habeat: tamen quidquid typo huiuſmodi deſignatur, tantò maiorem beneficij rationem in ſe continet; tantoq́; maius refert, & inſignius documentum, curæ, beneuolentiæ, charitatiſq́; diuinæ erga hominum genus uniuerſum, nedum Hebræos: quantò maiori interuallo ſuperat humani boni rationem, uitæq́; mortalis commoditatem diuini boni conditio, uitæq́; æternæ, & immortalis cõmoditas. Cum enim agnus ille maſculus, & immaculatus

culatus iussus immolari designet typo, referatq; symbolo Christum seruatorem nostrum: qui tam uirili, masculaq; omni uirtute præditus, quàm cando re uitæ nitens, & ab omni peccati, uitijq; labe immuuis occisus est, & immolatus: sanguineq; suo genus humanum ab Aegypti exitio, peccatiq; morte seruauit, illæsumq; reddidit ab imminenti Aegyptijs, peccatisq; clade pernitiali: quis non intelligat, quis non perspiciat ex huiusmodi agni immolatione, Christiq; sanguine effuso: quo salus humano generi parta est; & quo æternæ uitæ, felicitatisq; perpetuæ adipiscendæ omnibus oblata est occasio, atque commoditas: tam magnam, tamq; egregiam diuinæ in genus hominum beneficentiæ, & charitatis exuberantiam, copiamq; colligi, & comprobari: ut nullo uerborum ambitu explicari, nulloq; intellectus conceptu; siue captu percipi, comprehẽdiq; possit. Cuius mors designatur agni immolatione, eiusdem à morte surrectionẽ referre, indicareq;, qui perhibetur transitus Domini censendus est: quando quidem cum mortuus esset, uitam assumendo, aptè, congrueq; asseri potest ex morte ad uitam transisse: & à mortali conditione ad immortalem gloriã transitum fecisse. Quòd si fortè quis nos hic interpellet, dicatq; cõstare satis, & apparere Dei erga hominem benignitatem, & beneficentiam: si consideretur, quemadmodum se gesserit erga Hebræos: quos uarijs modis declarauit sibi caros, amicosq; esse: & quos multiplici beneficiorum genere reperitur prosecutus: nihil uerò minus argui, colligiq;, quam be

neuolentiam ullam, aut beneficentiam Dei erga hominem: si perpendatur, quonam modo se habuerit aduersus Aegyptios: quos uarijs cladibus affecisse comperitur, & quos potius odio, quàm beneuolentia prosecutus fuisse comprobatur. Huc accedit etiam quod sacra monimenta testantur, quod quidem maximum uidetur odij inditium, Regis Aegyptij obduratum pertinacia animum ab ipso Deo fuisse, ut nullis signis, ostentisq; induceretur ad dimittendos ex Aegypto Hebræos: cur enim eum odio habere, eiq; ualdè infensus esse non est existimandus Deus: in quem propter pertinaciam animi, cordisq; duritiam, quam ei ipse intulerit, clades immittat, & penè genus omne malorum exerceat? Nihil est idcirco ciues mei, cur possimus quidquam diuinæ erga genus hominum benignitati, & beneuolentiæ derogare. Nihil est planè, cur promptam, paratamq; in hominum genus Dei beneficentiam omnino non agnoscamus: si perpendamus diligenter tam rerũ, quàm uerborum rationem, & diuinæ prouidentiæ tenorem: ordinemq; accuratè consideremus. Cladibus affecti sunt à Deo unà cum Rege suo Aegyptij, quò resipiscerent, & cessarent ab iniquitate exercẽda contra eos, à quibus nullis lacesserentur iniurijs: nec prohiberent contra rationem iuris tam diuini, quàm humani eos abire, quocunque liberet: quos nullo iure seruitutis, nulloq; uinculo obligationis obstrictos, obnoxiosq; haberent. Si Deus uolebat pro sua in hominum genus benignitate, & beneuolentia prohibere: ne innoxios Aegyptij affligendo delin-

querent, ne contra ius, fasq; committendo deteriores se redderent: clades quæ inferebantur, quo ab huiusmodi deterrerentur committendis: nihil omnino est cur diuinæ erga eos propensioni, & beneuolentiæ non sint ascribendæ. Cum enim nihil uerè noxium sit homini, nisi quod eius rationi, eiusq; fini aduersatur, & contrarium est: quidquid à Deo immittitur, quod causa sensus, corporisq; intuitu speciem mali, noxijq; habere uideatur: si quidem tendat ad prohibendum peccatum, seu reprimēdum hominem à peccato: quod solum uerè noxium est, & perniciosum homini: cum rationi eius finiq; aduersetur: non quit non censeri, non potest non iudicari ex summa erga hominem Dei beneuolentia, & beneficentia procedere. Quòd uerò sacris monumentis affirmatur opera Dei effectum, ut Rex pertinatia obdurescceret, & peruicaci retinendi Hebræos, quominus Aegypto excederent, obstinatione corriperetur: id quoque non mediocriter arguit diuinam erga hominem benignitatem, & beneuolentiam: quandoquidem lenitas, longanimitasq;, quibus usus est Deus erga Regem: quem desiderabat pro sua in genus hominum charitate resipiscere, accepto quàm fieri posset minimo detrimento, in causa fuere, ut Rex corde obdurescceret, & obstinatior animo redderetur. Abusus enim Rex Dei in se benignitate, & lenitate, tantò pertinacior fiebat in retinendis Hebræis; quantò leniorem, indulgētioremq; Deum experiebatur erga se, uel in cladibus immittendis, uel in eis auferendis, quacunque dimitten-

di facta promissione. Quòd si peccatum uerè noxium est, et pernitiosum homini: & solum rationem mali habet in homine: cur lenitas Dei, & longanimitas non est censenda fuisse noxia, pernitiosaq; Regi: cum ferret occasionem ei grauius peccandi, & in peccato diutius perseuerandi? O prouidentiæ Dei absconditam rationem: O cōsilij diuini prouidum, arcanumq; ordinem: quem prorsus indagare uelle non minus arrogantis, curiosiq; nimis est, quàm parum cauentis laborem terere, operamq; incassum consumere: in quem profecto dici possit illud Apostoli Pauli: Quisnam es homo adeo audax, & impudens, qui exactam uelis à Deo rationem quorūcunque, quæ ab eo agantur, exigere: nunquid à figulo licet ollis, aut urceis exposcere, cur sic confictæ, cur sic compactæ sint, & conformatæ? Ne tamen interea existimetur Deus lenitate, & longanimitate usus erga Regem Aegyptium, ut ei grauius peccandi ansam porrigeret, occasionemq; præberet; animaduertendum est, Deum pro sua in genus hominum charitate, & pro sua naturæ benignitate, atque bonitate se lenem præbuisse, longanimemq; se præstitisse erga Regem: quo corrigendi se, suiq; erroris, & criminis agnoscendi occasionem haberet: qui si pro sua nequam uoluntate, maleq; agendi destinato proposito, unde agnoscendi criminis, emendandæq; iniquitatis oblatam occasionem habebat, inde sibi ansam arripuit grauius delinquendi: nihil est, quod idcirco imputari possit Dei operæ: qui tantum abest, ut uelit quenquam hominum perdere,

cuiquamq; mortalium obesse, peccãdiq; ansam præstare: ut pro sua immensa bonitate, & pro sua in genus humanum benigna, beneficaq; uoluntate optet summopere, atque expetat omnes homines saluos, beatosq; effici: & sic uiuere; seq; ipsos cauendo peccata sic præstare: ut possint esse suæ gratiæ capaces, & suæ beneficentiæ palàm uolentibus quibusq; uti oblatæ, atque expositæ participes. Quin tam procul abest: ut cuiquam hominum uelit esse Deus causa mali, siue peccati: aut cuiquam uolenti desit benefaciendo: ut nihil prætermittat, quod possit hominem arcere à peccando: & se uel in inuitos præbeat beneficum: & nonnihil beneficentiæ etiam in peccantes, quatenus de eis sumit pœnas, sustineat exercere. Nam dum punit ita, ut potestatem adimat amplius peccandi, in causa est, ut deteriores non euadant, maioremq; noxam non incurrant: quod sanè beneuolentiæ non paruum est inditium, nec modicam beneficij rationem præsefert, in seq; continet. Huc accedit etiam quòd dum peccata punit, de reisq; sumit supplicium, non potest in huiusmodi, qui peccarunt, peccandoq; se reos fecerunt, non uideri, non iudicari ideo beneficus: quia eos elegit, eosq; dignos duxit: qui exemplo testimonioq; suo exactam diuinæ iustitiæ rationem comprobarent: & tam posteritati, successuroq; generi, quàm etiam tum uiuentibus documento forent, & admonitioni: quantum referat peccata caueri: & quantum expediat Deum non offendi. Huiusmodi nempe beneficentiæ genere usus est Deus erga Aegy-

ptios, Aegyptiorumq; Regem: quos dum peccatorum, delictorumq; causa tum cladibus afflixit, tum morte affecit: non minus prohibuit fieri deteriores, quàm constituit, elegitq;, qui reliquis exemplo forent, ferrentq; diuinæ iustitiæ testimonium: & arguerent peccati pernitiosam conditionem, & diuinæ offensioni debitas, destinatasq; calamitates. Possemus hic quidē ciues id tyrannidis Aegyptiacæ moraliter interpretari, & aptè congruaq; typi similitudine Hebræum populum comparare interiori homini, exteriori uerò Aegyptium: qui cum regem appetitum habeat, non audit rationem, quæ interioris hominis à seruitute liberandi curam gerit: donec ratio ipsa conatu ualido usa non consternarit potentiam sensuum: quibus exterior homo constat: regemq; sensuum, qui est appetitus contuderit. Quiremus item conuenienti typi similitudine explicare, quemadmodum Rex Aegyptiorum referre queat patrem illum peccati, regemq; uitiorum Diabolum: qui cum studeat hominem, genusq; hominum in seruitute peccati detinere, & à Dei cultu, atque obseruantia auertere: à cœptis tum desistit, speq; frustratus rem deserit: cum ad Deum conuersus homo: Deiq; gratia, atque ope suffultus in libertatem se uendicat; & à tyrannide uitiorum, seruituteq; peccati se refert in libertatem spiritus: sibiq; Dei gratiam gratum Deo ipsi hominem facientem, consequitur. Sed quoniam id rei non satis ad institutum nostrum exequendum pertinere uidetur, nec satis expedire propositæ initio nobis materiæ expediendæ: id=

circo aliquid obiter sufficiat attigisse, & transeundo breuiter perstrinxisse. Pro negotij propositi ratione expedienda plura adhuc supersunt, quam ut oporteat immorari diutius in his, quæ ab orbita diuertere, & ab instituta uia possint non mediocriter abducere. Primogenitis Aegyptiorum omnibus opera Dei percussis, interfectisq;, nõ solum potestatem fecit Rex Hebræis liberè abeundi: sed etiam Aegyptij urserunt, acceleraruntq; abitum eorum sibi uehementer ab eis timentes, eorumq; moram in Aegypto sibi nocuam, exitiosamq; nimis suspicantes. Qui numero duo & septuaginta Israelitæ Aegyptum adierant, sic ex Dei beneficentia, & promissione aucti sobole, generisq; propagatione augmẽtati fuerunt quadringentorum trigintaq; annorũ curriculo: ut ad sexcenta uirorum millia Aegypto excederent, non adnumeratis mulieribus, & liberis, generéq; uulgi promiscuo, quod penè præ multitudine numerari non posset. Quò tutò abirent Israelitæ, & quò uiam ab omni hostilitate tutam tenerẽt, se præbuit eis Deus ductorem, exploratoremq; ita, ut diurno tempore in columna nubis præiret, nocturno uerò in columna ignea præcederet. O singularem Dei de homine curam: quem die, noctuq; comitatur: cui se ducem, præambulonemq; præstat: ne ei gradienti, peregrinantiq; aliquid mali inferatur, aliquid ue incommodi, detrimentiq; ex hoste contingat. Iam deduxerat Hebræos Deus ad litora maris: cum rex Aegyptius pœnitentia actus, quòd Hebræos dimisisset, ut eos rursus in seruitutem re=

uocaret, inſequi cum curribus, equis, magnaq́; mi
litum, atque armatorum multitudine deprehenſus
eſt: qui cum iam appropinquaret, impreſſionemq́;
facere moliretur, ſecedere aquas maris, perq́; me=
dium ponti pelagus aperiri, ſterniq́; uiam Hebræis
tranſituris iuſſit Deus: quos quidem tranſeuntes,
traijcienteſq́; ſicco pede cum eadem uia perſequeren
tur Aegyptij: Dei opera perfectum eſt: ut cum pri
mum Hebræi in continentem perueniſſent, conflu=
entibus unà aquis, & reuerſo in ſolitam æquoris
ſpeciem pelago, obruerentur inſequentes Aegyptij:
& unà cum toto equitatu, atque exercitu Rex ipſe
ſubmergeretur: qui cum neſciret habere modum
delinquendi, abutendiq́; Dei patientia, morte in=
terceptus, non eſt permiſſus diuina beneficentia, &
charitate eò peruenire noxæ, et peruerſitatis: quò
perueniſſet, ſi incolumis adhuc perſtitiſſet: & pro
incolumitate, quam toties delinquendo nihilominus
retinuiſſet: audacior euaſiſſet ad delinquendum, &
pertinacior ad conſpirandum contra Deum, Deiq́;
mandata, & uoluntatem. Quis ſatis queat hic ad=
mirari beneuolentiam, quam oſtendit, & benefi=
centiam quam exercuit Deus erga Hebræos: quos
non ſolum liberos, incolumeſq́; ſeruauit ab impe=
tu, perſecutioneq́; hoſtili, ſed etiam eis ſiccum ſtra=
uit iter per mare gradientibus. Zoili Græcorum,
Momi'que philoſophantium diuini facti miraculum
eleuare cupientes id rei adſcribant, ut lubet, natu=
rali cauſæ: dummodo falſi, erroris'que conuincan=
tur: quatenus cauſarum quas afferunt, ratio

minus patitur ; ut tam diu diductis aquis uiam mare admiserit : quousq; tanta hominum multitudo pertransiret : cum etiam diuini miraculi testimonium abundè ferant uestigia curruum, rotarumq́; orbitæ etiam num, ut perhibent, qui uiderunt, superantes non solum in litore, sed etiam in medio maris profundo. Is nempè transitus maris, quo seruati sunt Israelitæ ab hostili Aegyptiorum manu, arguit typo satis habili, & congruo sacri lauacri mysterium, quod Christi traditione institutum genus humanum liberare creditur à manu, tyrannideq́; Diaboli, & à seruitute, uinculoq́; peccati. Non aliter sacri lauacri salutare mysteriū refert transitu maris parta incolumitas : quàm immolati agni comestio, quæ prohibetur alienigenis, & incircuncisis, & quæ ita fieri debet, ut quidquam carnis extra domum, forasq́; non efferatur : & quidquam ossis non comminuatur, neq; confringatur ; referat sacrum illud salutare : quod post cœnam cum discipulis actam Christus seruator noster instituit, à cuius quidem sacri comestione tam arcetur quisquis alienus est ab institutione, uitaq́; Christi : & circuncisus non est uitijs atque peccatis, quàm prohibetur, ne quid sacræ carnis foras efferatur : & ad exterius aliquod, corporeumq́; commodum referatur : quæ sanè caro tota ipsi homini ad internam animæ sustentationem, salutemq́; sic sumenda est, sic comedenda: ut nihil ossis ex ea, nihil ex ea uirtutis, & efficaciæ uitio hominis comminuatur. Postquam mare incolumes egressi sunt Israelitæ, desertum habitatoribus, cultori-

busq; locum intrauerunt: & iam per agrestem loci solitudinem tribus diebus iter fecerant, & nihil aquarum, quibus sitim sedare possẽt, ad huc inuenerant: cum peruenientes in Maram, fontem reperierunt: cuius aquas cum poturi deprehendissent amaras, indignabundi Mosen redargutione incessiuerunt, & questu graui impetentes ab eo expostularunt: undè uellet sibi in potum aquam hauriri, cum siti grauiter adeò laborarent. Qua de re cum Dei opem, auxiliumq; Moses implorasset, Deo ostendente, lignum excepit, quod aquis immissum dulcorẽ indidit, amaritiemq; omnem abstulit. O' miram diuini ligni uirtutem; ò efficacem potestatem, qua effectum est, ut omnis quæ aquis inerat amaritudo elueretur, & mira dulcoris suauitas infunderetur. Quidnam typi, quidnam symboli posset aptius, & congruentius indicare salutare diuinæ crucis lignũ, salubremq; ligni crucis uirtutem, potestatemq; referre? quo sanè peccati amarities omnis ablata est, & diuinæ gratiæ suauis dulcedo allata est hominum generi. Huius nempè symboli ratio congruentior eò, & concinnior apparet: quò expressiorem imaginẽ, & propiorem ipsi rei similitudinem gerit: quæ nescio si maior, propiorq; exprimi, effingiq; posset: quàm dum non solum specie conuenit cum re ipsa symbolum, sed etiam uirtutis similem quandam rationem habet, & quidquid in re effectus est, & efficatiæ: refert, repræsentatq; accomoda, aptaq; similitudine. Quis undiq; quadrãtẽ, cõueniẽtemq; undiq; symboli rationẽ non intelligat, qui cogitet, quemadmo

dum Deus ostenso, indicatoq; ligno: quo dulcore allato exigeretur amaror, cōmemoratur præcepta populo cō stituisse: quæ si custodiret, futurum esset ut omnis lā gor, atque ægritudo, quibus affecti fuissent Aegyptij, abesset ab eo: & se medicum, sanatoremq; ei fore promisisse. O benignum medicum: o benefi cum, amantemq; sanatorem, qui ligni uirtute expressa peccati amaritie edulcauit uitam hominis instar aquæ fluentem: & genus humanum tristi affectuum, cogitationumq; uanarum amaritudine detentum, dulci spe salutis æternæ affecit: & diuinæ charitatis dulcore suauiter temperauit. Ostenso dulcedinis ligno, patefactaq; omnibus publicè ligni edulcantis ratione se præstat, seq; offert Deus medicum: se promittit, seq; exhibet sanatorem omnium langorum, atque ægritudinum, quæ nobis possint contingere: dummodo nosmetipsos ex aduerso præbeamus eius studiosos, eiusq; præceptis obtemperantes. Abscedentes Israelitæ à Mara: ubi Dei opera, uirtuteq; ligni, ex amaris aquæ dulces sunt effectæ, peruenerunt in Elim, ubi duodecim fontes dulcium aquarum reperti sunt scaturire: & ubi septuaginta palmæ dulci fructuū copia inuentæ sunt abundare. Quod continetur his symbolis, quàm conueniat, quàmq; respondeat superioris symboli interpretationi, nemo non agnoscere quiuerit, qui secū reputarit duodecim fontes dulcium aquarum nihil aliud referre, quàm duodecim seruatoris nostri discipulos: & quæ septuaginta recensentur palmæ, septuaginta electos, qui doctrina, exemplo, sanctitate

non tam fructus protulerunt in religione Christi inducenda, per uniuersumq; orbē propaganda, quàm palmam, palmariumq; quæsiuerunt in eiusdem religionis inimicis conuincendis superandisq;. O generosos, fortesq; uictores, qui palmarum instar nulli grauitati persecutionum cedentes, nulliq; laborum oneri succumbentes sic contra Tyrannorum impetus sese habuerunt, sic contra hostes acriter pugnauerunt, ut superstite uita sese non receperint, nisi obtenta, partaq; uictoria. Non hic arbitror tempus mihi conterendum in recensendis, enumerandisq; singulis quibusq; locis, in quæ peruenerint Hebræi, dum per uastam Eremi solitudinem peregrinarentur: sed prosequar solum Dei beneficia ab eis accepta; & attingam signa, testimoniaque diuinæ erga eos beneuolentiæ edita, dum sunt peregrinati: quæ quidem tot, & tam magna, tamq; præclara fuere: ut qui ea non agnouerint, gratosq; se non ex aduerso præstiterint, censendi sint inhumani prorsus, & ab omni lege rationis, & humanitatis fuisse alieni. Cum fame laborarent, ideoq; obstreperēt aduersus Mosen, beneficio diuino tam magnam coturnicum copiam consecuti sunt, ut abundè saturari, ciboq; expleri largè potuerint. Nec satis id ad suam erga eos beneuolentiam ostendendam ratus Deus, conglobatum rorem, cibumq; instar similaginis melle compactæ candidum, dulcemq; de cœlo misit: quo cibi delicato genere nunquàm eis defuit, quousq; in Eremi solitudine fuerunt: & donec in loca sedibus destinata peruenerunt. O diuinum, cele-

steq; hominis alimentum. O cibum omni carne, omniq; fruge delicatiorem. Id nempe cibi genus Hebræis abundè cœlitus sufficiendo Deus singularem erga eos beneuolentiam declarauit, & suæ erga eos beneficentiæ uim expressit abundanter. Sed quod huius cibi tam suauis, tamq; delicati symbolo designatur, id traditum, exhibitumq; homini ad comedendum, longè maiorem fert diuinæ erga hominem beneuolentiæ significationem: & diuini erga genus humanum beneficij uim declarat abundantius: quandoquidem quod cibi genus cœlitus à Deo tradebatur Hebræis: tendebat ad uitæ fragilis, mortalisq; tuendæ rationem: & ad corpus uiuificandum, nutriendumq; pertinebat: quod uerò cibi Christi nostri seruatoris institutione homini concessum est, non pertinet ad corporis, sed animæ uiuificationem, non ad tuendam fragilem, mortalemq; uitam spectat, sed ad æternam, immortalemq; parandam, atque custodiendam. Vix Dei benignitas cibi causa Hebræis, quousq; in desertis, sterilibusq; locis essent, cauerat; cum causa potus se quoq; rursus obtulit occasio diuinæ in eos beneuolentiæ ostendendæ, beneficijq; diuini exercendi. Cum enim eò locorum peruenissent, quæ arida, petrosaq; nihil omnino aquæ haberent, quo sitim restinguere possent: à Mose Deus iussit uirga percuti petram: qua percussa tantum aquæ exiliuit, emanauitq;: ut largiter sufficeret tot millibus hominum potandis, tot pecudum, animantiumq; gregibus, armentisq; adaquandis. O speciosum Dei miraculum: O typi miram, arcanamq; ratio-

nem. Ex petra eductæ aquæ, aquas referentes, quæ de petra erant profluxuræ spiritali, quarum hau stu non tam uita ferretur, quàm saties bibendi immortalis constitueretur. Hæc est illa petra, qua se mysticus Psaltes memorat exaltatũ, sublimatumq́;, cum ab extremo terræ margine corde anxius, animoq́; solicitus clamasset ad Dominum, Deiq́; auxilium, beneficiumq́; implorasset. Hæc est illa petra, in cuius foramen humana anima sponsa Dei, & amica inuitatur uoce sponsi, & accersitur ad requiescendum. Hæc inquam petra illa est, in quam perhibetur homini dari tutum à Deo refugium, securusq́; receptus à periculis, hostiliq́; à discrimine. Hæc planè petra symbolum gerit eius, eumq́; typo habili refert: qui suæ doctrinæ largo mirabiliq́; fluento potum suggerit abundantem uniuerso hominum generi: & charitatis suæ, atque gratiæ profluenti iugiter uena sitim restinguere humanorum affectuum, & rerum corporalium siticulosas cupiditates temperare, sedareq́; potest. O' mirabilem, efficacemq́; diuinæ petræ uenam: quæ sedandæ, restinguendæq́; tot hominum siti sufficit: & quæ nullo quantumuis copioso, frequentiq́; haustu, potuq́; ualet exhauriri. Ex hac petræ abundanti uena proponebatur aqua haurienda Samaritidæ mulieri: qua quidem hausta, nulla amplius sitis molestia sentienda foret, nullaq́; esset superfutura bibendi cupiditas, aliundeq́; sitis restinguendæ causa aquam hauriendi.

Beneficio Dei in usus uitæ commodos, necessariosq́; abundantem aquam consecuti Israelitæ, mox etiã

eiusdem opera, beneficioq; uictoriam contra insidias, impressionemq; gentis Amalachytæ, brutiq; populi obtinuerunt: quem quidem superarunt, profligaruntq;: cum Moses manum, qua uirgam Dei detinebat elatam, sublimemq; sustineret. Hæc prospera nimirum, felixq; uictoria: quam sunt Dei ope, & beneficio adepti Israelitæ aduersus gentem Amalachytam, populumq; brutum: cuius typo designari irrationalium uoluptatum, brutorumq; uitiorum aciem, turbamq; si considerauerimus, longè maiorem diuini beneficij utilitatem, uimq; colligemus: cum longè maior, potiorq; eius sit beneficij ratio: quo fit, ut ab hostibus animorum superiores euadamus: quàm quo efficitur, ut indemnes, incolumesq; corpore, & uita hac fragili ab hostili impetu nosmetipsos seruemus. Sed cum iam temporis siue diei conditio uideatur exposcere: ut cœtus soluatur, & interim à dicendo supersedeatur: hic sistemus, & in proposita materia ulterius non progrediemur, quàm uel temporis ratio permittat, uel uestra in audiendo commoditas, & nostræ in dicendo uires tolerare posse uideantur. Superest ut cras redeatis, hucq; conueniatis unà, non minora quàm acceperitis, audituri de Dei in hominem beneuolentia, atque beneficentia documenta.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI REGIENSIS DE DIVINA IN HOMINEM BENEVOLENTIA, ATQVE BENEFICENTIA AD VIROS REGIENSES

ORATIO SECVNDA.

S I diligēter uiri Regienses, ciuesq; mei expendamus, quæ de diuina in hominem, siue Hebræos charitate, & beneficentia hactenus à nobis prodita sunt, atq; explicata: ea uideri possunt corporis quandam præcipuè cautionem respicere, & non minus in uitæ tuenda incolumitate, quàm in generis augendi ratione, prosperoq; rerū successu consistere. Quæ supersunt, non adeo, nec præcipuè ad cautionem, incolumitatemq; corporis pertinere uidentur: sed animi instituendi, moderandiq; in primis rationem continere: quæ complectatur non solum quod expediat pro recto uiuendi instituto ab homine præstari, sed etiam quonam pacto homo ipse debeat erga hominem se habere. Quantò animi, quàm corporis incolumitas pluris facienda est, & æstimanda: tantò rationem diuini amoris, & beneficentiæ licebit hinc pleniorem, uberioremq; animaduertere. Vestrum idcirco fuerit ciues eò acrioribus animis in=

cumbere, quò potiore agendum est à nobis ratione de diuinis in hominem beneficijs, & charitate. Vnde seriem, quam cœpimus prosequentes diuinarum legum, atque præceptorum traditionem suscipiemus explicandam: & singula quæque, prout ordo suggeret historiæ, complectemur testimonia diuinæ in Hebræos propensionis, atque beneuolentiæ. Cum iam Deus animaduerteret gentem Hebræorum degenerare ab illa maiorum suorum integritate, continentia, religione: paulatimq; recedere ab usu rationis: & igniculos naturæ rationalis, quibus homini innotescit, quid nomine boni agere, quid euitare nomine mali debeat: praua agendi consuetudine, & nimia cupiditatis indulgentia sensim in se restinguere: existimauit fore usui, si quæ agenda, aut uitanda à maioribus eorum naturæ iure, legeq; rationis fuissent cognita, & perinde ac si tabulis inscripta, propositaq; habuissent: animis conseruata, custoditaq; extitissent: in scriptis relata, & monumentis literarum commendata memoriæ proponerentur publicè agnoscenda, obseruandaq;: & quæ fas, nefasq; continerent, tanquam ex albo, edictoue prætorio omnino innotescerent. Quò uerò præceptorum, legumq; latio maiorem obseruantiæ rationem, uimq; haberet: & plus authoritatis, ac fidei sibi uendicaret apud Hebræos, non solum præsentiam suam Deus in monte palàm testatus est tonitru, fulgure, fumo, igne, buccina, sed etiam uoce sua sacrum decalogum promulgauit: oreq; suo decem præceptorum legem edidit ita, ut ab omni popu

lo undiq; audiretur. Deinde accito in montem Mose perhibetur decem præceptorum legem sua manu, suisq; digitis conscriptam duabus in tabulis lapideis ei tradidisse proponendam Hebræis, atque lectitandam. O magnum diuinæ erga Hebræos beneuolentiæ argumentum: O clarum, illustreq; specimen diuinæ erga id genus hominum benignitatis, & curæ. Leges quas pro tuenda pietate, pro seruanda integritate, pro pacis, societatisq; mutuæ iure custodiendo obseruare deberent, tradidit Deus Hebræis suo ore promulgatas, suisq; dextræ digitis conscriptas. Sed cum nosset hominum genus in malum facilè uergere; & fieri posse, ut qui alioqui uirtutis amore, studioq; honestatis ad sanctas, piasq; legis traditiones obseruandas non inducerentur, pœnarum formidine inducantur: accersito Mose leges constituit, quas uellet obseruari in puniendis, plectendisq;, quicunque in decalogum commisissent, deliquissentq; contra sanctam, piamq; præceptorum legem. O cautam Dei curam, maximiq; erga hominem amoris indicem. Non solum tradidit homini præcepta Deus, quibus obseruatis benè habeat, beateq; uiuat: sed etiam obicem, ne quæ prohibeantur facile fiant, opposuit, attulitq; impedimentum, ne secus quàm par sit, agatur in eis, quæ præcipiantur agenda. Præterea cum rerum earum maxime memoriam retineamus, tenaciterq; animo impressam cogitationem seruemus: quarum symbola singulis quibusque nostris in operationibus, & actibus proposita, obuiaq; habeamus: ideo Deus tra

didit Hebræis pro ſua in eos benignitate, beneficoq́;
conſulendi eis ſtudio tertium legum genus: quibus
uterentur in peculiari tam ſacrificandi, quàm uiuen
di, ueſcendiq́; ratione. Ex huiuſmodi legum gene=
nere nulla, ut arbitror, ſi diligenti ſtudio inueſtige
tur, fuerit lex, quæ ſpeciem aliquam typi, atque
ſymboli non habeat cum eis, quæ decalogo cõtinen=
tur, uel ad decalogi rationem pertinent: ad quam
planè genus omne uirtutum ſpectare, poterit facilè
cognoſcere quicunque tum reſoluendi, tum compo=
nendi benè cognitam habuerit rationem. Id genus
legum, quæ ſymbola erant obſeruandi decalogi, &
typos, ſignaq́; gerebant uitandorum uitiorum, quæ
rendarumq́; uirtutum, atque exercendarum: con=
ueniens fuit abrogari, ſimulatque Chriſtus, qui in
ſe omnem decalogi rationem, omneſq́; omnium uir
tutum ſpecies complectebatur: & non ſolum erat
archetypus ipſius decalogi, ſed etiam omnium uir=
tutum, omniſq́; perfectionis exemplar exiſtebat:
propoſuit ſe imitandum mortali hominum generi;
& conuerſatus apud nos tum doctrina, tum exem=
plo, & tam docendo, quàm agendo genuinam fa=
ciem omnium uirtutum nobis oſtendit, & perfectio
nis omnis modum, rationemq́; explicuit: cuius qui=
dem aſſequendæ non modo apertum modum, cer=
tamq́; rationem tradidit, ſed in ea etiam aſſequen=
da eam, quæ prius aſſuerat hominum generi diffi=
cultas, atque impotentia, ſuæ uirtute gratiæ, ſuiq́;
ſanguinis effuſi efficacia abſtulit: effecitq́; pro ſua
in genus humanum benignitate, & charitate, ut

quorum prius symbola ægrè præstari poterant ab Hebræis, ea reapse efficaciter, potenterq; denique præstari possint à nobis. O Christi meritum in nos eximium: O diuini uerbi benignam, potentemq; gratiam erga genus humanum exercitam. Quæ grauis Hebræis symbolorum præstatio, atque obseruatio esse uidebatur: & quæ uirtutum signa, & uitiorum symbola seruatu, uitatuq; grauia esse uidebantur, & difficilia: Christi gratia aspirante, Christi uirtute succurrente, eis tanquam superuacaneis, nihilq; amplius necessarijs posthabitis, rebus ipsis præstandis accingimur, & sufficimus ita, ut cum quorum symbola præstitu grauia sint uisa, eorum reapse præstatio uideri possit grauissima: plurimum tamen inde suauitatis sentiamus, & iucunditatis experiamur: cum Christi merito, atque uirtute fiat, ut quod alioqui latu grauissimum uideri posset, & sensu asperum, amarumq;: id adeo nihil habeat laboriosi oneris, adeo nihil afferat asperitatis, & amaritudinis, ut uel leuissimum sit portatu, & suauissimum, iucundissimumq; existat sensu, atque gustatu. Nihil erat, cur speraremus pro fragili, & in malum prona conditione nostra posse nos præstare rem ipsam: cuius signum satis exequi nequiuissent antiqui Hebræorum: nisi Christi gratia maximè iuuaremur: & Christi uirtutem propitiam, salutaremq; experiremur. Quidquid non potuerunt Hebræi uirtutis, & perfectionis assequi, licet eius symbola in uiuendi, sacrificandiq; ritu assiduè proposita haberent: nos symbolis amplius non indigentes,

quibus admoneamur uirtutis quærendæ, uitijq; cauendi, cum Christum habeamus uirtutis omnis, & perfectionis archetypum assiduè nos sua doctrina, & exemplo admonentem, & interpellantem, dantemq; uim, & potestatem ad quæ nos interpellet, ea præstandi: acquirere possumus atque adipisci. Multa sanè continentur in hoc legum genere tertio: quæ Christi uitam, conditionemq; referãt: quæ Christi Apostolos indicent: quæ sacræ Ecclesiæ institutionem, potestatemq; significent: quæ quidem ne nimis in huiusmodi prosequendis uidear curiosus, omnino prætermittam: & quæ possint ferre testimonium diuinæ erga hominem beneuolẽtiæ: quæq; arguant, contineantq; aliquod beneficium Dei erga genus Hebræorum, ea persequar, non tamen idcirco statuens singula quæque singillatim attingere: quoniam id propemodum foret immensi operis, & laboris infiniti. Tantummodo ea enumerabo, intactaq; non relinquam: quæ maioris uisa fuerint momenti, & maiorem diuinæ beneuolentiæ, & beneficentiæ significationẽ habuerint. Nam possem non solum recensere, quoties Deus cum Mose fuerit, Mosen allocutus sit, Mosi se ostenderit; quod ingens est argumentum diuinæ in hominem beneuolentiæ: sed etiam exponere, seriatimq; proferre: quemadmodum se uidẽdum septuaginta populi senioribus permiserit: quot signa clara suæ præsentiæ palam omnibus ediderit: quoties uocem uulgo audiendã protulerit: quoties manum ab ultione continens peccatum condonarit, remiseritq; placatus pœnas noxis

apparatas. Quæ quidem omnia, ne tractatus propositi explicatio modum excedat: duco prætermittenda: & ad ea arbitror transeundum, quæ non minus fusam latè diuinæ beneficentiæ rationem præferant, quàm contineant beneuolentiam Dei aliquam cum maiori, euidentioriq; utilitate expressam, atque declaratam. Non insistam in beneficio nubis illius explicando: quæ desuper obtenta, iniectaq; tabernaculo fœderis indicabat, quando conduceret, expediretq; aut loco manere, aut esse demigrandum. Non suffectas in mensem integrum carnes commemorabo: quarum quidem suffectio, prout arguit Dei in Hebræos indulgentiam, beneficentiamq;: ita in eis expetendis impotens, importunaq; ipsorum Hebræorum aduersus Deum expostulatio in causa fuit, ut non minus impiæ ingratitudinis, quàm exortis, nimiæq; concupiscentiæ pœnas darēt. Non percusso silice emanantes aquas, non putei detecti largam ad bibendum aquarum oblatam copiam, non uictoriam de Cananæis relatam pluribus explicabo. Illud porrò beneficij non æquè perstringendum, aut silētio prætereundum arbitror: quod duplicem diuinæ beneficentiæ rationem continet, & geminam salutis consecutionem comprehendit. quatenus enim in sua specie, suaq; conditione accipitur, salutem corporis, restitutionem corporalis sanitatis, liberationem ab interitu corporis continere comperitur. Quatenus uerò rationem symboli habet, typumq; gerit, longè maiorem beneficentiæ uim continet, longè potiorem beneuolentiæ diuinæ erga ho

minem significationem refert: quandoquidem non corporis, sed animæ ipsius salutem, sanitatem, liberationem, à morte complectitur. Cum uehementer Hebræi à uirulentis serpentibus infestarentur: & eorum mortiferis morsibus plurimi periclitarentur: Deus à Mose imploratus auxilio iussit ab eo serpentem æneum conflari, eumq; palam attolli, publiceq; apponi prosigno: in quem quicunque serpentũ morsibus oblæsi respexissent, indicauit fore, ut sanarentur omnino, & sospites euaderent omni mortis periculo liberati. Simulatque Moses, quod præceperat Deus, executus est; confiebat, ut nullus, qui morsu serpentum laboraret, in arrectum, expositumq; serpentem respiceret, quin sanaretur à morsu, & ab interitus discrimine exolueretur. O' miram stupendamq; conflati serpentis uirtutem: in quem respiciendo, in quem contuendo, quisquis uenenoso serpentis morsu infectus esset, & lethifero uirulenti reptilis ictu laboraret, confestim sanesceret, incolumisq; redderetur. Quis iam non uideat, quis non agnoscat serpentis huiusmodi conflati typo designari Christum seruatorem nostrum: qui non semine hominis, neque opera effigiatus, fabrefactusq;, sed diuino spiritus flamine conflatus, uirtutem, uimq; habuit sanandi genus humanum morsu serpentis, peccatiq; ueneno infectum: fecitq; potestatem omnibus recuperandi sanitatem: quæ in primo homine serpentis morsu perdita fuerat: & mortem deuitandi, quæ ex infectione, opera serpentis, naturæ humanæ illata immineret: dummodo ipse plena fide, ui-

tæq; imitatione respiceretur. Hic est ille salutaris serpens: qui cum morsu non polleat, & omnis expers sit ueneni, compotes sanitatis omnes efficit, & à mortis discrimine liberat: qui à serpente icti, & morsu peccati infecti sese ad ipsum plena fide conuerterint, ipsum'que contuendo factis, uitáq; fuerint imitati. Huius serpentis symbolo designari seruatorem nostrum adeo non est ambigendum: ut præter sapientiam, prudentiamq; specie serpentis designatam: qua inter cæteros homines non aliter ferè præstitit Christus, quàm perhibetur serpens inter irrationalis generis animantia præstare: & præter solidam, constantemq; uirtutem, quæ in Christo existens æris nomine indicatur: id accedat etiam efficacis argumenti: quod ipsemet Deus id genus ænei serpentis iussit poni pro signo, & in symbolum constitui, indicans manifestè fore, qui symbolum impleat, symboloq; referatur: quem fuisse alium quàm Christum qui crederet, is omni talpa cæcior esset, & nihil minus animaduerteret, quàm quæ generi humano præstiterit Christus ad salutem obtinendam, sanitatemq; recuperandam. Beneuolentiam quoque Dei erga Hebræos non magis testatur illæ uictoriæ: quas eius auspicijs contra Amoræos, contra Basannitas, contra Madianitas obtinuerunt: quàm uatis, arioli'ue à Rege Moabitarũ acciti; quò execraretur Hebræos prohibita execratio, qui sanè uates non solum Dei iussu temperauit ab execrandis Hebræis, sed eis etiam ter benè ominatus est, ter feliciter est imprecatus. Qui mer-

cede proposita à Rege conductus erat ad execrandum: is Deo iubente, Deoq; urgente benè imprecatus est, & feliciter ominatus. Tantum abfuit, ut posset huiusmodi uates, siue ariolus satisfacere Moabitæ Regi execrationem contra Hebræos exigenti: ut non solum eis Dei opera benè imprecari sit coactus, sed etiam uaticinatus sit palmas, uictoriasq;, quas adepturi essent non tam contra Moabitas, quàm cõtra gentium nationes alias: quibus expulsis, profligatisq;, benè, beateq; essent uicturi. Quin eò processisse ariolus Deo suggerente comperitur, ut de nostri etiam seruatoris prospero, salutariq; ortu ex genere Hebræorum futuro uaticinaretur. Quò fit, ut appareat nullam à Deo prætermissam occasionẽ suæ erga nos beneficentiæ declarandæ, suiq; in nos beneficij demonstrandi: ne fortè contingeret id à nobis ignorari, & graui cum nostra pernitie non agnosci, atque acceptari. Ex ore arioli, ex ore hominis alioqui gentilis, & profani uoluit Deus nobis etiam constare, nobisq; innotescere salutis nostræ authorem, & beneficium felicitatis nobis oblatæ: ne genus ullum probationis, aut testimonij relinqueretur, quo beneficij ratio non illustraretur: & ne apud genus aliquod hominum superesset occasio ulla dubitandi, uel ignorandi. Cum Hebræi, simulac excessissent Aegypto, per quadraginta annos, & amplius in uasta Eremi solitudine fuissent, & in desertis habitatoribus locis degissent ita: ut non minus Deo suppeditante, quæcunq; uictui forent necessaria, habuissent: quàm Dei beneficio conseruassent

illæsa, & incorrupta, quæcunq; tegendi, induendiq́; corporis secum ex Aegypto attulissent: tandem Deo duce, & auspice peruenerunt ad fines regionis, terræ'ue eius, quam lacte manantem, & melle fluentem Deus idem pro sua benignitate, & be beneficentia promiserat eorum maioribus, se daturum habitandam, possidendamq́; futuræ ipsorum posteritati, uenturisq́; nepotibus. Priusquam uerò promissæ regionis loca ingrederentur, defuncto Mose datus est Dei cura, & prouidentia, qui loco Mosis esset eorum dux, & qui suo ductu, atque opera tam procuraret eos in fide Dei, eiusq́; mandatorum obseruatione continendos, quàm introducendos in regionis promissæ possessionem. O' triunphantem, gloriosumq́; ducem, qui meruit, quod non potuit Moses, suo ductu, suisq́; auspicijs in terram, regionemq́; omni copia rerum abundantem, & nō minus soli ubertate, quàm cœli salubritate pollentem deducere populum Israelitam: eumq́; post tam longam seruitutem Aegypti, post tot uastæ solitudinis, desertiq́; loci errores, & post tot annorum anxiam, periculosamq́; peregrinationem, felicis, amænæq́; regionis constituere possessorem, habitatoremq́; loci, siue terræ, in qua non minus sospes, incolumisq́; esset uicturus, quàm quiete, tranquillitateq́; fruiturus, omniq́; rerum copia abundaturus. Si quis fortasse ex uobis ciues est, qui cupiat huiusmodi ducis sibi nomen indicari: ne quid alicui relinquatur ignotum, quod ad rem pertinere possit: sciendum est id ducis esse nomen: quod cum duo-

bus competat, euenit ut de utro sentiatur, adeo nihil referre existimem: ut de utroq; sentiendum esse omnino arbitrer. Duci nomen est Iesus. de Iesu Naues, pro ut historiæ tenor indicat, si sentiamus, is nempè dux fuit Hebræis: ut in terram, regionemq; palestinam inducerentur. de Iesu uerò Nazareno, prout diuini mysterij ratio exigit, si intelligamus: is nimirum fuit, quo duce, quo auspice, quo authore genus humanum post longam peccati seruitutem, post uarios, multiplicesq; uitæ errores, & post anxiam, periculosamq; à Dei gratia peregrinationem nobis aditum parauit, uiamq; adaperuit. qua possimus in destinatam, promissamq; homini Dei benignitate, & liberalitate cœlestem regionem ingredi, & terram, de qua Psalte diuino attestante ueritas oritur, adire, perpetua in quiete possidendā, & summa cum felicitate, bonorumq; omnium copia colendam, atque habitandam. O' terram omni felicitate fœcundam, omniq; bonorum genere refertam: quæ cum antiquis Hebræorum patribus, eorumq; posteritati sub symbolo palestinæ regionis, promissa sit à Deo perpetuò colenda, atque possidēda: tam puræ intelligentiæ lacte manat, quàm iucundæ, dulcisq; charitatis melle scaturit. Hæc est illa quieti transigendæ, uitæq; beatè traducendæ dedita regio, quam ingredi non possumus nisi Christo Iesu duce, atque auspice, simulatque recesserimus ab Aegypto, uitiorumq; ergastulo: & per huiusce mortalis, laboriosæ, omniq; quietis genere carentis uitæ spatium perexerimus: & omnes constā

ter progrediendo, tolerandoq́; fortiter superauerimus labores, pericula, ærumnas peregrinationis huiuscemodi, in qua uiuimus, uitamq́; hanc trahimus. Eia igitur ciues mei promptos, alacresq́; sumamus animos, & recedentes ab Aegyptijs, uitiorumq́; seruitute toleranter transigamus, & constanter perferamus labores, & quasq; molestias breuis huius peregrinationis: quò demum possimus Christi auspicijs, Iesuq́; duce ingredi felicem regionem, salutaremq́; terram, in qua perpetuò quietem agamus, & perenni uitæ felicitate fruamur. Ne diffidamus ullo pacto nos posse liberari à seruitute quamlibet arcta, & longa Aegypti, atque uitiorum: quoniam Deum propitium, fautoremq́; habemus, & summopere studiosum, cupidumq́; nostræ liberationis: cuius potenti, ualidaq́; manu accedente, nihil est, quod effici præstariq́; non possit. Ne deficiamus animis in hac misera, plenaq́; laborum peregrinatione; in qua tantum abest ut Deus pro sua in nos beneuolentia, & charitate desit: ut se nobis assiduum comitem præbeat: & nullo in periculo, nullaq́; in necessitate nos sinat à se desertos, siue derelictos. Qua ratione nihil est, cur diffidamus, nisi fortè nobismet ipsis desimus, ingressuros nos duce Christo Iesu terram cœlestem, beatamq́; regionem: quam spopondit Deus se concessurum omnibus: qui spiritus ratione, non sanguinis habituri essent cognationem cum illis Hebræorum maioribus, quos non minus probitate uitæ, quàm fide, obseruantiaq́; erga se spectatos, probatosq́; nouerat. Defuncto itaque

Mose, eiusq; loco Dei iussu, atque uoluntate suffe=cto Iesu Naues, Hebræi terram, regionemq; pale=stinam ingressuri ad ripam Iordani constiterant, meditantesq; quonam modo traiecturi essent, hærebãt: cum Dei opera conspexerunt aquas fluminis superiori ex parte sisti, contineriq; ita: ut quæ inferiorem fluminis alueum occupabant aquæ, ex more defluẽtes relinquerent siccum, tutumq; iter Hebræis transeuntibus. Vix id admirandi facinoris ediderat Deus, quo suam mirificè erga Hebræos animi propensionẽ testatus fuerat: cum nihilominus alio admirando, stupendoq; facinore suum in eos amanter declara=uit studium, & uoluntatem. Cum enim prout præceperat, sublata arca fœderis septimo die urbem Hiericonem circumirent Hebræi, & septem buccinis sacerdotes uehementer clangerent: effectum est, ut urbis mœnia subito casu corruerent, facerentq; potestatem ingrediendi ad hostes: hostibusq; ipsis potiundi. Id sanè rei, atque casus plurima admiratio=ne dignum est, plurimumq; studij, beneuolen=tiæq; diuinæ in Hebræos arguit: sed longè plus ad=mirationis meretur, longeq; maiorem declarat in genus hominum Dei beneuolentiam, quidquid hu=iusmodi symbolo continetur arcani, siue mysterij. Quis enim qui cogitet, animaduertatq; symbolo arcæ significari sacram Christi Ecclesiam, & septem buccinis septem Ecclesiæ sacramenta designari: quibus dum clangunt sacerdotes Ecclesiæ: eisq; exercẽdis, ministrandisq; incumbunt: Dei opera, Christiq; merito efficitur, ut hostilis urbis, sensilisq; concupi

scentiæ, quæ rationi, spirituiq; obsistit: mœnia, ut resq; corruant: non apertè intelligat, non manifestè comprehendat, id diuini facti, quod fauori Hebræorum cessit, nullo pacto æquiparandum tam causa editi miraculi, quàm ratione declaratæ beneuolentiæ cum Dei effectu, Deiq; opere: quod erga nos operatur opera sacramentorum: quæ quidem si tam re, quàm signo sumantur: nihil est, quin arbitremur partam omnino contra hostes esse uictoriam: & nihil amplius hosti superesse: quo se tueri, seq; aduersum dare possit. O uim non magis mirificam, quàm beneficam sacramentorum Ecclesiæ: quorum opera non solum hostes debellantur, subiguntur, trucidantur: sed etiam sospitas, quies, felicitas, salusq; homini æterna paratur. His nempe sacramentis nostri capitalis inimici Diaboli franguntur uires; & omnis uitiorum hostilitas superatur, atque expugnatur. Aduersus hæc sacramenta subsistere nequeunt uitiorum propugnacula, nullum robur peccatorum, nullaq; aduersantis concupiscentiæ ualet potestas resistere. Vt innumeras penè Ciuitates Dei opera, atque auxilio captas, expugnatasq; ab Hebræis: ut quamplurimos Reges debellatos, trucidatosq; prætercam: quantum fuit id miraculi, quantum fuit id beneficij, quo usus reperitur erga Israelitas Deus: cum quinque potentes, bellicosos q; Reges, qui confœderati unà conspirarant aduersus eos, in manus eorum tradidit patibulo suspendendos, crucibusq; suffigendos: & quò pleniorem, expeditioremq; de hostibus uictoriam consequerentur, atque reporta-

rent: grandine lapidum instar de cœlo missa, quam plurimos interemit: & uoto, precibusq́; Iesu ducis annuens stitit lunam: & à cursu repressit solem: donec duplicato die penitus profligarentur, dissiparenturq́; hostes. O factum admirabile, & nunquam hactenus in rerum natura auditum. efficaces nimirum fuere illæ hominis preces: quibus impetrari potuit, ut luna consisteret, & sol à cursu suo tam certa lege, stabiliq́; ratione præscripto sese contineret. Quo facto potuisset uideri Deus plus homini deferre, quàm quo naturalem cœli motum continuit: et uariauit naturæ ordinem: mundiq́; præscriptam legem suspendit: ut eius uoto deferret, eiusq́; petitioni satisfaceret? O indulgentem erga hominem Deũ: ò Dei bonitatẽ homini studiosam satisfaciendi. Nihil rei, nihil miraculi Deus pro sua in hominem propensione, & beneuolentia recusat efficere: dum sciat se rem ei gratam, utilemq́; facturum: & dummodo quod petitur, intelligat ab eo summa cum fide, speq́; obtinendi peti. Cur enim mirum uideri debet, si cuius causa, & beneficio elementa, mundum, cœlum condidit Deus: & certa lege, rationeq́; constituit: eius ut honesto uoto satisfaciat, eius ut commodo, utilitatiq́; consulat: naturæ, mundiq́; ipsius legem abrumpat: & cœli, elementorumq́; rationem, ac ordinem euariet. Sed quoniam quæ conspiciuntur, quæq́; constant corpore: sunt omnino argumenta eorum, quæ consistunt in animi, intellectusq́; ratione, & quæ minus sensibus possunt apprehendi: ideo tam solis consistentia, dieiq́; protra-

ctio, quàm quinq; Regum debellatio, internetioq́; spiritalis, incorporeæq́; rei sensum aptè admittit. Qua ratione fit: ut quinque Regum confœderatio aduersus Israelitam gentem aptè indicet quinq; sensuum irrationalium conspirationem aduersus rationem: quæ Dei gratia adiuta, suffultaq́; eos expugnat, debellatq́;: & captos, suamq́; in potestatem redactos necat, & interimit. Solis illa consistentia, dieiq́; productio impetrata à Deo precibus, petitioneq́; ducis Israelitæ Iesu designat, quidquid abundantioris gratiæ, quidquid potioris illuminationis ex Deo in genus hominum deriuatum, deductumq́; est Christi Iesu merito: qui cum Deus, & homo esset: sese medium habuit ita inter Deum, & homines: ut diuinæ gratiæ capaciorem hominem efficeret: & maioris lucis, illustriorisq́; ueritatis participem redderet. Nisi Christus Iesus generis humani dux tanquam homo impetrasset à Deo, uel tanquam Deus effecisset: ut sol diuinæ gratiæ diffusius irradiaret hominem, & abundantiori ueritatis luce, seu radio illuminaret; non esset, ut sperari posset opera, uiq́; rationis omnino debellatum, expugnatumq́; iri irrationales sensus: quos cum per se satis nequeat ratio expugnare, accedente diuinæ gratiæ adminiculo sic expugnat, sic superat: ut eos prorsum perdat, atque enecet. Longè magis conducere ad obtinédam de hostibus animæ uictoriam Dei opem, Deiq́; gratiam, quàm conatum ullum hominis, humanæq́; rationis ullam uim, indicatur abundè symbolo grandinis de cœlo instar lapidum

cadentis : qua maiorem hostium editam stragem, quàm pugna, uirtuteq; Hebræorum sacra continetur historia. Tantum enim abest ut sine adminiculo diuinæ gratiæ possimus aliquid boni, perfectiq; exequi, aut operari : ut nec ullo pacto cauere mala, nec ullo modo abstinere à uitijs ualeamus : nisi eam nobis adsistentem habeamus : quæ sanè semper, iugiterq; adsistit, nisi ultrò repellatur, ultroq; à nobis arceatur. Nec minus diuinæ gratiæ uis, potestasq; comprobatur: quàm testimonium de Dei erga hominem beneuolentia perhibetur : quatenus sacris ex monumentis apparet opera Dei, atque auxilio septem gentium magnas, numeroq; copiosas nationes in manus Hebræorum deuenisse. Quænam sunt hæ septem nationes gentium ; quæ ope diuina ab Hebræis debellatæ sunt, & omnino expugnatæ, profligatæq; fuerunt, priusquam Hebræi ipsi terram lacte, & melle manantem adipiscerentur: & quiete frui, tranquilleq; uiuere possent? Si rationem historiæ habeamus, sunt Ethæa, Gergesæa, Amorræa, Chananæa, Pherezæa, Euæa, Iebusæa. Sin sensus moralis rationem ita habeamus, ut numerum respiciamus : septem sunt noxæ lethiferæ: quibus ab homine non fugatis deletis'ue, nulla potest haberi ratio quietis, tranquillitatis, salutis. Sin autem non tam numeri, quàm nominum rationem ducamus, sunt formido, uiolentia, tristitia, æmulatio, dissensio, nequitia, turpitudo. Si existimaretis ciues mei huiusmodi malis affectibus, uitijsq; non fugatis, eiectisq; posse homini contingere

quidquam in hac uita lætum, quietum, tranquil=
lum: non minus propemodum falleremini, quàm
si crederetis eisdem non profligatis, expugnatisq;
hominem posse ingredi terram, regionemq; cœle=
stem, uitæq; fœlicitatem, atque salutem consequi.
Quid putatis poetam illum Græcorum non minus
oculatum intellectu, quàm cæcum oculis indicare
uoluisse, cum scripsit uirum Ithacensem post uari=
os longi temporis actos errores, & post multas labo
rum, bellorumq; calamitates toleratas, & post plu
rima uitæ euitata discrimina tandem in patriam ap
pulisse: in qua quietè uiueret, summaq; tranquil=
litate frueretur? Quid arbitramini latinæ poesis prin
cipem uoluisse innuere? dum Phrygium Heroem
inducit post innumeros penè terra pelagoq; exhau=
stos labores, post ingentia, plurimaq; obita tum de
pugnando, tum peregrinando pericula peruenisse
in Latium, ubi ex fatorum promissione sedes quie=
tas acciperet, & superatis laboribus, atque pericu
lis uitam securam ageret, & dulci, iucundoq; o=
tio potiretur? Hi sanè duo poesis utriusque princi=
pes suis huiusmodi thematibus uoluerunt non so=
lum indicare uirtutem, in qua quies, tranquilli=
tasq; humana constituta est, parari non posse ho=
mini, nisi multis obitis laboribus, multisq; supera=
tis calamitatibus, atque periculis: sed etiam innue
re, ab homine transiri non posse, neque commeari
ad immortalem uitam, uitæq; immortalis felicita=
tem, & quietem, nisi uitijs in hac mortali fragiliq;
uita forti, multipliciq; pugna superatis: & sensus

irrationalis retuſo impetu: uiribusq; appetitus improbi expugnatis. Poſtquam non ſolum Hebræorum exemplo, ſacræq; hiſtoriæ teſtimonio, ſed etiam gentilium hominum, profanorumq; ſcriptorum documento, atque atteſtatione apparet, non tantum in hac uita quietem, tranquillitatemq; parari ex ſtudio uirtutum, debellationeq; uitiorum, ſed etiam non poſſe perueniri ad immortalis uitæ conditionem, perfectæq; felicitatis, & æternæ ſalutis conſecutionem: niſi uiriliter profligatis uitijs, & conſtanti certamine expugnatis: quid adhuc nos animis hæremus ciues? quid inerti, ſegniq; otio torpemus? quin prompti arma rationis aſſumamus, & loricam diuinæ gratiæ excipientes animoſe, intrepideq; pugnemus aduerſus inimicos corporis affectus, & acre bellum uitijs indicentes, inferentesq;, tam diu perſiſtamus pugnando, atque decertando: quo uſque felicem, lætamq; palmam referamus: & effecti uictores triumphum agamus, non tam lætè, pacificeq; hac in uita degentes, quàm ſpe certa expectantes, ut ad meliorem beatioremq; uitæ rationem traducamur. An non agnoſcitis, an non uidetis ciues quidquid curæ, laborisq; alibi collocatis, quàm in profligandis uitijs, acquirendaq; uirtute non ſolum aliquid quietis, tranquillitatisq; uobis non afferre, ſed in cauſa eſſe: ut ſemper anxij, ſemper ſoliciti ſitis, atq; uiuatis. Quòd ſi ea, quæ uideri poſſunt aliquo pacto ad rationem huius uitæ pertinere: eiq; lætius, commodiusq; agendæ conducere: nihil adeo meliorem eam, lætioremq; reddunt, ni-

hil adeo ei commodius, feliciusq; agendæ conducunt: ut quantò magis augeſcunt, ſucceſſumq; ex deſiderio ſortiuntur: tantò maiorem homini ſolicitudinem pariant: tantoq; grauiorẽ animo curam, moleſtiamq; afferant: quantò minus cenſenda ſunt conferre futuræ uitæ felicitati, futuræ uitæ tranquillitati, & ſaluti: ad cuius rationem tam nihil eorum, quæ curari ſolent in hac uita, quæq; uitæ huius commodis uidentur inſeruire, pertinere poteſt: ut nihil ei magis repugnare, nihilq; minus ei conferre comperiatur: ſi rectè, diligenterq; animaduertatur. Cum itaque inſtitutum omne huius uitæ uergere, ſpectareq; debeat ad futuræ uitæ rationem tãquam finem: & cum quidquid ad finem ſpectat, ad finisq; aſſequendi rationem pertinet: oporteat quandam communem rationem habere: quandamq; conuenientiam retinere cum fine ipſo: fieri nullo modo poteſt: ut quæ futuræ uitæ quieti, felicitatiq; acquirendæ minime comperiuntur conducere: poſſint, ualeantq; aliquid quietis, felicitatisq; huic præſenti uitæ conferre. Qua ratione ciues ſi ſtudium, operamq; noſtram exerceamus aliter, quàm in uitijs expugnandis, acquirendaq; uirtute, qua futuræ uitæ felicitas, futuriq; ſtatus quies paratur, atque conſtat: nihil eſt, ut magis ſperemus in hac uita aliquid quietis, felicitatisq; nos poſſe obtinere, quàm in ea quæ nobis futura eſt uita. Quòd ſi nihil aliud, quàm uitiorum expugnatio, uirtutumq; adeptio poteſt tam uitæ huius quieti, tranquillitatiq; proſpicere, quàm futuræ felicitati,

ſalutiq́; conſulere: quid poſthabita cura, ſtudioq́; quærendæ uirtutis nihil minus curamus, quàm ua nos corporis, ſenſuumq́; affectus à nobis arcere, & uitij, appetitusq́; irrationalis conſortium ſummoue re. Quid imprudentiæ, quid amentiæ eſt id? ut tantum ſtudij impendamus, tantum curæ, atque laboris collocemus in eis, quæ adeo nihil quietis, & felicitatis tam præſentis, quàm futuræ uitæ reſpe= ctu afferunt: ut non minus præſentem hanc uitam perturbent, angantq́;, quàm futuram miſeram, in felicemq́; reddant. Ne fruſtra laboremus ciues, ne fruſtra curam, ſtudiumq́; conteramus: ſed uim om nem, conatumq́; noſtrum conuertamus ad ſtudium uirtutis, uitiorumq́; pugnam, in qua ſuperiores nos Dei opera, & beneficio euaſuros eſſe, nihil eſt cur dubitemus, modò noſtra pro uirili incũbamus: & nihil committamus, quo poſſimus nobismetipſis uideri defuiſſe. Quòd ſi Dei gratia, Deiq́; benefi= cio eò peruenerimus: ut uideri poſſimus in ſtudio uirtutis profeciſſe, & uictoriam ex uitijs retuliſſe: cauendum maximè fuerit: ne remittamus aliquid diligentiæ in Deo colendo: Deiq́; mandatis, placi= tisq́; obtemperando: quoniam cuius gratia, & be neficio uitia expugnata, uirtutisq́; poſſeſſio acquiſi ta ſit: ab eo ſi diuertamus paulum, ſi recedamus aliquatenus, euenit, ut non minus uitiorum rebel lationem experiamur: quàm uirtutis ipſius amiſ= ſionem incurramus. Non minus enim propemodum indigemus Dei ope, Deiq́; gratia in cuſtodienda uir tutis poſſeſſione, partæq́; aduerſus uitia uictoriæ

gloria, quàm in paranda ipsa uirtute, uitijsq; ipsis expugnandis. Quod sanè licet exemplo Hebræorum animaduertere: qui cum ope diuina, atque beneficio uictoriam de hostibus essent consecuti: & quietem, securitatemq; uiuendi adepti, deserentes Deum, à Deoq; desciscentes non solum, quam deuictis hostibus quietem, securitatemq; adepti fuerant, tueri non potuerunt: sed maximis incommodis, damnisq; affecti, in hostium potestatem deuenerunt: & graui seruitute pressi quidquid libertatis, & quietis Dei beneficio obtinuerant, amiserunt. Cum primum à Deo se auerterunt Hebræi: & mandata eius deserentes, se impietati dediderunt: in manus Syrij Regis inciderunt: qui cum non minus in Deum impius esset, quàm in homines teter, et inhumanus; eos ita malè habebat, duraq; ita, & aspera seruitute affligebat: ut eos iam pœniteret deseruisse Deum, à quo tum se, tum maiores suos nouerant toties fuisse adiutos, calamitatibusq; liberatos. Hebræi itaque, qui diuertentes à Deo se in manus hostium coniecerant, & in tetram Regis impij seruitutem deciderant: simul atque reuerterunt ad Deum, Deiq; auxilium implorauerunt, liberati fuerunt à seruitute ducis eius auspicijs, qui tam tribus, de qua prodierat, quàm nominis, quo censebatur ratione aptum mirum in modum typum gerere existimatur nostri seruatoris Christi: qui suo ductu, suisq; auspicijs liberauit humanum genus à tenebrosa peccati iniquitate, & ab impia, tetraq; eius seruitute: qui propter sublimitatem, quam contra

Deum affectauit: dum sedem in aquilone appetijt; Regis Syrij nomine congruè designatur. Nec minus typum seruatoris Christi præsefert dux ille diuino beneficio Hebræis traditus: cuius opera liberarentur ab iniqui Regis Moabitæ seruitute: in quã cum sua culpa, suáq; à Deo auersione incidissent, pro Dei tamen in se benignitate, & propensione obtinuerunt, ut impetrarent liberationem ducis opera: qui interpretato nomine peccatorum deuorator appellaretur: quæ quidem appellatio quàm concinnè, quàm accõmodè Christo, qui sua opera, suáq; uirtute peccata nostra deuorauit, attribuatur, quadretq;, nemo non agnoscere potest: præsertim cum gladij illius ancipitis: quo perhibetur confossus, traiectusq; à duce Israelita Rex iniquus, conditio arguat, indicetq; omnino uerbum Dei, diuinumq; sermonem: qui ancipitis instar gladij penetrare memoratur. quæ duce fatidica muliere Delbora, quæ comitem adsciuit sibi hominem pro liberandis à Regis Chananæi seruitute Hebræis: facta est liberatio, non magis indicat Dei erga genus Hebræum promptam, beneficamq; uoluntatem: quàm symbolo refert eam, quam Christi, uerbi'ue sui opera Deus generi humano beneficè amanterq; contulit liberationem. Si enim nomen prophetidis, & eius, qui prophetidi adscitus est comes, interpretemur: clarum, illustréq; typum deprehendemus Christi seruatoris nostri: in quo diuino sermoni, diuinæ'que elocutioni comes adscitus homo, ueræ sapientiæ, scientiæ'que detecta ratione, genus humanum liberauit à uana,

profanaq; mundi sapientia, atque scientia; qua detinebatur implicitum, & ueluti quadam anxia, molestaq; seruitute irretitum. Christus homo instar fulguris diuina comitatus sapientia; & diuini sermonis uirtute præditus humanam sapientiam æmulationis, & inuidiæ parentem contriuit, debellauitq;: & aduersus eius falcatos currus, spineasq; ratiocinationes, & argumenta sic se habuit pugnando; facesq;, & fulgura uerborum immittendo: ut tam ratiocinationum falcatis curribus contritis, quàm duce ipso curruum, uentosaq; gloriæ cupiditate fugata, extinctaq;, genus humanum anxia seruitute exoluerit, atque liberarit. Ò congruam, aptamq; typi speciem. Ò speciosum, mirificeq; conueniens Christo, Chistiq; operationi exprimendæ symbolum. tam nominum, quæ historico symbolo continentur facta interpretatione: quàm rerum, successuumq; æquè contentorum habita ratione: nihil est omnino: quod ualde christi conditioni non conueniat: Christiq; beneficium summè non exprimat; quo genus humanum affecit: dum uanis humanæ scientiæ, atque sapientiæ inuolucris, fallacijsq; reiectis, atque exterminatis, studium ueræ sapientiæ tradidit; ueritatisq; agnoscendæ, atque percipiendæ apertam uiam, rationemq; demonstrauit. Cumq; omnis sapientiæ ratio in Dei cognitione, cultuq; religionis consistat; & omnis uera scientia sit finis ipsius, atque eorum, quæ ad finem pertinent: omnem tam sapientiæ, quàm scientiæ tractatum, atque materiam sic explicauit: ut nihil intactum

reliquerit, nihil indiscussum præterierit, quod uel sapientiæ acquirendæ, uel scientiæ consequendæ expediens, necessariumq; cognouerit. Hinc me apta interpellat occasio: ordoq; præstitutus exposcit, ut illud dictu admirabile Dei beneficium attingam, quo populum Hebræum prosecutus est: cum duce Gedeone, trecentorumq; pugnatorum manu liberauit eum ab imperio Madianitum: quos tot numero fusos, fugatosq; fuisse tam parua Hebræorum manu uix credendum foret; nisi clarè appareret huic tam strenuo facinori accessisse Dei potentē manum: cui nihil inueniatur, quod possit resistere. Id sanè rei gestæ arguit ingentem Dei potentiam, arguit egregium Dei erga Hebræos beneficiū. Sed longè maiorem Dei potentiam, longè præclarius in genus humanum Dei beneficium attestatur, comprobatq;, quidquid typo Gedeonis, uellerisq; eius cōtinetur: & quidquid paruæ manus, concrepantiumq; buccinarum symbolo mysticè designatur. Sicut uellere ouilli cœlesti rore impleto; reliquis rerum rore nihil madentibus, uel ex aduerso uellere nihil madente, cæteris rore madefactis, comprobauit Deus Gedeonem à se electum: qui populum Hebræum de seruitute Madianitum erueret, & ab imminenti duorum Regum uexatione eriperet: ita solo ex omnibus uirgineo utero sancti spiritus rore impleto, uel eodem solo ex omnibus uirilis seminis experti declarauit, ostenditq; Christum, qui inde conciperetur, electum à se, atque destinatum: qui diuini uerbi buccina clangens, parua cum manu ho=

minum diuini ſpiritus buccinis æquè clangentium, hoſtium copioſam, numeroſamq́; manum deterreret, in fugamq́; uerteret: & duobus quàm potentiſſimis Regibus mundo, & Diabolo uictis ſuperatisq́;, genus humanum à ſeruitutis iugo liberaret, & ab ingruenti mortis, exitijq́; diſcrimine uindicaret. Vt ſolum uellus rore maderet, uel non maderet, fieri quidem non potuit ſine mirabili Dei opera, inſigniq́; eius poteſtate: quæ tamen longè inſignior, multoq́; mirabilior apparuit, dum effectum eſt, ut ex uirginis utero uirili non accedente ſemine, ſed diuino ſpiritu operante ederetur homo. Suã Deus egregiè oſtendit, atque comprobauit poteſtatem, dum parua hominum manu, & duce Gedeone duos potentes Madianitum Reges, & numeroſum eorum exercitum ſubuertit, ſuperauitq́;. ſed quis neſciat longè maiorem diuinæ potentiæ factam tum ſignificationem: cum Chriſto duce, paruaq́; hominum manu Chriſtum ſectantium ſubuertit falſorum Deorum cultum, impiamq́; ſuperſtitionem toto orbe diffuſam: & Regum, Tyrannorumq́; aduerſantium uires confregit: totiusq́; orbis unà cõſpirantes gentium nationes proſtrauit, atque ſubiecit? Quæ ratio eſt oſtenſæ potentiæ, eadem eſt præſtiti beneficij: quandoquidem longè maius fuit id beneficium: quod Chriſto authore, paucorumq́; Chriſtum ſequentium opera generi humano contulit Deus, quàm quod Gedeone duce, paruaq́; manu hominum depugnante contulit Hebræorum nationi. Quòd ſi conſideremus, cuiuſmodi iuſſerit Deus à Ge

deone eligi, qui unà tenderent contra hostes, & qui ex hostibus possent reportare uictoriam, facile inueniemus explicato typi inuolucro, cuiusmodi oportuerit esse eos: qui Christum sectati, potuerint hostium impetum sustinere; & eis superatis palmam, triumphumq; referre. Sicuti Dei iussu electi à Gedeone sunt quicunq; ex fonte suscitationis ebiberant aquas manu ad os referente, non qui prouoluti genibus, humiq; procumbentes aquas exhauserant: ita qui ex sacro suscitationis, siue regenerationis lauacro, siue fonte desumpserint aquas humi procumbentes; humanisq; affectibus, & desiderijs rerum corporalium deseruientes: hi nequaquam sunt idonei, qui cum Christo prodeant contra hostes, de hostibusq; palmam referant: sed illi solummodò digni censentur, & idonei: qui non incuruantes neruos, poplites'ue rationis, nec appetitui terrenarum rerũ inseruientes, se rectos sustinent; aquasq; manu excipientes operandi uirtute, & studio præstant, quid quid ex sacri lauacri signo, siue symbolo præstari oportet. Iam toties Dei beneficio de manibus, & ser uitute hostium, in quam peccando, impieq; agendo deciderant, erepti fuerant Hebræi: ut iam deberẽt se cautiores præstare in obseruandis Dei mandatis, & abstinentiores in peccando: cum toties suo graui cum damno, atque periculo experti forent, quàm non esset à Deo recedendum: & toties deprehendissent sua cum summa utilitate, suoq; cum maximo com modo, quàm foret Deo adhærendum, Deiq; mandatis, & placitis obtemperandum. Nunquam enim

recedebant à Deo, quin in calamitates, in seruitutem, in clades, necesq; ruerent: & nunquam se se referebant ad Dei cultum; Deiq; opem, & auxilium implorabant, quin ab eo liberarentur, & omni calamitate, atque seruitute exoluerentur. O Dei eximiam, admirandamq; bonitatem, & clementiam. O pronam, promptamq; ad parcendum homini, & benefaciendum Dei benignitatem. A quibus toties derelictus, offensusq; esset, à quibus toties iniurijs lacessitus foret, dum uanæ Deorum superstitioni inseruirent, & colenda sibi idola constituerent: eos ad se reuertentes nunquam reiecit, eosq; nunquam permisit à se frustra subsidium, opemq; implorare. Quos ex illis quæ memorauimus, constat toties ereptos seruituti, toties è manu hostiũ liberatos, pro sua benignitate, beneficentiaq; Deus eosdem ab Ammonæis hostibus, in quorum potestatem delinquendo, impieq; agendo deuenerant, liberos reddidit, & ab Allophylis siue Philistæis, à quibus bello infestabantur, seruitioq; affligebantur, nõ semel liberauit: & cum aliquando bello fracti, superatiq; ita essent: ut quam nunquam eousq; fœderis arcam amisissent, in manus hostium deueniret: nõ solũ portentis editis, cladibusq; illatis coegit hostes arcam ipsam remittere eis, atq; restituere: sed unà cum arca complura dona, & pretiosa munera destinare. Proh ciues mei, quàm potest hinc argui, atque agnosci, quæ sit Dei benignitas, quæ clementia, quæ largitas, quæ beneficentia: qui non solum parcit, iniuriamq; remittit, à quibus sæpius sit offen=

ſus, & quos ingratos plurifariam expertus ſit: ſed eos etiam, modò reſipiſcant, modò reuertantur, opemq́; implorent, ſuſcipit tuendos, beneficioq́; afficiendos. ſicut exemplo Hebræorum animaduertere poſſumus, non eſſe ullo modo ſperandum, confidendumq́; nobis: ut quidquam, quod in Deũ, Deiq́; præcepta committamus, impunè cedat: ita eorũdem exemplo quimus agnoſcere nunquam eſſe Dei benignitati, & beneficentiæ diffidendum: etiam ſi in eum grauiter, plurifariamq́; deliquerimus: dummodo acti pœnitentia ad eum reuertamur, & eius opem, auxiliumq́; ex animo imploremus. Quin immo ſi Deus non minus pro ſua bonitate, liberaliq́; uoluntate, quàm contemplatione maiorum ex Hebræo genere, quos fide, integritateq́; animi maximè caros habuit, atq; acceptos, ſe beneficum, placabilemq́; præſtitit, erga Hebræum populum, ſeq́; facilem in dimittendo, clementemq́; in parcendo ei præbuit: quantò magis nos ſperare debemus eum, licet à nobis multipliciter ſit offenſus, habituros, experturosq́; eſſe in nos clementem, placabilem, beneficum? modò nos noxæ pœniteat: eum non ſolum habeamus æquè, ut habuere Hebræi, unde bonitati eius, & benignitati confidamus, ſed loco etiam maiorum, quorum cauſa putatur plurimum delatum generi Hebræorum: habeamus Chriſtum eius filium uindicem, ſeruatoremq́; noſtrum: qui conſidens ad dexteram patris nunquam ceſſat, deſiſtitq́; pro ſua in nos ſumma charitate & beneuolentia; & pro ea quam retinet nobiſcum communem hominis natu-

ram, conciliare eum nobis, propitiumq; reddere, atq; placabilem. Nostram planè causam meliorem facit Christus suis meritis, precibusq; apud patrem Deum; à quo non solum obtinet, ut se nobis placabiliorem, facilioremq; ad dimittendum præstet: sed etiam ut se præbeat beneficentiorem in nos: & ad benemerendum de nobis promptiorem. Nihil tamen idcirco est, cur debeamus effici negligentiores diuini præcepti obseruandi, & faciliores, confidentioresq; ad peccandum, atq; ad delinquendum: quoniam proposita in peccando securitas id genus peccati solet educere: cui nulla ueniæ ratio possit competere.

Quin quantò studiosiorem nostræ salutis Deum habemus, & quantò promptiorem eum, ac faciliorem ad consulendum nobis, atque parcendum cognoscimus; tantò nos oportet esse ei obstrictiores, & idcirco magis, diligentiusq; cauere: ne quid committamus, quod eius uoluntatem offendat, quod eius honori aduersetur, & quod eius in nos charitati, et indulgentiæ minime respondeat. conari nos maxime decet, ut quem nouimus ad ignoscendum pro sua in nos charitate promptissimum, & ad benefaciendum largissimum, ei rem gratam omnino facere studeamus; & in primis caueamus, nisi ingrati prorsus, & impij esse uelimus, ne quid fiat à nobis, quod eius animum offendat, & quod eius authoritati, ac dignitati detrahat. Cauere omnino debemus, ne nos agamus, committamusue, quod ab Hebræis actũ, commissumq; fuisse sacra lectione memoratur: qui nihil minus in prosperis, secundisq; rebus curan-

tes, quàm Deum prosperitatis omnis, lætiq; successus authorem: cum se aduersis rebus premi, cum se ab hostibus affligi, cum se in seruitutem trahi sentiebant, ad Deum se referebant, Dei opem implorabant: & ferè nunquam, nisi necessitate extrema coacti, Deum agnoscebant, Deiq; rationem habebant: quorum tamen improbitatem, ingratitudinemq; Deus sic partim puniuit, partim tolerauit: ut nec à iustitiæ suæ rectitudine deficeret, nec à clementiæ, benignitatisq; suæ ratione declinaret. Vtcunque tamen se se habuit Deus uel puniendo, uel miserando, semper existimandus est aliquo modo officium beneuolẽtiæ exercuisse: & nunquàm ab instituto proficiendi, benefaciẽdiq; desciuisse. Postquàm Dei beneficio, Deiq; miraculo sacram fœderis arcã recuperarunt Hebræi, nihil minus, quàm tãti beneficij memores, nihil minus quàm studiũ, curamq; Dei erga se agnoscentes; à quo toties tutati, ereptiq; ab hostibus fuerãt: Samuelem diuinum hominem non minus sapientia, quàm diuinandi scientia præstantem, Dei uoluntate electum, constitutumq;, quem iudicem haberent, & quo duce uterẽtur, prætenta senectute recusantes interpellarunt: ut sibi Regem decerneret, à quo iudicarẽtur: & ueluti cæteræ gentium nationes regerentur, gubernarenturq;. Qua quidem interpellatione licet Deus animaduerteret non tam ducatum, iudiciumq; probi, præstantisq; hominis detrectari, quàm se ipsum, qui eiusmodi iudicem, atque ducem tradidisset, cõtemni, paruipendiq;: tamen pro sua in eos indulgentia, & pro suo

satisfaciendi

ſatisfaciendi eis ſtudio petitis annuit ita tamen: ut uoluerit prius eos admoneri, certioresq; fieri omnium, quæ Rex, quem adeo enixè ſibi expoſcerent, in eos acturus eſſet: & eis indicari, prædiciq;, quid iuris, poteſtatisq; Regi competeret in ſubiectos: & quantum ſibi imperij, dominationisq; exigat, uſurpetq; nomen regium. O ſummam Dei bonitatem: à quibus uidebat ſe contemni, paruipendiq;: & à quibus ſuum benefaciendi ſtudium, officiumq; minus agnoſci, æſtimariq; ſpectabat: eis nihilominus conſulere uolebat, tentabatq; ne quid accideret: quod eos denique graui moleſtia, & damno afficeret: & cuius denique eos grauiter tæderet, atq; pœniteret. Eos admonuit incommodorum, & ſeruitiorum, quæ ex inſtitutione Regis imminerent; eis indicauit quantum oneris, & ſeruitutis ingrueret ex Rege, quem decerni poſtularent. Cum uerò nihilo minus illi propoſiti tenaces Regem ſibi decerni contenderent: & nihil minus, quàm fidem monitis, ſuaſionibusq; diuinis adhibentes perſtarent in Rege petendo: uoti compotes eos reddidit Deus, & pro ſua eis ſatisfaciendi propenſione, pro ſuoq; iuſto, & prouidenti conſilio non ſuſtinuit denegare: quod ſciret denique non ſatis iri uiſum eis commodum, nec ſatis denique eis eſſe placiturum. Iuſſit itaque Deus Saulem ex Beniamæa tribu Regem conſtitui, ungiq;: qui quouſque tam ſe, quàm ſubiectos continuit in fide, cultuq; Dei, Dei ipſius opera, & beneficio plurimas ex hoſtibus uictorias adeptus eſt: & non minus ſe, ſubiectoſq; ſuos ab iniurijs Am-

monitæ Regis, Palestinæq; gentis impressionibus tutatus est: sed etiam debellauit, expugnauitq; Amalechitas: quibus expugnatis, cum minus mandato eius obtemperasset: cuius ope, operaq; uicerat, uictoriamq; obtinuerat: meruit ut in plurimas calamitates incideret: & non solum in causa fuit, ut ipse interemptus maturè admodum regno expoliaretur; sed etiam effecit: ut ipsius posteritas; ad quam transiturum fuerat ius regnandi, Regi subijceretur: Regemq; cui subesset, haberet. Hebræi itaque magna clade accepta ab Allophylis, quos antea bello superarant: et Rege, Regisq; filijs prælio amissis eò calamitatis ob impiam erga Deum ingratitudinem peruenerant: ut fusi, fugatiq; cederent urbibus, quas habitabant: & domos, laresq; patrios relinquerent hostibus diripiendos, occupandosq;: cum Deus pro sua bonitate, & clementia, non habita eorum ingratitudinis ratione succurrere eis statuit. Quapropter Regem loco Saulis interempti suffecit hominē sanè non minus strenuum, fortemq; corpore, quàm uirtute animi spectatum, uitæq; integritate præcipuum: qui cum tribu Iudæus esset, & patria Betlemites, tantum ex pietatis, uirtutumq; studio sibi quæsiuit apud Deum fauoris, & gratiæ: ut ei esset uel acceptissimus, & tantum sibi nominis, ac gloriæ parauit, conciliauitq; apud homines; ut passim celeberrimus esset, & haberetur ab omnibus: qui non solum uirtute, & ingenio suis contribulibus præstaret: sed inter omnes Israelitas excelleret. O' populum felicem; O' prosperam sortem Hebræ

rum: quibus Dei beneficio datus est Rex eiusmodi: qui sicuti potestate, iureq; dominandi cæteros, quos subiectos haberet, antecederet: ita corporis, animiq; præstantia, ac omni uirtutum genere anteiret, atq; superaret. O` quàm bene`, feliciterq; actum est cum recutitis: O` quàm bene` & egregie consultum est rebus apellarum: qui Dei cura, atque opera Regem obtinuerunt, principemq; adepti sunt; qui non minus diligentia, & fortitudine, tuendo ab hostibus iuuare posset, quàm prodesse exemplo ad cultum religionis, & studium uirtutum prouocando. Hic est ille, qui cum minor esset ex fratribus, & paternas adolescens custodiret oues, ex agro accitus est, quò regali à uate Dei iussu ungeretur oleo: cui tantum fortitudinis, ac animositatis adfuit, ut non solum ab impetu ursorum, atque leonum gregem sibi traditum custodiendum, tutatus fuerit: sed etiam eis suffocatis, atque peremptis prædam abstulerit. Hic est, qui sic artem modulandi cithara, canendiq; uoce percalluit: ut dum caneret, citharaq; modularetur: prohiberet Regem mania uexari, & ab eo quo corripiebatur, laruæ furore cruciari: quem quidem cum nõ tam modulando cithara, psallendoq; iuuisset: quàm pugnando contra gigãtem, eumq; superando liberasset ab angustijs, hostiumq; discrimine: sic tamen ingratum sibi denique, infensumq; expertus est, ut cauere ab eo, ne occideretur, sæpe coactus sit: cui tantum abfuit, ut uoluerit unquam, tentauerit'ue nocere, odioq; respondere: ut cum aliquando potestatem eius interimendi obla-

tam, commodamq; haberet: non solum non læserit eum, nocumentoq; aliquo affecerit, sed etiam signum euidens, constansq; testimonium ediderit sui erga eum amoris, & obseruantiæ. O' singularem hominis probitatem, qui eum, à quo sciret insidias sibi, mortemq; intentari, & à quo sibi maximè cauendum esse, ne occideretur, agnosceret; deprehensum in tentorio dormire, repertum in speluca, antro'ue quiescere, sic illæsum, inuiolatumq; dimisit: ut maxime procuraret suam erga eum beneuolentiam ostendere: suamq; de eo benemerendi cupiditatem indicare. Hic sanè uir est, qui sic undecunque præstans fuit, & omnibus numeris absolutus, ut siue sanctitatem eius consideremus, siue uirtutem, uimq; in cognoscendis prædicendisq; Dei arcanis animaduertamus, siue in omni genere tã uirtutis humanæ, quàm diuinæ gratiæ, quæ homini competere possit, præstantiam intueamur; haud facile, etiamsi omnes Hebræi generis percenseamus tribus, simus inuenturi quem huic præferendum, aut æquiparandum iure queamus opinari: ne si Mosen quidem afferamus, qui licet familiariter Deum sæpe sit allocutus, & à Deo leges, quas Hebræis promulgaret, acceperit: tamen non æquè comprobatur fuisse conscius eorum, quæ salutem generis humani continerent: & quæ futura essent de filio Dei humanam carnem assumpturo, & morte obita redempturo genus humanum: prout reperitur omnino, & comprobatur is, cuius nunc meminimus, extitisse conscius: qui suis odis, seu carminibus indi-

cat, ostenditq; tam exactam, tamq; absolutam Christi futuri, singulorumq; quorumcunque Christo ipsi euenturorum se notitiam tenuisse: ut plerunque concinendo, se perinde habeat, ac si foret unus ex illis: qui consuetudine Christi usi, tam uitam eius, quàm gesta scriptis, memoriæq; tradiderunt. Verum id congruum fuit, & conueniens, ut inter cæteros generis Hebræi homines, qui Deo accepti maximè, & familiares extitissent, notitiam Christi præcipuè consequeretur is, de cuius semine, siue propagine Christus ipse esset proditurus. Nec minus diuini fuit id consilij, & prouidentiæ: ut inter cæteros omnes, quos Deus maximè caros habuisset, & acceptos: is præcipuè Christi typum gereret, ex suaq; persona de Christo plurima prædiceret, & uaticinaretur: de cuius sanguine, atque progenie maternæ cognationis gratia progressurus foret Christus. Quis igitur non uideat? quis non intelligat, quàm se beneuolum, quàm se beneficum præstiterit Deus erga Hebræos: dum tradidit eis Regem tot meritis insignem, tot uirtutibus clarum? Negari sanè non potest, quin Deus summam erga Hebræos beneuolentiam ostenderit, summamq; beneficentiam exercuerit, dando eis huiusmodi Regem: cuius prouidentia, & uirtute non solum publicè omnibus consuli posset, sed etiam priuatim singulis profici. Quòd si Hebræi nõ possunt non fateri, Deum dãdo Regem huiusmodi, fuisse usum erga ipsos summa beneficentia: & maximæ testimonium protulisse beneuolentiæ: quantò magis

agnoſcere, quantò magis fateri Dei in ſe beneuolentiam, & beneficentiam Rex ipſe debet; qui Dei munere, cum priuatus eſſet, & humili lare enutritus, eò dignitatis, & fortunæ peruenerit: ut non ſolum ſuis tribulibus præficeretur, ſed etiam Iſraelitis omnibus, uniuerſæq; tribuum duodecim multitudini imperitaret: & qui Dei eiuſdem gratia, & beneficio tantum uirtutis ſit adeptus, tantũq; præſtantiæ ſit conſecutus: ut dignus eſſet, qui cæteros regeret, cæteriſq; dominaretur: & pro ut cæteros imperio, & ditione excelleret, ita pietate, cultuq; religionis, omniq; uirtutum genere præſtaret, atq; ſuperaret. O dignum, qui præſit alijs, imperitetq; hominem. O uerum, legitimumq; principem, atq; Regẽ: qui non tam ditionis, poteſtatiſq; cauſa Rex, principſq; eſt, quàm gratia uirtutis, ſanctitatis, religionis: in quorum cultu, atque ſtudio omnis ueri, legitimiq; principis, atque Regis ratio conſiſtit, & collocata eſt. Huiuſmodi principe exiſtente mirum non fuerit; ſi hoſtes ſuperentur; ſi fines imperij dilatẽtur; ſi ſubiectis benè ſit, ſi omnia lætè, proſpereq; cedant: quoniam quibus principem huiuſmodi habere cõtigerit, fieri non poteſt; quin hi Deum propitium, fautoremq; habeant: & Deo fauente, atque opitulante omnia proſpera, ſecundaq; experiantur. Quod quidem licet ex Hebræis, Hebræorumq; fortuna animaduertere: qui ſimulac Dei benignitate, & beneficio adepti ſunt Dauidem Regem; nihil mali paſſi ſunt ab hoſtibus, nũquam ſuperati ſunt b ello. Quin ipſi hoſtes aggreſſi, non

minus utilitatis, quàm gloriæ eis superatis consecu
ti sunt: quippe qui Allophylos ter uictos bello eò ne
cessitatis adegerunt, ut quancunque pacis conditio
nem acciperent: & se tributarios ipsis Hebræis, He
bræorumq; Regi constituerent. Nec minus uictoriæ
adepti sunt aduersus Moabitas: quos adeo bello, ar
misq; domuerunt; ut Dauidi Regi parere, & tri=
butum pendere omnino coacti sint. Quin Regẽ So=
bæ præcipuæ fortitudinis hominem, auxiliaresq; Sy
riorum copias ita fugarunt, debellaruntq;: ut cap
tis curribus, subneruatisq; curruum iugalibus, &
tam peditum, quàm equitum ingenti multitudine
occisa non solum plurimũ prædæ, & manubiarum
consecuti sint, sed etiam Sobæi Regis captas Ciuita=
tes, omnemq; Syriæ Damascenæ plagam suo Regi sub
iecerint, tributaq; soluere coegerint. Quantũ præ
terea fuit id uictoriæ, quam Dei beneficio Rege Da
uide consecuti sunt Israelitæ contra Regem Ammo=
næum: cum quo nõ tam fœdere iuncti, quàm mer
cede conducti militis plurima multitudo conuene=
rat: quæ quidem fusa, fugataq; non solum se in ur
bes recipere coacta est, sed etiam obsessa in urbibus
facere deditionem, in Hebræorumq; potestatem de
uenire compulsa est. Hæ tot uictoriæ de hostibus Re
ge Dauide ab Hebræis relatæ testãtur planè ingen
tem tam erga ipsos Hebræos, quàm erga Hebræo=
rum Regem Dei beneuolentiam, & beneficentiam:
cuius cum non satis rationem habuisset, nescio quo
facto ductus Rex, qui alioqui adeo uirtute polleret,
adeoq; religionis studiosus esset: dum uxore aliena

abusus, interitũ mariti procurauit: & duplici crimine tam grauiter in Deum peccauit, quàm contra uirtutis, existimationisq; suæ rationem turpiter commisit: effectum est, ut omnis tam Regis felicitas, quàm subiectorum fortuna immutaretur. O' exactam iustitiæ diuinæ rationem. O' Dei prouidentiam librato examine cuncta perpendentẽ. Qui toties ex uictis hostibus non minus gloriæ, quàm prædæ retulerat, qui tantum successus, prosperæq; fortunæ tam pace, quàm bello, tam domi, quàm foris obtinuerat; qui nihil non lætum, nihil non prosperum, ex quo regiam potestatem accepisset, expertus fuerat: simulatque uxore aliena abusus, maritum procurauit occidendum, & duplici flagitio obnoxius Deum offendit, non minus mali, cladisque domi, quàm foris passus est: nec minus periculi, atq; molestiæ ex suis, quàm ex hostibus retulit. Domum filiæ stupro incestatam, filium à filio trucidatum deprehendit: inimicum, hostemq; filium expertus est, & filij timore regia urbe excedere coactus: filium denique à suis interemptum, crudeliterq; necatum agnouit. sic domesticos lares, domumq; totam incestis, cædibus, discordijs contaminatam, uexatamq; habuit: ut domus Oedipodæ nõ æquè propemodum uexata, contaminataq; uideri possit. Tot mala, tot clades ex peccato, commissoq; flagitio Regi accidisse ueluti nemo, qui recte animaduertat, potest non intelligere: ita non ab re fortè fuerit explicare quonammodo fieri potuit; ut qui tantum sanctitate, et probitate præstaret: ut inter omnes Israelitas Dei

iuditio optimus sit habitus, & dignior ex omnibus, qui imperitaret existimatus: uel ipse tantum cæcitatis incurrerit: ut tam graue nefas admitteret: uel Deus ipse, cui plurimum gratus, acceptusq; fuisse comprobatur, permiserit, quem adeo amaret, quem adeo fauore beneuolẽtiaq; prosequeretur, incidere in tam graue flagitium, in tam deforme nefas incurrere: ut eius puniendi causa opus esset ex iustitiæ libra tot eum affici malis, tot cladibus, & calamitatibus affligi. Sciendum itaque est, homini cuiquam post deprauatam semel naturæ humanæ conditionem concessum nõ esse: ut uirtute, et uitæ integritate tantũ proficiat: ut se exuat omnino fomite illo, siue incitabulo, quod in genus hominũ traduce quadã originis deductũ est ex primi hominis peccato. Quapropter fit, ut longè ægrius, atque difficilius caueri peccatum possit ab homine quoquam quantumuis uirtute, & integritate spectato, quàm potuisset caueri initio à primis parentibus: qui prius quàm peccarẽt, et à Dei monitis decederẽt; fomite, incitabuloq;, quod subinde peccãdo contraxerunt tam ipsi, quàm naturali quadã infectione in reliquũ genus hominũ, posteritatemq; oẽm transtulerunt; omnino caruerunt, et se potuerunt facilè continere à peccando. Vnde si qui nullo fomite agebantur ad peccandũ: & nihil naturalis incitabuli ad delinquendum sentiebant; delapsi sunt in peccatum, & se peccato inuoluerunt: quid mirum uideri debet; si qui fomitem peccati assiduè adhærentem continet; & naturali quodam aculeo incitatur ad peccandum, ap-

petituiq; corporeo, & sensibus obsequendum, licet uirtute polleat, licet parta uirtute non nihil roboris, & uirium ad resistendum fomiti habeat: tamen cedat aliquando, & assiduè oppugnanti, urgentiq; fomiti concedat interdum. Quin si inter creaturas Dei præstantissima, quæ nulla corporis materia constabat, & nullis corporalis appetitus illecebris tangebatur, sed solo intellectu constans, & proxima Deo natura prædita, ob liberi, quod habebat arbitrij rationem deliquit, à Deoq; desciuit: minus admirandnm est hominem, cui non solum arbitrij causa peccandi potestas competit, sed etiam infectionis corporeæ, appetitusq; deprauati gratia procliuitas quædam, atque propensio ad peccandum, à Deoq; deficiendum existit: peccare, à Deoq; peccando se se auertere. Quanuis Deus pro sua bonitate, suaq; erga hominem beneuolentia nihil omittat officij, atque curæ; quò hominem reddat à peccatis abstinentem, & suæ gratiæ munere nunquam desit homini: quin tam cauere peccatum, quàm bonum operari possit: tamen liberi arbitrij semel concessi ratio non patitur; ut cogat eum benè operari, & prohibeat uiolenta manu, ne delinquere possit, atque peccare. licet præceptis, monitisq; Deus summè studeat hominẽ instituere, quò caueat peccatũ, recteq; operetur: & licet non minus ad rectè operandum propositis præmijs eum alliciat, & oblata suæ gratiæ ope adiuuare procuret, quàm propositis pœnis nitatur deterrere à peccando: & oblato gratiæ adminiculo efficere, ut possit peccatum, si non penitus, aut non

omne, ſaltem maiori ex parte, aut id quod lethiferũ ſit, euitare: tamen inuiolata arbitrij libertate, conſeruataq́; liberæ uoluntatis conditione, non poteſt fieri, ut compellat eum ad benè prorſus operandum, & omnino prohibeat, ne peccare poſſit. Vnde non eſt, cur imputetur Deo, quòd homo peccet: non eſt, cur aliquid peccati ab homine commiſſi idcirco poſſit Deo adſcribi, quòd ipſe potuiſſet efficere, quo minus peccaretur: cum libertas arbitrij humani non patiatur; ut quid Deus uiolenter agat in uoluntatẽ hominis; neceſſitateq́; agendi boni, uel cauendi peccati hominem ipſum afficiat. Sed ſicut nihil eſt, quod cauſa peccati hominis Deo queat idcirco imputari, quòd non prohibuit, quod potuit, quominus peccaretur: ita Dei benignitati, Deiq́; erga hominem beneuolentiæ eſt adſcribendum, quòd peccante homine, qui alioqui uirtute, integritateq́; uitæ præſtabat euenire ſolet: ut quod peccati ab eo commiſſum eſt, id deniq; ipſi homini Dei opera, Deiq́; beneficio ſecuta pœnitentia cedat ad maiorem perfectionem uirtutis, melioremq́; uitæ rationem conſtituendam. Ò potentem, beneficumq́; Deum. qui quod mali committitur, quod peccati perpetratur ab homine, in ipſius hominis bonum, in ipſius hominis perfectionem, dummodo ipſe permittat homo, conuertit. Quod ſanè animaduertere licet in Pſalte, Regeq́; Hebræo: qui ſimulatque peccauit, peccandoq́; Deum offendit: uirtuti priſtinæ, & ſanctitati tantum pœnitendo, dolendoq́; adiecit; & calamitates, cladesq́; cauſa peccati contingentes tolerando, pa-

tienterq; perferendo, tantum in Dei cultu, religionisq; obseruantia profecit: ut quod peccauerat, ei beneficio Dei, atque munere cederet ad maiorem uirtutis, & sanctitatis perfectionem acquirendam. Quòd autem post peccatum, peccatiq; actam pœnitentiam perfectior sit uirtute, & sanctitate effectus Rex Psaltes, colligi, deprehendiq; potest tum ex sacra historia, qua uitæ, gestorumq; eius ratio continetur: tum ex ipsius odis, siue carminibus; quorum quæcunque salutis nostræ arcana, diuiniq; uerbi mysteria complectuntur, ea comperiuntur magna ex parte commisso crimine edita, atque decantata: quod sanè non accideret, nisi uirtute perfectior post peccatum effectus diuinorum arcanorum rationem melius percepisset: & Deo indicante, significanteq; exactiorem diuini consilij cognitionem adeptus fuisset. Quis satis queat unquam admirari Dei benignitatem, beneficentiamq; in hominem: à quo cum offendatur, nihil ultionis tamen exigat, nisi quatenus se posse ei proficere nouit: nisi quatenus eum meliorem se reddere posse confidit. Admonet, interpellat, excitat, quem peccasse nouit Deus, ut peccatum agnoscat, peccatoq; agnito pœnitētiam agat; actaq; pœnitentia meliorem, sanctioremq; se præstet. Id profecto licet in Rege intueri, atq; animaduertere: ad quem simulac peccauit, uirum prophetam destinauit, misitq;, à quo de commissi flagitij grauitate admoneretur, à quo ad pœnitentiam agendam interpellaretur, à quo excitaretur ad maiora ex ipso speranda, dummodo eum pœniteret

flagitij, dummodò tolerando, perferendoq́;, quæ noxæ expiandæ causa forent immittenda: perstaret in constantia, & se committeret ipsius uoluntati, atque iustitiæ curandum, atque sanandum. Sed pro sua Deus in hominem benignitate, & beneuolentia non solum effecit, ut peccatum Regis ipsi Regi cederet ad maiorem uirtutis & meriti uim constituendam: sed etiam exemplo esset, & documento uniuerso hominum generi, quemadmodum cuiquã homini quantumuis uirtute, & integritate insigni non sit committendum, ut uirtuti suæ, & uiribus confidens negligentius se habeat in uitandis peccandi occasionibus; & tantum sibi tribuat, sibiq́; placeat, ut se tutum existimet, & peccandi periculo exemptum arbitretur. Tantum enim abest, ut aliquid diligentiæ, aut cautionis remittendum sit unquam homini in uitandi peccati ratione: ut quantò magis se quis integritate, uirtuteq́; sentit præstare: tantò diligentius eum sibi cauere oporteat: cum perfidus ille, qui pater, & author est peccati, tantò maiores tendat insidias, decipulasq́ue paret tantò latentiores, periculosioresq́; homini, quò peccet, in peccatumq́; corruat: quantò maioris eum uirtutis esse, quantoq́; maiori religionis studio eum detineri perspicit, atque animaduertit. Si quid igitur à nobis ciues Dei beneficio, atque gratia profectum fuerit in uirtutis studio, cultuq́; religionis, cauendum est maximè, ne nimis confidenter agamus, & negligentius nosmetipsos habeamus in fugiendis, de uitandisq́; peccandi occasionibus: quoniam pro eius

dolo, & fallacia, qui nostræ salutis inuidus assiduè nobis molitur insidias, & nobis nocendi quotidie nouas artes excogitat: uix satis cauti, uix satis circunspecti esse possumus, & uix satis uigilantiæ, atque animaduersionis adhibere ualemus.

Quàm non sint remittendæ uires in pugnando, quam non sit relaxandus animus à contentione, atque pugna, quàm non sit otio indulgendum, & securitatis confidentia incuria non utendum, satis, superq; possumus Regis Hebræi exemplo addiscere: qui cum suos haberet pugnantes aduersus Ammonitas, & ipse domi residens post meridiationem in triclinio spaciaretur, uxorem alienam se abluentem conspexit; eiusq; cupiditate accensus non destitit, quousque ea potitus est: & eandem procurata mariti morte sibi coniugio sociauit. Quòd si Regi, qui perhibetur singulari uirtute præstitisse, & præcipua integritate uitæ excelluisse, contigit, dum incautius se habet, dum se otiosius, negligentiusq; obseruat: ut peccatum incurreret, ut delictum committeret: quantò magis nobis, cum quibus benè agi satis uideri possit, si uel initiati simus in uirtute, uitæq; integritate, contingere potest: nisi totis uiribus nos metipsos obseruemus, nisi summa uigilantia, & circunspectione utamur, ut incidamus in laqueos, insidiasq; Diaboli, & lethiferam peccati noxam incurramus. Quod ne accidat, tum pro uirili nostra, & quatenus nostræ uires, si quæ sunt, patiuntur, elaborandum est: tum Dei auxilium assiduè, atq; ex animo est implorandum: sine cuius gratia, atq;

ope nihil est, cur speremus, confidamusq; boni aliquid nos posse operari, aliquid'ue mali posse euitare. Regem simulatque flagitij pœnituit, adeo pro sua benignitate, & beneficentia non deseruit Deus: ut præter potestatem in uirtute proficiendi, maioremq; in uitæ, meritiq; ratione perfectionem consequendi: eum tam contra filij, suorumq; conspirationem tutatus est, quàm omnium externarum gentium, à quibus infestabatur, uictorem reddidit: qui tamen postquam conspiratione compressa, & hostibus externis sæpius uictis, superatisq;, sibi, subiectisq; suis pacem, quietemq; Dei benignitate, ac munere acquisiuit: eò adductus est gloriæ, ut sibi placeret aliquatenus in iure dominandi: & idcirco procuraret omnium, quibus dominaretur, censeri numerum: quam rem indignè ferens Deus, qui alioqui pluribus etiam iniurijs affectus fuerat ab Hebræis, grauem pestilentia stragem edidit: cum prius tamen sic Regi detulisset, ut ei potestatem faceret ex triplici ultionis genere, quod mallet eligendi. Sedata pestilentia, & in ea sedanda non mediocri diuinæ erga Regem, regiamq; ciuitatem benignitatis, & beneficentiæ edito testimonio: cum Rex prouectus ætate, & annis grauis iam cogitaret sese non diu amplius superfuturum regendis, moderandisq; Hebræis: Dei monitu, & consilio sibi adhuc uiuenti minorem filium maiore reprobato procurauit sufficiendum: cui tantum scientiæ, & sapientiæ Deus pro sua tum in patrem, tum in Hebræos ipsos beneuolentia contulit: ut ipse sit attestatus nullum ex

genere Hebræorum fuisse unquam, uel esse futurum: qui possit ei scientia rerum similis uideri, sapientia animi ei comparari. Tantam rerum naturalium scientiam Dei beneficio consecutus est Rex nouus iste, ut nihil rei naturalis, de quo non disceptarit, de quo non scripserit omissum, præteritumq; reliquerit: & in id genus arena sic excelluerit: ut non modo maiores suos omnes, sed cunctos, qui in Aegypto, quiq; in oriente studijs eiuscemodi maximè essent exercitati, superarit, & longo interuallo antecesserit. Eo fuit iuditio iste Rex, ea fuit prudentia tam in rebus priuatis censendis, quàm publicis iudicandis, atque administrandis, ut non solum, qui eius ditioni subiecti essent, accederent ad eum causa iudicij, sed etiam externi undiq; concurrerēt, & ex omni gentium, orbisq; natione confluerent ad eum consulendum, eiusq; exquirendum de rebus dubijs iuditium atque sententiam. Quò fiebat, ut non solum apud suos, externosq; ubiq; summa esset in ueneratione, sed etiam demerendo sibi animos Regum cæterorum, atque principum tantum munerum, tantumq; opum consequeretur: ut uelu ti inter omnes alios esset prudentissimus, & sapientissimus, ita ditissimus quoque foret, atque opulentissimus. Suæ prudentiæ merito, suæq; sapientiæ auspicio consecutus est Rex iste; ut non minus pacem inter suos, quietēq; constitueret: quàm se, sibiq; subiectos ab omni externorum hostilitate, molestiaq; immunes, illæsosq; conseruaret. O felicissimum Regem, cui Dei beneficio tantum concessum est mune

ris, & fortunæ: ut non minus opulentia ſplenderet, quàm ſapientia abundaret: nec minus pace, tranquillitateq́; frueretur, quàm exiſtimatione, & reuerentia apud omnes ubiq; polleret. O' fortunatam Hebræorum gentem, cui Dei benignitate obtigit habere Regem, cuius prudentia, atque præſtantia pacem, quietemq́; obtineret, & rerum omnium copiam, ac abundantiam conſequeretur: & nihil mali, ſiue moleſtiæ tam domi, quàm foris ſentiret, atque formidaret. Quo genere gratiæ, ſiue gratitudinis potuerint ſatis agnoſcere, ſatisq́; atteſtari Hebræi tam præclarum, inſigneq́; Dei erga ſe beneficium, quod dati Regis opera, atque præſtantia acceperant; dum pacem inter ſe, incolumitatem ab hoſtibus, abundantiam omnium rerum conſecuti eſſent; neſcire me prorſus confiteor: niſi ſit arbitrandum nihil gratiæ, aut gratitudinis ſufficere poſſe pro tam magni, egregijq́; beneficij conditione: quod cum omnem humanæ felicitatis rationem in ſe contineat: quid gratitudinis, quod queat eſſe ſatis, poſſit admittere, non uideo: niſi ſatis eſſe putetur, dum præſtetur, quod præſtari poteſt ab homine; ut aſſiduè beneficium ipſum memoria retineatur, & nullo temporis ſpatio obliuioni mãdetur. Quòd ſi id beneficij, quod à Deo opera, uirtuteq́; Solomonis, pacificiq́; Regis acceperunt Iſraelitæ, omnem pro ſua magnitudine, & dignitate gratitudinis humanæ rationem exuperat: quid de eo beneficij genere iudicandum eſt? quod generi humano oblatum, præſtitumq́; à Deo eſt opera, uirtuteq́; Chriſti: qui cum

ſit Dei ſapientia, & omnem rerũ tam diuinarum, quàm humanarum in ſe complectatur rationem: et nullum in genere hominum parem ſapientia, ſimilemq́; uirtute, & præſtãtia habere poſſit: typo Solomonis, pacificiq́; Regis ritè deſignatur. Hic eſt enim uerus ille Solomon, qui pacis omnis, & tranquillitatis humanæ author eſt: & qui ſua uirtute, & ſapientia pacẽ inducit inter homines: homineſq́; ipſos ab hoſtibus tutatur, & omni bonorũ copia beat, atque locupletat. Sed pax, quam myſticus noſter Solomon præſtat, & bonorum copia, & conditio eorum, quæ parturit, quæq́; affert ſibi ſubiectis; nullo modo admittunt comparationem cum eo pacis genere, cum eorum bonorum copia, & conditione, quæ parta Hebræis, quæq́; obtenta Iſraelitis memorãtur Rege, authoreq́; Dauidis filio Solomone: qui quidem pacem, qua arma quieſcunt, & bona, quæ corpora reſpiciunt, attulit ſibi ſubiectis: cum noſter uerus Solomon pacem ſibi ſubiectis, ſeq́; ipſum ſectantibus tradat animorum; qua quieſcunt noxij affectus, perturbationeſq́; improbæ compeſcuntur: & bona affert, præſtatq́;, quæ pertinent ad animos, animorumq́; ſalutem, atque beationem reſpiciunt. O ſingulare noſtri Solomonis beneficium: qui nõ pacem, quam quiſque hominum poſſit perturbare, affert: ſed quæ inhæreat ita homini: ut uel conſeruari queat medijs in armis: & non ſolum, cui adeſt, durante hac mortali uita comitetur, ſed etiam proſequatur eum ad immortalis uitæ conditionem tranſeuntem. O proſperam, beneficamq́; noſtri Regis

pacifici Christi ditionem : cuius opera, atq; meritis consequi potest homo non tam externa, tẽporariaq;: cuiusmodi Solomone Rege consecuti sunt Israelitæ bona, quàm propria, perpetua, semperq; duratura: quæ quidem ueluti nunquam cõtingere potest, ut deficiant, sic possunt hominem perpetuò felicem, omnibusq; numeris beatũ reddere. Sicut Deus præstat homini, ita propemodum necesse est, ut quæcunque Hebræus egit Solomon typum gerentia eorum, quæ sunt à nostro Solomone acta: ui, uirtuteq; superentur, seu rationem beneficij habeamus, seu rei ipsius conditionem consideremus. Quantum differt Deus ab homine, tantundem quæ sunt Dei, par est, ab eis, quæ sunt hominis differre: licet huiusmodi ita sint hominis, ut tamẽ ortum, causamq; trahant à Deo. Ad Solomonem Hebræum pergebant populi, populorũq; Reges, quò de rebus humanis eum consulerent, & rationem perciperent huius mortalis uitæ tutius, commodiusq; agendæ. Ad nostrum uerò Solomonem qui populi, populorumq; Reges contendunt, non solum addiscunt, quonam pacto in administratione humanarum rerum se habere debeãt; & quanam ratione mortalem hanc uitam commodè, tutoque transigere possint: sed rerum etiam diuinarum plenam rationem, notitiamque accipiunt; & addiscunt modum, potestatemq; consequuntur adipiscẽdi immortalẽ uitam, immortalisq; uitæ felicitate potiundi. Solomon Hebræus quacunque sui ius imperij extendebatur, præfectos, præsidesq; constituit, qui numero duodecim singillatim

populos, urbesq; quibus consulerent, quarumq; curam haberent, sortirentur: & inde quæ domui, familiæq; regiæ sustinendæ, atque alendæ salutaria forent, atque necessaria, pararent, atque colligerent. A Solomone nostro constituti sunt duodecim Apostoli, qui totius mundi prouincias, & gentes inter se sortirentur: quibus regendis in ratione uirtutum, & instituendis in cultu ueræ religionis præessent, atque consulerent: & ex quibus colligerent, atque referrent, quod foret salutare, & necessariũ constituendæ, sustinendæ, alẽdæq; diuinæ Ecclesiæ. Cum nondum certum, constitutumq; locum habuissent Hebræi, in quo Deũ colerent, Deoq; sacra facerent: à Solomone Dauidis filio in urbe regia constructum mirifica arte, summaq; expensa ædificatũ templum fuit: in quo Deus coleretur, sacrisq; placaretur. Solomon uerò noster mysticus, cum nondũ fuisset uera, constansq; colendi Dei ratio constituta, ædificauit Ecclesiam, templumq; construxit ex uiuis lapidibus, & preciosis: in quo Deus coleretur, in quo habitaret, in quo quiesceret. O diuinam domum; O pulchram, speciosamq; Dei habitationem; quæ non ex marmore, cedrinisq; lignis constat, sed ex animis hominũ: qui uirtutibus ornati, & pietate, sanctitateq; prædití uinculo charitatis tãquam cæmento unì cohærentes templum constituunt, in quo Deus habitet, miracula agat, eximia operetur. Hæc sola digna Deo est habitatio: quæ cum Christum tanquam fundamentum habeat, nullo undarum impetu labefactari, nullo uentorum turbine concuti ua

let. Huius diuinæ habitationis ea est conditio; ut nihil in ea petatur, quod non impetretur; nihil in ea fiat, quod Deum propitium, authoremq; non habeat. Sicuti uera Dei domus Ecclesia Christo authore, atque principe constructa, typo domus eius, quæ Deo constructa fuit, & dedicata ab Hebræo principe designatur: ita quæ ab eodē principe suis in cantionibus amicæ, dilectæ, sponsæ nomine appellatur: & beneuolo, amantiq; affectu in complexum accitur, atque inuitatur; eiusdem Ecclesiæ symbolum, siue typum gerit: quæ amicæ, sponsæq; nomine compellatur à Christo principe, & ad dulces amplexus, coniugijq; nobile sacramentum inuitatur. Posset etiam non ineptè censeri, typo sponsæ cōtineri humanam animam, quæ à Deo compelletur, à Christoq; inuitetur ad charitatis amplexum, diuiniq; amoris societatem. Nihil præterea prohibet, quin illa Sabæorum Regina, quæ nomine Solomonis, sapiētiæq; eius fama permota perhibetur relicta patria, ad eum accessisse, & sapientiam eius longè quàm audisset, maiorem deprehendisse: perferat typum gentilis nationis, quæ decedēs à superstitione, uanoq; Deorum cultu perexit ad Christum uerum Solomonem, quo eius sapientiam audiret, eiusq; monitis, atque consilijs institueretur: quò effectum est, ut non solum erudita, institutaq; eius documentis, & consilijs adhæserit, fidemq; adhibuerit: sed etiam eum summo in cultu, summaq; in ueneratione habuerit: & multis preciosis donis, muneribusq; eum prosecuta fuerit; quibus, faxit ipse, ne quos in sua Ecclesia habet

præsides, diutius abutantur, quàm conseruandæ pacis ratio, committendiq; grauioris offendiculi discrimen patiatur, atque permittat. Quatenus Solomon singulari sapientia præstitit, duodecim præfectos constituit; templum, domumq; Deo construxit; sponsam cōpellauit; Sabæam Reginam hospitio suscepit, instituitq; : typum satis aptum, congruentemq; uideri potest ferre pacifici nostri seruatorisq; Christi. Quatenus uerò libidini obtemperans, & muliebri cōsuetudine pellectus, recessit à Dei cultu, à quo tot beneficijs affectus fuerat; et se cōtulit ad falsos, commentitiosq; Deos colendos: adeo typum Christi non gerit, adeo Christum typo referre nō potest; ut eum typo referat, qui tam Christi, quàm salutis humanæ capitalis inimicus sit: & qui uaria, multipliciq; idolorum, simulachrorum'ue specie ab eo coleretur. O' eximiam hominis ingratitudinē: O' singularem impietatem, atq; nequitiam. Qui Dei beneficio tantum scientiæ, atq; sapientiæ obtinuerat; qui Dei benignitate, & largitate tantum existimationis, honoris, gloriæ consecutus fuerat; qui Dei opera, & beneficentia eò prouectus fuerat fortunæ, & felicitatis: ut non minus inter opulentes Reges opulentissimus, potentissimusq; haberetur; quàm inter felices, sapientesq; sapientissimus, & felicissimus: is nulla Dei, à quo tot accepisset, ratione habita; postpositaq; omni beneficiorum diuinorum gratitudine, & recordatione ingratus, ac immemor derelicto amanti, beneficoq; Deo, maleficis, infensisq; generi humano Dijs adhæsit: & deficiens ab eo, à quo

plus longè bonorum, quàm accepiſſet, accepturus erat; deſciuit ad eos, à quibus non poſſet non malè haberi, malorũq; omni genere nõ affici: cum forent eiuſmodi; qui malum ſemper molirentur, & non magis poſſent, quàm uellẽt homini obeſſe. Quid eſt id ſapientiæ, atque prudentiæ? ut deſeratur à quo nil, niſi bonum, ſalutareq; accipi poſſit: & adhæreatur ei, à quo nil niſi malum, exitioſumq; referri queat. Tantum quidem abeſt, ut uideri poſſit id circo ſapientia uſus rex Solomon, prudenterq; egiſſe: ut mihi uideatur pro ſingulari inſipientia, qua uſus reperitur, & pro inſigni imprudentia, qua peccaſſe conuincitur, deridendus maximè, atque exibilandus. Sed non minus ex huius, quàm ex patris exemplo licet addiſcere; quàm noſtris uiribus non ſit fidendum, quàm exactè ſit cauendum ab occaſionibus peccandi; quàm non ſit remittenda unquam cura, cautioq; pro malis, peccatiſq; deuitandis. Vix exprimi poſſet, quàm facilè ex bono in malum excidatur ab homine, & ex ſapientia in amentiam corruatur: ſi plus fiduciæ, quàm par ſit, concipiatur, & plus ſecuritatis, quàm deceat, proponatur. dum enim cõcepta fiducia, & propoſita ſecuritate ſolitæ diligentiæ, & cautionis aliquid remittitur, accidit, ut paulatim aditus paretur uitio, & pro incuria cuſtodiæ concedatur ingreſſus urgenti ſemper, ac inſiſtenti appetitui: qui ſimulac blandè illabẽs, amicitiæq; fuco irrepens uires accepit; in rationem irruit, impetũq; facit: quæ doli neſcia, ſecuraq; periculi facile opprimitur: & iure, quod in

homine habebat, facilè fraudatur, atque priuatur. Quò fit ut cum homo se tutum maximè confidit: & excitandæ, expergefaciendæq; rationis curam, studiumq; aliquatenus remittit: tunc ab appetitu facilè trahatur in uitium, & ab ea, qua præditus sit uirtute, facilè abalienetur. Quapropter pro rei, quæ ualdè cauenda est, conditione, & difficultate admonendos iterū uos arbitror mei ciues, ne, si quid uirtutis, atque sapientiæ beneficio Dei estis adepti, nimis indulgendo uobis, nimis uobismet confidendo, curam, studiumq; earum remittatis: sed assiduè non minus diligentiæ, atque operæ adhibeatis in custodienda, augendaq; uirtute, atque sapiētia, quàm in cauendis, arcendisq; procul uitijs. Quàm excidatur facilè à uirtute, quàm facilè in uitium corruatur, nisi diligenter caueatur: qui modò patris exemplo didicistis, rursus uos quæso, atque obsecro, filij exemplo addiscatis. Quod si uobis interim acciderit, quod tam patri, quàm filio accidisse cognouistis, uestri fuerit officij patrem potius imitari, quàm filium: qui cum longè, quàm pater, grauius peccasset, grauiusq; Deum offendisset, non inuenitur tamen prout pater flagitij pœnitentiam egisse, atque pœnitendo sese correxisse: licet benignitate Dei correctionis admonitus fuerit, & ad pœnitentiam interpellatus. Quo quidem uita defuncto deterior filius succedēs sic se habuit initio adepti principatus, ut proposita Hebræis grauiori subiectionis, atque seruitij conditione effecerit, ut ex duodecim Hebræorum tribubus decem rebellarent: & Regem sibi ali=

um constituerent: qui sanè constituti Regis causa adeo nihil melius sibi consuluerunt: ut ex sartagine, prout dicitur, se in prunas conijcerent, & malo derelicto Rege peiorem sibi constituerent. Quare duorum Regum imperio diuisis ita Hebræorum tribubus, ut tribus Iudæ, & tribus Beniami uni parerent, alteri uerò cæteræ subijcerentur, futurum erat, ut inter se ferro decertarent, & bello graui inter se confligerent; nisi Deus sua benignitate, & in eos beneuolentia destinato ad id suo nomine nuntio prohibuisset. Tantũ enim est id curæ, et beneuolentiæ, qua Deus erga genus hominũ cõmouetur: ut licet nihil agatur ab homine; cuius causa odium potius, quàm beneuolentiam contrahere non mereatur: tamen Deus pro sua benignitate sic eum non deserit; sic beneuolentiam erga eum non restinguit; ut nihil curæ relinquat intentatum, quo prodesse possit; & nihil occasionis sinat elabi; quo benefacere queat, atque proficere. Quod quidem ex Hebræis licet animaduertere: qui cum impuritate uitæ, atque impietate nihil propemodum prætermitterent, quo Deum offendere, de Deoq; malè mereri possent: adeo tamen à Deo non sunt derelicti, adeo non sunt odio habiti; ut uel de eis se summam curã agere ostenderit; & eos ingenti se beneuolentia prosequi demonstrarit: dum uana Deorum superstitione occupatos, & falsis, maleficisq; Deis intentos nunquam destitit admonere, & tam missis uiris diuinis, quàm suscitatis prophetis; qui non modo redarguerent uerbis, sed miraculis, atque prodigijs etiam cõ

mouerent, nunquam desiuit, atque cessauit eos admonere, ac interpellare ad meliorem uitæ rationem suscipiendam, & ad uerum religionis cultum custodiendum, atque obseruandum. Vt autem complures omittam tum uitæ sanctitate claros, tum munere prophetandi insignes, quorum opera atque officio usus est ita Deus in admonendis, redarguendisq; Hebræis; ut non magis potestatem dederit futura prædicendi, quam miracula edendi, cuiusmodi fuit ille Thesbites Helias? quem Deus Achabi Israelitæ Regis tempore misit: qui tam Regem, quàm subiectos admoneret, increparet, & si quo pacto fieri posset, editis miraculis, atque ostentis ab impietate deterreret, & ad cultum ueræ religionis, fidemq; dictis habendam commoueret. Quidnam ostenti, quidnam miraculi abstinuit Deus huiusmodi hominis opera edere: quò Israelitas ab impia falsorum Deorum superstitione alienaret, & in ueræ religionis cultum, obseruantiamq; adduceret? Virtute Dei non solum operatus est Helias, ut uiduæ quod erat farinæ, non deficeret, licet absumeretur: & quod erat olei non minueretur, licet exhauriretur: sed etiam defunctum hominem uitæ restituit, & non minus imbrem sustulit, quàm denique induxit. Hæc planè omnia singillatim poterat persuadere Hebræis: nisi pro malitia stupidi, & pro impietate prorsus attoniti fuissent: cultum, obseruantiamq; Dei, cuius uirtute tam mirabiliter agi prospicerent ab homine. Sed id ostenti, atque miraculi, quod igne cœlitus in holocaustum corruente coram omni

populo ab Helia editum est; tantò euidentius, tantoq; clarius potuit arguere, atque testari, eum esse uerum Deum, solumq; colendum, atque obseruandum: cuius potestate, atque uirtute id tam mirandi facinoris, id tam stupendi effectus contigisset: quantò id genus rei, siue miraculi uisum fuerat aptius publico consensu ad comprobandam uel Dei, uel Deorum potestatem. Qui prophetæ, ministriq; fuerunt Deorum, siue Demonum, adeo nihil potuere operari, licet usq; ad sanguinis effusionem niterētur, quod argueret aliquid diuinæ, admirandæq; potestatis: ut non minus ipsi deprehensi sint insani, & impietatis rei, quàm Dij ipsorum impotentes, & fallaces reperti. Quò factum est, ut agnita ueri Dei potestate, & deprehensa idolorum uanitate populi Israelitæ consensu sumeretur ab Helia supplicium de impijs: & quas mererentur, pœnæ caperentur de sceleratis, atque nefarijs. Hic idem Helias admonitu Dei, atq; iussu eis occurrit in itinere, qui pergebant consultum de casu Regis Demonem: quos cum grauiter Dei uerbis increpasset: quod Regi ipsi ex casu periculi immineret, declarauit: & eos demum factos certiores de eo, quod quærebant, redire persuasit. Videtis'ne ciues, quantum sit id curæ, quātum sit id studij: quo pro sua in hominem benignitate, & beneuolentia usus comperitur Deus erga Israelitas? qui admonendo, increpando, miracula edendo, nihil officij prætermisit, quò sanaret eos ab impietate, & prohiberet peccatorum causa periclitari. Testatus nempè Deus est suam beneficentiam,

& benignitatem erga hominem tum legando Israelitis, à quo admonerentur, increparentur, miraculis commouerentur: tum legatum ipsum tanta potestate donando, totq; donis, & meritis prosequendo: ut non solum eum illustrem edendorum miraculorum facultate, dum hic uiueret, reddiderit: sed etiam igneo curru sublatum spectantibus humanis oculis uiuum, mortisq; corruptione intactum in cœlestes, ætheriasq; plagas adduxerit. Quod sanè diuini facti, siue miraculi tam gerit typum nostri servatoris Christi cum corpore cœlum spectantibus Apostolis conscendentis, quàm cõprobat, uerumq; prorsus arguit, quidquid sacris nostrorum scriptorum monumentis de eiusdem nostri seruatoris in cœlum ascensu continetur, atque recensetur. Sublato in cœlum Helia Deus non defuit, quin alium legaret, constitueretq;: cuius opera, atque ministerio conciliaret sibi fidem apud Israelitas: et fide conciliata eos in ueræ religionis cultu contineret, & ad cauenda peccata, obseruandaq; documenta salubria induceret. Ea fuit in Hebræos Dei benignitas, & beneuolentia: ut non solum cum abstinerent ab impietate, & mandata custodirent, eos afficeret beneficijs, tum uictorias contra hostes concedendo, tum multiplicẽ bonorum copiam sufficiendo: sed etiam procuraret, ut cum impietatis rei forent, & nihil minus, quàm præcepta obseruarent, interpellati, increpati, excitatiq; se se corrigerent, seq; eiusmodi præstarent: ut largiorem in se beneficentiam experiri, & copiosiores beneficentiæ fructus sentire, acciperéq; ualerent. Nun-

quam defuit Deus, quin duplici id genus cura, & benignitate usus sit in Hebræos, dummodò per ipsos licuerit. Non solum enim, si præcepta obseruarent, beneficum, propitiumq; Deum experiebantur bona accipiendo, feliciter uiuendo, uictoriasq; ex hostibus obtinendo, sed studiosum etiam eum, cupidumq; sentire poterant operandi, efficiendiq;: ut eiusmodi euaderent, qui possent id genus beneficijs affici. Nec tam pro sua bonitate procurabat Deus: ut tales euaderent, qui possent beneficijs affici: quàm studebat efficere, ne facilè, simulac beneficijs accipiendis idonei euasissent, caderent de gradu, occasionemq; bonorum, beneficiorumq; accipiendorum amitterent. Qua ratione de medio uix abstulerat Deus Heliam, quòd Eliseum duplo ampliori, quàm fuisset Helias, operandi uirtute, atque potestate donauit; quò eius opera, atque officio Hebræos in cultu ueræ religionis, mandatorumq; obseruatione contineret: aut si opus foret, ab impietate, falsaq; Deorum religione ad pietatis cultum, religionisq; ueræ studium reuocaret. Quot beneficijs Deus Hebræos affecerit opera Elisei: quanta beneficentia, quantaq; largitate prosecutus sit ipsum Eliseum Deus, non singillatim recensere adgrediar: sed quæ maioris momenti uisa fuerint attingens, rem quàm breuissime fieri poterit perstringam. Postquam insalubres, noxiasq; Hiericonis aquas uirtute Dei adhibito sale sanas, salubresq; reddidit Eliseus typum Christi gerens: qui sacri institutione lauacri, quæ alioqui insalubres forent, salutares effecit aquas: eius=

dem Dei beneficio obtinuit, ut tam Israelitis, quàm Iudæis, qui contra Moabitas contenderant, miraculosè sufficerentur aquæ: quarum suffectarum beneficio, id quoque beneficij adiecit Deus: ut contra quos tetenderant hostes expugnarent, & direptis eorum urbibus, regioneq; uastata domum incolumes reuerterentur. Dei quoque beneficio obtinuit Eliseus, ut Sunamitis mulieris filium mortuum excitaret: aquam in oleum mutaret: paucis panibus quàm plurimos cibo etiam superante satiaret: leprosum Iordanis aqua curaret: quæ planè miracula quis non agnoscat typum præseferre miraculorum, quæ Christus edidit mulieris filio suscitato, aqua in uinum uersa, quinque panibus saturata multitudine, leprosis sanitati restitutis. Opera Dei Eliseus ab insidijs Syrorum cum liberasset Israelitas, & hac de causa Syrij Regis ita in se animum concitasset: ut urbs, in qua erat, regio exercitu obsideretur, impetrauit à Deo: ut exercitum cæcitate correptum ab obsidione deduceret: & in umbilico Samariæ constitutum sanaret denique, qua affectus esset cæcitate. Idem Deus, cum Syriorum exercitu Israelitæ in Samaria sic obsiderētur, ut inopia, fameq; grauissimè laborarent: admonito prius eius, quod acturus esset, Eliseo, terriculamenta immisit: quibus ndu cti sunt Syrij, ut desertis castris aufugerent, & ea in manu hostium rerum omni copia referta relinquerent. Quò factum est, ut Dei beneficio non minus obsidione, quàm fame liberarentur Israelitæ. Nec pro sua benignitate Deus Israelitas, cum culpa

sua, delictisq; suis in manus Syrij Regis peruenissent, grauemq; seruitutem sustinerent, dereliquit, quominus eos liberaret, & restitueret in locorum, urbiumq;, quas bello amiserant, possessionem: cuius quidem beneficij conferendi omnem rationem explicauit Deus Eliseo, priusquam moreretur: qui cum ad mortem ægrotaret: quæ à Deo acceperat, indicans Regi Israelitæ non minus uidetur typo sagittæ, symboloq; orientalis fenestræ designare salutem, quæ ex Christo futura esset generi humano, quàm quæ futura esset ex Rege Israelitis. Suam erga Eliseum animi propensionem, & beneuolentiam non solum testatus est Deus ei tribuendo, dum uiueret facultatem futura prædicendi, miráq; operandi: sed summopere etiam comprobauit, dum eius defuncti contactu ex morte excitari hominem procurauit. Quis hinc apertè non colligat corpora sanctorum hominum non esse ex Dei beneficio uirtutis expertia, nec esse contemnenda, ut quidam arbitrantur impij, sed custodienda, obseruandáq; ratione animarum? quæ piæ, sanctæq; eis tanquam uasculis quibusdam continebantur, & eorum opera, ministerioq; utebantur in plurium bonorum effectione. Si contactu cadaueris Elisei, qui sanctitate uitæ, & integritate animi pollebat, excitatus est à morte, & uitæ restitutus homo: cur hæsitandum est, eorum corpora, qui in religione Christi non solum sanctitate uitæ, & animi integritate præstiterunt, sed etiam Dei amore, Christiq; contemplatione sanguinem fuderunt, tormenta pertulerunt,

mortem subierunt: sortiri Dei concessione, Deiq́; uoluntate obtinere posse uim, uirtutemq́; operandi miracula, & tactu sanandi? O' potentem Dei uirtutem: ò summam Dei, admirandamq́; benignitatem, atque beneficentiam. Immensa Dei, infinitaq́; potentia non patitur, ut credamus quidquam excogitari posse, quod ab eo effici, præstariq́; non ualeat. Nec permittit etiam eius benignitas, atque beneficentia: ut sentiamus quidquam eum nolle, quod sciat uel suorum, qui defuncti sint, honori augendo conducere, uel noscat uiuentibus ad salutem, sospitatemq́; proficere, & usui esse posse. prout impium foret existimare eũ, qui chalibis mouendi magneti potestatem tribuat: & excitãdæ festucæ uim, uirtutemq́; electro præbeat: plurimisq́; alijs inanimis rebus miram stupendamq́; tradat operandi efficaciam: non posse corpori hominis, in quo ipse dum uiueret homo, habitasset; uim, potestatemq́; conferre tactu sanandi, uitæq́; restituendi humana corpora: ita sacrilegum foret, & nefarium opinari, eum qui omnis uirtutis exemplar sit, & pro sua bonitate uelit omnes homines, quatenus fieri possit, sibi similes effici: aliquid uirtutis homini inuidere, aliquid honoris, existimationisq́; eius ægreferre: quatenus causa uirtutis honoratur: cum fieri nequeat, quin si causa uirtutis & sanctitatis colatur, honoreturq́; homo, ipse Deus qui uirtus est, & sanctitas colatur, honoreturq́; in homine. Vnde mihi uidentur plurimum honori Dei, atq; cultui detrahere: & Deum ipsum, dum credunt demereri, ualde offen=

dè offendere, quicunq; ſanctos, pioſq; homines: qui non minus ſanctitate uitæ, quàm diuinis miraculis claruere, negant honorandos, atq; colendos: qui cum Deum ipſum referant, quatenus uirtute, ſanctitateq; præſtant: traduci, cõtemniq; minimè poſſunt: quin ipſe Deus traducatur, atque contemnatur: qui tantum abeſt, ut non ferat ſibi acceptum quidquid honoris, cultuſq; ſanctis hominibus impendatur: ut id longè gratius, acceptiuſq; habeat, quàm ſi ſibi non habita ratione hominis impenderetur: cum id cultus, ſiue honoris intelligat non ſolum quandam ſuam cum homine coniũctionem: quam maximè optat declarari, atque agnoſci, arguere: ſed etiam prodeſſe plurimum poſſe ſanctitati, uirtutiq; in hominum genere conſtituendæ. Si Deus idcirco factus eſt homo, ut hominem efficeret Deum: cur Deo ſummè gratus, mirificeq; acceptus non eſt cenſendus honos, cultuſq;, qui exhibeatur homini: qui ſic piè, ſancteq; uixerit; ut propoſitum Dei impleuerit, uoluntatiq; Dei ſatisfecerit: quatenus ſumendo hominem ſtuduit, procurauitq; efficere, ut homo piè, ſancteq; uiuendo Deum indueret, euaderetq; Deus. Sicut pium, ſanctumq; hominem adeo non poſſumus honorare, neq; colere, quin ſanctitatem, pietatemq; colamus: ut omnino cum propter ſanctitatem ipſam, atque pietatem honoremus, atque colamus: ita fieri non poteſt, quin Deum, ipſum colamus, ſi pium, ſanctum'que hominem colimus: qui cum propter uirtutem & ſanctitatem colatur, & quatenus pius, ſanctuſq; eſt, honoretur:

tam propter Deum, qui uirtus est, & sanctitas, colitur: quàm ueluti Deus, Deumq; referens, repræsentansq; honoratur. Ex uobis obsecro ciues argumentamini paulũ, possit'ne Deus offendi sanctorum hominum cultu. Si quisquam uestrum uirtute præditus, & probitate præstans filium habeat: quem sic instituerit in uirtute, & in cultu probitatis sic eduxerit: ut in eo non tam corporis, quàm animi, morumq; suorum expressam imaginem perspiciat: & eum sua opera, suoq; studio eiusmodi effectum animaduertat: putandum'ne est fieri posse, ut is indignè ferat filium huiusmodi à quo se referri sciat; & quem quod dignum habeat laude, & honore, ab se habere cognoscat: uulgò honorari, publiceq; in existimatione haberi? An potius censendum est honorem filio exhibitum tantò fore patri ipsi gratiorem: quantò magis ex conditione filij curam, studiumq; suum comprobari, suam uirtutem magis illustrari, propagariq; agnouerit? Si tam abest, ut honorem filij pater indignè ferat, eoq; offendatur: ut maximæ laudi eum sibi ascribat, & in eo sibi plurimum placeat: quid de Deo existimandum est? qui tam omnis inuidiæ, liuorisq; est expers: ut omnis boni, cuius causa possit esse liuor, ipse sit author: et tam sua in sanctos homines charitate, & affectu superat patris cuiusque amantissimi in filios affectum, & propensionem: ut ipse omnis legitimi amoris, omnisq; naturalis affectus causa sit, & origo. Quapropter nolim ciues mei, ullo pacto aures adhibeatis impijs eorum cauillis: qui dum nimis uideri cupiunt Christi,

Deiq́; amantes, & studiosi: detrahũt pijs, sanctisq́; hominibus: & Deum, Christumq́; duntaxat colendum, obseruandumq́; proclamantes, sanctorum hominum cultum reijciunt, perinde ac si cultus eorum Christi, Deiq́; cultui, honoriq́; aduersaretur: & Christi authoritatem imminueret. Dum enim minus rectè percipiunt tam Dei, quàm Christi rationem: euenit, ut dum credunt se causam Dei, Christiq́; tueri, melioreq́; efficere, lædant uehementer, ualdeq́; oppugnent. Dum enim quibusdam quasi cancellis tam Deum, quàm Christum concludunt, & à Christo, Deoq́; sanctos homines separant, arguuntur existimare sanctitatem esse, quæ non sit Deus, & esse uirtutem, quæ non sit Christus: quod quidẽ meo iuditio non minus est absurdũ dictu, quàm impium creditu: & quod tam Dei, & Christi conditioni repugnat, quàm detrahit authoritati, & perfectioni. Virtus esse non potest, ubi non sit Christus: qui archetypus est omnis uirtutis. sanctitas esse non potest, ubi non sit Deus, qui sanctitatis omnis est exẽplar. Qua ratione fit, ut si homo, qui præditus sit uirtute, & sanctitate polleat, colatur, obserueturq́; propter uirtutem, atque sanctitatem, non ipse sit homo, qui colatur, sed uirtus, quæ nihil aliud est, quàm Christus, ac sanctitas, quæ nihil aliud est, quàm Deus: quæ obseruetur, atq; colatur in homine. Mortuo Eliseo Deus nõ destitit pro singulari sua benignitate, & beneuolẽtia in Hebræos excitare alios, atque alios sanctos uiros, atque prophetas; à quibus de peccatis redarguerentur; & ab impietate, cul-

tuq; Demonum, si fieri posset, reuocarentur ad pie tatis studium, ueræq; religionis obseruantiam. Suscitauit itaque Osæam: qui sanctitate præstans, & uaticinandi spiritu repletus, non solum commemoratis, quæ accepissent beneficijs, studuit eos ad cultum ueræ religionis, diuinorumq; mandatorum obseruationem reducere; sed etiam miserijs, & calamitatibus, quæ eis, nisi resipiscerent euenturæ essent, enuntiatis, non minus increpando, quàm minitando deterrere eos conatus est ab ea, qua abundabant impietate. qui sanè uir diuinus, prout ex ipsius monumentis patere potest, tam de gentibus profanis ad uerũ religionis cultum conuertendis, quàm de Christo, Christiq; resurrectione plurima uaticinatus est: & ueluti præ oculis, quæ futura essent haberet, insigniter explicauit. Ioelem quoque suo diuino spiritu afflauit; qui clades, quæ pro peccatis ac impietate imminerent plurimæ prædicens, prouocauit eos ad pœnitentiam agendam, & imminẽtis exitij explicato discrimine procurauit enixè eos deterrere à uia malitiæ, delinquendiq; prauitate: qui etiam, dum iustitiæ doctorem futurum, imbrem matutinum descensurum commemorat: tam clarè Christum, Christiq; diuinã conceptionem indicauit, quàm apertè significauit eam, quæ post Christi resurrectionem, ascensumq; in cœlum facta est denique diuini spiritus in Apostolos, sanctosq; homines infusio: et non minus extremi, quod futurum sit iuditij rationem, formamq; explicauit, quàm signa præscripsit, atque ostenta: quæ Christi mortem insecuta referun

tur tam cœli, quàm terræ causa: & tam siderum, quàm stellarum deliquio. Effecit præterea, ut ab Amoe, quem non minus pastorem diligentem, quàm pium, sanctumq; prophetam instituerat; interpellarentur ad studium pietatis, & ad cultum ueræ religionis: qui cum minitando detegeret, quæ subituri essent peccatorum causa incommoda, et detrimenta: meminisse quoq; cōperitur Christi seruatoris nostri, salutisq; generi humano Dei beneficio afferendæ. Michææ etiam uiri prophetæ opera usus est: ut eos deterreret ab impietate, & auerteret à flagitijs: qui quidem Michæas non minus se strenuum præbuit in eis corripiendis, admonendisq; omnium, quæ passuri essent, nisi uitam corrigerent: quàm diligentem, ueracemq; se præstitit in Christi aduentu prædicendo: & in Christi uirtute, atque potestate symbolo excelsi montis significanda. Nec defuit, quin Ionæ officio etiam uteretur in eis arguendis, atq; reprehendendis: qui cum deinde iussus adire Assirios: quò eos ad pœnitentiam de peccatis agendam adhortaretur: & indicata, quæ immineret impœnitentibus clade, deterreret à criminibus: detrectare uideretur: meruit, ut inglutiretur à Cethe: cuius uētre cum ita fuisset conclusus, ut tertio die uiuus euomeretur: obtinuit, ut non minus re ipsa exprimeret mortem Christi, resurrectionemq;; quàm uerbis uaticinioq; explicaret. Esaiam quoque singulari sanctitate, & uirtute prophetam induxit; à quo grauiter reprehenderētur, & suo nomine minis adhibitis increparentur. Hic est ille Esaias, qui tanta

ſanctitate præſtitit, & tantam uaticinandi uirtutem diuino beneficio conſecutus eſt: ut inter ſanctos, piosq; homines habeatur ſanctiſſimus; & inter diuinos uates diuiniſſimus cenſeatur: qui quidem, ſi ea, quæ de Chriſti uita, inſtitutis, miraculis, uirtute, operatione, morte tradidit uaticinando, conſiderentur exactè: non pauciora propemodum de eo, nec obſcuriora uidebitur recenſuiſſe prophetãdo: quàm qui diſcipuli eius, atque Apoſtoli fuerunt: remq; oculis ſubiectam ſcribendo, hiſtoriamq; texendo tradiderunt, memoriæq; mandarunt. Ò egregiũ, admirandumq; uatem: cui licuit tam multo ante tempore uirginis partum cognoſcere, Dei filium naturam hominis induturum comprehendere: & quidquid de Chriſto futurum erat tam mortis, quàm uitæ ratione intueri. Quàm Deo amicus, quàm familiaris cenſendus eſt extitiſſe homo huiuſmodi: cui tam myſticæ, arcanæq; rei reuelata ſit ratio: & cui, quæ ignota Angelis, ſpiritalibusq; intelligentijs abſconſa fuerat beneficij tanti executio; detecta ſit, atque exacte demonſtrata? Non tamen Hebræi tã pij, ſanctiq; uiri monitis parere, nec tam ueridici, diuiniq; uatis dictis fidem adhibere uoluerunt: ſed contemnentes tam huius, quàm reliquorum, quos Deus pro ſua beneuolentia, & benignitate eis legarat, monita, atque uaticinia, non ſolum perſtiterunt in ſolita peccandi pertinacia: ſed in deterius etiam labentes nihil ſceleris, atque flagitij inexpertum, nihil impietatis, atque mali intentatum reliquerunt. Vnde nihil minus, quàm Dei benignitatem, atque

beneficentiam in se agnoscentes adeo prophetis Dei ipsius nomine ad pœnitentiam interpellantibus non obtemperarunt; adeo uiris diuinis, Deiq; legatis fidem non adhibuerunt: ut eos subsannarent, probris afficerent, uiolarent, interficerent. Qua ratione Deus animaduertens se iam tantum operæ, atque studij impendisse pro corrigendis, ad pœnitentiamq; inducendis Hebræis; quod satis esset, conueniensq; foret suæ in hominum genus benignitati declarandæ: ne indulgentiæ ratio ulterius progrediens, quàm sufficeret bonitati, benignitatiq; ostendendæ, detrahere uideretur iustitiæ, occasionemq; præstare delinquendi: statuit experiri, si quos rebus prosperis, secũdisq; rerum successibus sibi demereri nequiuisset, & ab impietate, malitiaq; auertere nec monitis, nec minis ualuisset: posset sinistris, aduersisq; rebus commouere: & supplicium sumendo, iustitiamq; exercendo, reuocare ad meliorem uitæ rationem. O exactum diuinæ prouidentiæ examen. O admirandum diuinæ beneficentiæ cumulum, de quibus sumitur suplicium ob delicta, eis consulitur: in eosq; beneficentia exercetur. Ratio iustitiæ sic habetur, sic iustitiæ exercendæ incumbitur: ut tamen proficiendi, benefaciendiq; subsit in primis propositum. Nihil prætermittit pro suo benemerendi de nobis studio Deus, quod non experiatur, quod non tentet: ut beneficio nos afficiat: ut beneficentiæ suæ largitatem in nos exerceat. Quatenus nobis expedire prospicit, et quatenus nostræ ueræ utilitatis rationem pati animaduertit: nos lætis, secundisq; rebus cumulat. Qua

tenus uerò uel ratio corrigendæ uitæ, uel expiandæ noxæ, uel maioris meriti ineundi exigit: ut tangamur aduersis, & corripiamur incommodis: nō prætermittit occasionem nobis consulendi, & nostræ saluti, si fieri potest, adhibito remedio prospiciendi. Quò fit, ut siue accipiamur aduersis, siue calamitatibus implicemur, siue interitu etiam arripiamur: oporteat id semper adscribi beneficētiæ Dei erga nos, & loco ingentis beneficij accipi, atque agnosci: quoniā Deus pro sua bonitate, suáq; egregia in nos charitate nō pateretur quidquā nobis contingere, quod habita ueræ utilitatis, salutisq; nostræ ratione damnosum foret, atque exitiosum. O si possemus ciues aliquatenus diuinæ prouidentiæ penetrale ingredi: & singulorum, quæ Dei uoluntate, atque consilio nobis eueniunt, rationem ita comprehendere: ut etiam scire possemus, quid alioqui fuisset euēturum: nisi quæ numero malorum, aduersorumq; cēsemus, Dei opera euenissent: quantum deprehenderemus opinione nos decipi; quantum agnosceremus nos errare in rerum, casuumq; humanorum accipienda ratione. Sunt sanè plurima, quæ malorum nomine censemus, & quæ aduersa existimamus, & perniciosa: quæ tamen adeo non sunt mala, adeo perniciosa existimari non debent: ut ea Deus sinat accidere, atq; immittat: ne malum incurramus, ne perniciem subeamus. O quàm multa sunt, quæ nescij prouidentiæ diuinæ, & ignari ueræ rerum rationis, atque naturæ, existimamus mala, & pernitiosa: quorum tamen rationem si haberemus cogni=

tam; & ex Dei proposito perpenderemus: tantum abesset, ut ea censeri possent mala, atq; perniciosa: ut deprehenderentur salutaria remedia pro cauendis, fugandis'que uerè malis. Ne putetis ciues Deum illum beneficum, & amantem pro sua bonitate, suáq; in nos beneuolentia, & charitate permissurum quidquam, aut effecturum: in quo non habeat summam nostræ ueræ utilitatis, nostræq; salutis rationem: & in quo suæ beneficentiæ munus erga nos non exerceat. Me prædem do uobis ciues: hanc animam uobis, si licet, obstringo: quam uolo impietatis fontem, mendaciјq; ream cõstituatis, ad tribunalq; Dei denique trahatis: nisi cum hac uita excesserimus, comperiatis non solum hæc omnia, quæ prædico uobis, affirmoq; de Dei in hominem beneuolentia, & propensione esse uera: sed etiam tantam esse Dei ipsius erga hominem curam, & charitatem: ut ne mente quidem, intellectuq; apprehendi possit, ne dum uerbis exprimi, sermoneq; humano complecti. Quapropter ciues agnoscamus obsecro, dum hic degimus: & toto pectore, totoq; animo accipiamus id studij, id beneuolentiæ, id charitatis erga nos diuinæ; & benignitatem, beneficentiamq; Dei in nos gratitudine animi, quantum fieri potest, approbemus: ne cum denique de nobis iuditium agatur, comperiamur ne minima quidem ex parte respondisse diuino in nos amori, & conuincamur gratitudine animi caruisse: & plurimum in agnoscendis beneficijs in nos diuinis defecisse. O quàm erubescemus tunc ciues: ò quàm pudore suf-

fundemur tunc: cum redarguet nos palàm Deus de ingratitudine, & de rustica immanitate, qua usi fuerimus: dum nihil minus curauerimus, quàm eũ amare, eumq́; beneuolentia prosequi; à quo fuerimus tam ardenter amati, tantoq́; beneuolentiæ studio complexi. Quantum id confusionis, quantum id ignominiæ existimatis fore ciues: cum Deus ingratitudinem nobis obijciet, beneficia recensebit, quibus ingratos nos affecerit: & explicabit studium, atque curam, quibus usus fuerit pro sua in nos animi propensione: ut nos induceret ad dimittendum peccata, & ad habendam rationem nostri finis, nostræq́; salutis? Quantum tristitiæ, quantum tormẽti concepturos inde fore nos, credendum est, cum clarè, palamq́; uidebimus, animaduertemusq́; promptam adeo, studiosamq́; nobis benefaciendi, nostræq́; saluti consulendi diuinam uoluntatem: & agnoscemus nos nostrapte culpa fraudatos esse tot bonorum commodis, tantaq́; perpetuæ quietis, atque salutis felicitate priuatos? Quantum fuerit id miseriæ, quantum fuerit id afflictionis, quam sentiemus, quamq́; patiemur: cum animaduerterimus bonorum copiam, beatitudinisq́; æternæ fruitionem; quã pro sua bonitate, suaq́; in nos beneuolentia Deus nobis parauisset; dum nobismetipsi defuerimus, amissam: & cum cognouerimus quo de gradu felicitatis nostra culpa deciderimus: & in quas pœnarum, & calamitatum lernas nosmetipsos coniecerimus? O tartareas pœnas, ò cruciatus infernales. Quis fuerit ex nobis ciues adeo animi impudens, adeo suæ sa

lutis contemptor, adeo miseriæ, pœnarumq; impauidus: qui cum hodie intelligat, quo proficiendi nobis studio agatur: quo beneuolentiæ & charitatis affectu in nos tangatur Deus: non commoueatur ad eum colendum, amandumq;: & eius in nos amori, atque charitati aliqua saltem ex parte respondendum? cum præsertim in eo amando, colendoq; consistat omnis ratio nostræ salutis: & omnis tam uitandæ miseriæ, quàm felicitatis consequendæ occasio. Ne igitur tam ingratitudinis, quàm impudentiæ uitio laborare prorsus arguamur: & ne tam salutis nostræ nullam rationem habendo, quàm nullam miseriæ, pœnarumq; cautionem procurando cõuincamur omnino stolidi, ac amentes: excitemus animos, ac studium, curamq; omnem dirigamus ad colendum beneficum, salutaremq; Deum: & maxima, innumeraq; eius in nos tum collata, tum præparata beneficia gratis animis accipientes, agnoscentesq;, totis animis, totis uiribus contendamus: ut ei in beneuolentia, & charitate, qua nos mirum in modum prosequitur, aliqua ex parte respondeamus: & quatenus pro uirili nostra possumus, amando uices rependamus. Sed iam ne propositæ materiæ ordinem deseramus, ad Hebræos reuertamur: quos cum uidisset Deus secundis, prosperisq; rebus non posse induci ad cultum pietatis: nec monitis, minisq; ualere commoueri ad uitã dam prauè, impieq; agendi rationem: aliam excogitauit, tentauitq; uiam eos corrigendi, eosq; ab impietate, atque prauitate reuocandi. Cum enim fieri possit aliquando;

ut qui secundis rebus elati nihil minus curẽt, quàm quod sit sanctitatis, & religionis: aduersis circunuenti resipiscant: & non minus curam, studiumq́; religionis assumant, quàm quærant, procurentq́; Dei fauorem sibi sanctitatis studio conciliare: quò uel ex aduersis eruantur, uel saltem in eis tolerandis æquanimius sese habeant: idcirco Deus, qui pro sua in hominem benignitate, & beneuolentia nescit omittere quidquam, quod possit esse remedio saluti eius restituendæ, siue conseruandæ: Hebræos rebus aduersis grauiter concussit; & eò fortunæ, & calamitatis adduxit: ut patrijs urbibus priuati, extorresq́; facti Assirij Regis ditioni, imperioq́; subijcerentur; & captiuitati traditi Assirijs seruire cogerentur. Id cladis, id uastitatis passæ sunt illæ decem tribus Hebræorum: quæ iam sibi constituto Rege desciuerant à filio Solomonis: & in Samaria habitantes nihil commertij tam templi, quàm Regis causa retinuerant cum reliquis, quæ duæ erant, tribubus. Hæ igitur decem tribus Hebræorum cum peccando, impieq́; agendo ad summum noxæ culmen peruenissent: quò pœnas delictorum luendo, & diuinæ iustitiæ rectum examen experiendo haberent, unde resipiscerent, & agnoscerent peruersitatis, impietatisq́; suæ grauitatem; & agnoscendo pœnitentiam agerent, meliorisq́; uitæ rationem ingrederentur: Dei consilio, Deiq́; beneuola, beneficaq́; uoluntate in captiuitatem redactæ sunt: & rebus aduersis percussæ, prouocatæ sunt ad pœnitentiam delictorum, & ad cultum pietatis, atque uirtutis ualidè, poten

terq́; interpellatæ. Deus enim ſtudio ſanandi, curã
diq́; eas percuſſit; benefaciendi, atque proficiendi
deſiderio in captiuitatem, atque ſeruitutem redegit.
ſic rationem in ſummendo de reis ſupplicio habuit
iuſtitiæ: ut benefaciendi, conſulendiq́; eis nullo pa
cto rationem neglexerit. Qui cauſa beneuolentiæ,
& ſtudio proficiendi decem tribus Hebræorum Aſſi-
rijs bello ſuperari, captiuasq́; duci permiſit: idem
pro ſua benignitate, & beneficentia, reliquas du-
as tribus ſeruauit indemnes, cuſtodiuitq́; incolumes
Aſſirijs ipſis, à quibus æquè bello infeſtabantur, no
ctu ad centum octoginta quinque millia occiſis, at-
que trucidatis. Nondum eò prauitatis duæ tribus
peruenerant: ut pro lege diuinæ prouidentiæ, atq;
iuſtitiæ deberent aduerſis rebus, inſigni'ue aliqua
clade prouocari ad pœnitentiam, & ad melioris ui-
tæ rationem ineundam interpellari. Erat præterea
tunc temporis ea Iudæi Regis probitas, in Deumq́;
obſeruantia: ut nec ipſe indigeret, ut aduerſis, aut
cladibus induceretur ad pœnitentiam: nec patere-
tur ſubiectos indigere: quos exemplo, monitis', præ
ceptisq́; continebat in ſtudio pietatis, cultuq; religio
nis: & tam docendo, quàm faciendo ſtudebat à ui
tijs abducere; & ab impia peccandi lue ſummoue-
re: qui quidem cum laboraret aliquando ægritudine
corporis, ut foret moriturus, Dei beneficio etiam cõ
ſecutus eſt, ut uitæ quindecim anni adijcerentur.
Quo quidem mortuo cum filius patri multum diſſi
milis ius regium adeptus fuiſſet: & tam nefariè ui
uendo, quàm crudeliter occidendo grauiter Deum

offendiſſet: pro ſua crudelitate, ſuiſq; pro flagitijs meruit, ut in manus Aſſiriorum deueniret; & uinctus cathenis, atque compede duceretur captiuus Babilonem: ubi cum pœnitentia flagitiorum inductus ſe ad Deum conuertiſſet, eiuſq; auxilium, ac opem ex animo imploraſſet: pro ea benignitate Deus, qua pœnitentes, ad ſeq; reuertentes omnes libẽter admittit: & pro ſua uoluntate benefica, propenſaq; maximè ad conſulendum homini, & bene faciendum: eum cathenis exoluit; & dura ſeruitij compede liberauit; in patriamq; reductum in regnum reſtituit: cuius ſecuta morte filius ſuccedens ob ſuam erga Deum obſeruantiam, & pietatem obtinuiſſet, ut Deus paratam ad puniendum ſcelera Iudæorum manum contineret, & parceret: quo minus idem in eos permitteret fieri, quod contra Iſraelitas, decemq; tribus antea permiſiſſet: ſed cum huic tam pio religioſoq; Regi ſuccedentes ſingillatim tam filij, quàm nepotes nihil minus agerent, quàm quod dignum foret pio, religioſoq; homine, & non minus ipſi multiplici impietatis genere, multifariaq; flagitiorum turpitudine peccarent: quàm ſubiectos licentia inducerent, & exẽplo prouocarent ad peccandum, impieq; agendum; contraxerunt ſibi clades; & facti captiui, in ſeruitutemq; redacti Caldæorum, regnum amiſerunt, & unà cum ſubiectis tam regia urbe exciſa, quàm deſtructo templo miſerabiliter afflicti fame, oppreſſiq; fuerunt. Qui Hieremiæ diuini hominis, atque prophetæ Dei nomine interpellantis ad pœnitentiam,

futurasq; calamitates, ni sequeretur emendatio, prædicentis uerbis, sermonibusq; noluerant aures, fidemq; adhibere : qui Sophoniæ æquè prophetæ, sanctiq; hominis monitis, uaticinijs, minisq; se non siuerant commoueri : quominus in dies deteriora cõmitterent, & nefandius, flagitiosiusq; uiuerent: tandem se coniecerunt in clades, miseramq; Babilonij Regis seruitutem : & dum seruire Deo, eiusq; mandatis parere detrectarunt, se barbari Regis seruituti subdiderunt : & se tyrannidi, ditioniq; Caldæi Regis obstrinxerunt. O' crassam hominum ignorantiam: O pertinacem, absurdamq; amentiam. Cui seruiendo liberi esse poterant; cui parendo felices uiuere, & omni rerum copia abundare, secundisq; rebus frui ualebant: eius seruitium recusantes, eiusq; mandata uiolantes, libertatem amiserunt, in calamitates inciderunt, omnium rerum inopiam incurrerunt, rebus mirum in modum aduersis oppressi sunt. Dum seruire Deo, cuius seruitium dulce esset, & salutare, recusarunt: & dum mandatis Dei, quæ non minus utilitatis, quàm sospitatis continerent, obtemperare noluerunt, in duram, asperamq; seruitututem tyranni hominis inciderunt : & eius mandata non minus grauia, quàm pernitiosa subierunt. Quamuis Hebræi pro sua peccandi peruicacia, offendendiq; Dei promptitudine mererentur, ut a Deo penitus desererentur, contemptuiq; haberentur, & odio : tamen Deus, quid merērētur, nequaquam respiciens, sed suæ bonitatis, suæq; benignitatis rationem habens, adeo beneuolum in eos se osten-

dit, adeo beneficum se præstitit. ut quos captiuos duci, aduersisq; rebus percuti permisisset, ut sanescerent, meliorique uitæ rationi restituerentur: procurarit etiam dum in potestate hostium essent, & captiuitate detinerentur, admonendos suo nomine, & interpellandos ad pœnitentiam. Adeo pro sua benignitate, suaq; in hominem propensione Deus non est auersatus, nec odio prosecutus eos, à quibus toties iniuria affectus, toties impietate, & flagitijs offensus fuisset: ut legaret, mitteretq;, qui eos solarentur, eisq; certam spem euadendi de captiuitate afferrent: dummodò pœnitentia flagitiorum afficerentur, & ad studium probitatis, cultumq; ueræ religionis sese referrent. O' ingentem curam, quam de salute, utilitateq; hominis gerit Deus. O' studium, operamq; insignem, qua utitur Deus, ut curet, sanetq; hominem: & ad sospitatis, salutisq; munus restituat. Non uisum fuerat satis curæ impensum, nõ satis studij, operæq; exhibitum: quatenus procurata captiuiuitate, & allatis rebus aduersis studuit eos sanare uitijs, & reuocare ad salutem: nisi uiros etiam prophetas, sanctitateq; excellentes destinaret ad eos: quò salutis suæ admonerentur: quò inuitarentur ad pœnitentiam: quò in spem certam euadendi inducerentur: & futuræ, nisi sibi deessent, liberationis solatio afficerentur. Cum itaq; Hebræi captiuitate Babilonica detinerentur; & in potestate Caldæi Regis essent: Deus pro sua in eos beneuolentia, & pro suo eis consulendi studio, atque desiderio compellauit Ezechielem, edocuitq;, quæcunque

que ſuo nomine uellet eis nuntiari: qui quidē Ezechi el diuino ſpiritu actus nō deſtitit admonēdo, adhor tando, inſtruendo ad pœnitentiā prouocare: & uer bis Dei ſpondere liberationē: dummodo ipſi Deū ſibi proponerēt colendum, atq; obſeruandū: & ab idolo rum cultu, prauaq́; agendi cōſuetudine recederent. Hic Deo ſuggerēte futuram liberationem ita prædi xit: ut reditum in patriam ſpōderet; & dirrutæ ur bis reparationem, deſtructiq; templi inſtaurationem faciēdam indicaret. Quàm diuinus fuerit, quàm di uinorum arcanorum conſcius extiterit hic homo; quem monitorem, doctorem, ſolatorem tradidit Deus Hebræis: indicare ſatis poſſunt eius monumen ta, quæ adeo diuinis arcanis referta ſunt; adeo di uinæ ſapiētiæ theſauris locupletata: ut in ſacris He bræorum libris uix aliud quidquam monumenti in ueniri exiſtimem: quod altiorem de diuinis rebus tractatum contineat: & maiora diuinitatis, Deiq́; ipſius arcana complectatur. Sed ſicut huius diuini uatis monumenta miram, ſtupendamq́; diuinarum rerum materiam complectuntur: & mirificos con=tinent diuinæ prouidentiæ, diuinæq́; beneficentiæ ſucceſſus, atque euentus: ita multifarijs rerum ty pis, atque ſymbolis oppleta, & obſcuris uerborum inuolucris offerta ſunt: ut non ab re ueteri Hebræo rum inſtituto decretum uideatur: ne quis, qui ma turæ non foret ætatis, & ſaltem tertiam annorum decadem ætate non impleuiſſet, huiuſmodi monu=menta tam primæ, quàm extremæ partis ratione at trectaret: & tam legendo, quàm interpretando

attingeret. Hic diuinus prophetes de cœlesti Dei regno, de salute humani generis, de Christi aduentu, principatuq;, & de sacræ Ecclesiæ institutione plurima sanè uaticinando tradidit, sed inuoluta rerũ typis, & uarijs symbolis, metaphorisq; obscurata. Quatenus tamẽ ex persona Dei inuitat aues, bestiasq; terræ ad comedendam carnem, bibendumq; sanguinem magnæ, proceræq; uictimæ, quæ immolanda esset: aperto satis, & manifesto typo designat Christum nostrum seruatorem, qui instar ingentis uictimæ, pro peccatis nostris immolatus est: & instituto sacramento suam carnem in cibum, suumq; sanguinem in potum omnibus tam paruis, quàm magnis, tam rudibus, quàm perspicacibus præbuit. Qui etiam ab eodem uate indicatur tam typo pastoris, qui mittendus à Deo singularem curam ouium esset habiturus, quàm Regis, qui constituendus à Deo esset: & sublatis idolis, uanaq; Demonum superstitione solus esset regnaturus. Suam quoque Deus curam, beneuolentiamq; erga captiuam Hebræorum gentem ostendit; cum Danielem tam munere uaticinandi, quàm somnia interpretandi scientia præstantem reddidit: quò eius officio, atque opera uteretur tam in solando, commonefaciendoq;, qui Babilone captiui detinerentur, quàm in demerendo Rege Babilonio, ipsisq; captiuis conciliando. Hic nempè Daniel Dei opera cum indicasset Regi Babilonio somnium, somnijq; interpretationem edidisset: id fauoris, & existimationis sibi quæsiuit apud eum; ut non solum ipse præ-

mijs, donisq; afficeretur, sed etiam causa ipsius cæteri Hebræorum ab ipso Rege benè, commodeq; haberentur. Hoc est illud celebre somniũ statuæ; quam uaria rerum compage constructam, confictamq; Regi uisam Daniel indicauit: indicatamq; ita interpretatus est, ut lapis nulla hominis manu, atque opera ex monte sublimi abscissus, qui in statuam corruens eam non solum fregit, comminuitq;, sed etiam in tenuem puluerem redegit: Christum indicet, significetq;: qui de sublimi Dei monte descendens in terras, contriuit uaria Demonum regna, multiplicesq; dissipauit uanorũ Deorum superstitiones: quibus deletis, instarq; pulueris eleuatis sic ipsius religio, atque cultus auctus est, & excreuit: ut tanquam mons quispiam sese latè diffuderit, uniuersumq; orbem occupauerit. O' lapidem angularem, ò lapidem offendiculi. Hic est lapis ille probatus, & preciosus à Deo missus, à Deoq; destinatus in fundamentum mysticæ Sionis: cui attestante propheta, inhærere omnino oportet eum, qui credendo, fidemq; habendo sibi consulere, suæq; saluti prospicere uoluerit. O' uastum, excelsumq; montem, in quem conscẽdere uoce prophetes iubet Deus, adhortaturq; eum; qui speculando proficere, qui adorando benè mereri, qui mandata obseruando uelit sibi salutem comparare. Hic est mons sanctus ille Dei, in cuius uniuersa regione, Deo ipso apud prophetam asserente, neque Aspis cuiquam nocere, neque Regulus quenquam occidere potest: qui quidẽ mons cum omni bonorum genere pingueat, & omnigeno uir

tutis fructu fœcundus sit: meretur habere Deum habitatorem. Hic est mons, in cuius cacumine consistens Deus salutaria generi humano documéta tradidit: & in quem ascendere nos omnino oportet, si uolumus rectas Domini uias addiscere: & salutarem uiuendi semitam, siue rationem sectari. Succingamur itaque ciues, & contendamus enixè conscendere huiusmodi lætum, fœcundumq; montem: cuius quidem conscensus licet principiò uideatur instar Hesiodicæ uiæ difficilis, atque arduus: tamen extremò adeo nihil difficile, atque laboriosum continet, habetq;: ut miram uoluptatem, iucunditatemq; afferat: & plenam felicitatis quietem pariat. Venite ergo ciues, ingrediamur iter, conscendamus montem hunc; in quo conscendendo plures offeruntur commoditates quiescendi: & nihil minus uerendum est, quàm ne longè plus uoluptatis, quàm laboris ineatur: & quo conscenso denique tam procul abest, ut sensuri simus quid lassitudinis, atq; laboris, ut laboris omnis recordatio auctura sit felicitatem: & tantò maiorem quietem, uoluptatemq; allatura: quantò tolerandi, sustinendiq; maiorem prouintiam initá fuisse admonebit. Quis fuerit ex nobis adeo animi deficiens, adeo laboris impatiens, adeo pigritiæ amicus, & inertiæ; qui cum uideat uel mediocri cum labore ad tantum quietis, felicitatisq; montem huiusmodi conscendendo perueniri posse: subtrahat se, & modici laboris obiectu se deterreri patiatur: quo minus adgrediatur salutaris montis ascensum: & uiam quietis obtinendæ, feli

citatisq; consequendæ ineat? Nullus sit ex uobis obsecro ciues, qui modici, uel nullius propemodum laborisfuga, & formidine sibi ipsi desit: seq; ipsum fraudet ea quiete, ea felicitate, ea salute: quæ montis huius facili conscensu parari possit, & obtineri. Nullus sit omnino: qui tantum inertiæ, tantumq; socordiæ in se cadere patiatur, & tam segniter suæ quietis, suæq; felicitatis rationem ducat: ut prætermittat, dum superstite hac uita licet, sumere iter ad montem, montemq; ascendere: cuius ascensus tam uitæ huic quietem, tranquillitatemq; præstet: quàm alterius uitæ conditionem perpetuò felicem, & immortaliter beatam reddat. Qui lapidis, montisq; typo Christum designari, Christiq; regnum significari interpretato Regis somnio indicauit: idem Dei beneficio nouit, uaticinandoq; declarauit Christi mortem futurã: mortisq; futuræ tempora certa hebdomadum supputatione demonstrauit. O pulchrum, singularemq; uaticinandi modum: quo non solum rerum futuri euentus prædicuntur, sed tẽpora etiam, quibus res euenturæ sint, demonstrantur: & quo nõ minus nominatim quod futurum sit declaratur, quàm quibus temporũ spacijs, quibusq; operandi rationibus efficiendũ sit, explicatur. Non enim solum uaticinando prædixit Daniel uenturum cum nubibus cœli filiũ hominis: cui Deus sit daturus in omnes homines principatum & cuius potestas perpetua, & dominatio sempiterna sit futura: sed etiam Christum nominatim exprimit: quem indicato, definitoq; tempore occiden-

dum dicit esse, & à populo abnegandum: à quo uti dux, Rexq; haberi alioqui debuisset. Idem quoq; Daniel de corporea hominum resurrectione sic signanter uaticinatus est, & de resurgentiũ tum ad pœnas, tum ad beatitatem conditione sic apposite tradidit: ut non alijs propemodum uerbis de ea locutus Christus, Christiq; Apostoli comperiantur. Ea fuit in hunc Danielem Dei beneficentia, & liberalitas: ut non solum ei uirtutem uaticinandi tam exacte tribuerit, potestatemq; tradiderit ueraciter interpretandi somnia: sed etiam eum magna cum miraculi ostentatione bis liberauerit ex famelica leonũ rabie, crudeliq; immanium ferarum discerptione. Quæ sane liberatio licet priuatim in ipsum Danielem Dei miram arguat, comprobetq; beneficentiam, atque beneuolentiam: tamen publice etiam erga Hebræos Deum beneficum ostendit, & beneuolum: qui conseruato à quo plurimum iuuaretur, non potest non uideri plurimum eis consuluisse, & non potest non agnosci editis in Daniele tot miraculis, rationẽ habuisse eorum inducendorum ad cultum ueræ religionis, & ad sanctioris uitæ studium, sacrorumq; mandatorum obseruationem excitandorum, atque commouendorum. Qui se benefice, beneuoleq; habuit in Danielem Deus liberando eum à discrimine mortis, rabidaq; fame leonũ, idem non minori usus, quàm Danielis causa, miraculo, se uehementer beneuolum, beneficumq; præbuit erga tres Hebræos uiros, qui iussu Babilonij Regis, cum statuam, quam publice erexerat ex auro conflatam,

adorandamq; proposuerat, recusarent adorare: coniecti fuerant in medios ardētis fornacis ignes: à quibus Dei beneficio, Deiq; miraculo illæsi custoditi sunt, & incolumes; & Angelo Dei, Dei'ue filio comite lethales, mortiferosq; ignes euaserunt. O' stupendum Dei miraculum, ò beneuolentiam Dei eximiam, huiusmodi miraculo declaratam. Quonam enim maiori, stupendoq; magis miraculo potuisset Deus testificari suam in uiros Hebræos beneuolentiam, propensionemq; animi: quàm efficiendo ne ignes adurerent, ne oblæderent flammæ: & cœlitus demittendo Angelum, siue filium; qui in medijs ignibus se comitem præberet; & ipsam uim ignium noxiam, atque lethalem compesceret. Magnam porrò, & illustrem Dei beneuolentiam erga uiros Hebræos comprobat, attestaturq; id miraculi: dum ab ardenti fornacis igne Angelo duce, comiteq; liberati fuere: sed longè maiorem beneuolentiā, multoq; præclarius diuinæ beneficentiæ munus continet ea liberatio, quæ typo hoc designata Dei filio authore, duceq; facta est generis humani: quod cum mancipatum foret affectuum ignibus, & ardenti uitiorum fornaci iniectum opera Babilonij Regis, siue Diaboli, eductum fuit, & liberationem assecutum est Dei beneficio, Christoq; auspice, atque authore. Id diuini facinoris, quo de fornacis incendio incolumes euasere tres Hebræorum uiri, ueluti singularem erga eos, qui ab incendio liberati fuere, Dei beneuolentiam, beneficentiamq; attestatur: ita non leue, nec paruum fert testimonium diuinæ in ge-

nus Hebræorum propensionis, & beneficẽtiæ: dum huiusmodi facinoris, siue miraculi conditione potuerunt Hebræi commoueri ad habendam exactius rationem eius, cuius uirtute constaret id miraculi proditum: & sua summa cum utilitate, atque salute induci ad cultum ueræ religionis, diuinæq; legis obseruantiam. Quem enim non debuit commouere ad studium ueræ religionis, obseruantiãq; ueri Dei, & à cultu idolorum, uanáq; Demonum superstitione auertere id tanti miraculi? quod constaret editum ab ipso Deo in eis seruandis, tuendisq;: qui propter ipsius cultum, obseruantiamq; recusassent obtemperare Regi, regiumq; idolum adorare? Nimio quidem stupore laborasset, nimis attonitus animo fuisset, quicunque non siuisset se commoueri ad cultum eius, & adoratum: à quo uidisset tanto rei miraculo conseruatos, qui eum ipsum colendum sibi, adorandumq; proposuissent: & contemptis idolis, uanoq; Demonum cultu neglecto, Regis impij edicto non paruissent. Hinc agnoscite, hinc animaduertite ciues, quàm nihil rei, nihil occasionis pro sua benignitate, suoq; benefaciẽdi studio prætermiserit Deus: quò in salutari ueræ religionis cultu contineret Hebræos, & ab impia Demonum, perniitiosáq; idolorum superstitione auerteret, atque abalienaret. Instituit prophetas, diuinos homines destinauit; à quibus admonerentur, excitarentur, & tam uerbis, quàm factis commouerentur. Minas acres adhibuit, res aduersas immisit, clades, uastitatesq; intulit; quò deterrerẽtur, quò resipiscerẽt, quò

ſanarentur, & ad pœnitentiā adducerētur. Futura, euenturaq́; prædixit; prædicta executus eſt. Oſtenta, miraculaq́; edidit; quò teſtimonium ueræ religionis illuſtrius haberent: maioremq́; diuinæ poteſtatis agnitionem acciperent: & omnem de rei ueritate dubitandi anſam, occaſionemq́; amitterent. O' exactam Dei curam, ò diligentiam omnibus numeris abſolutam: qua uſus pro ſua bonitate, & benignitate cōperitur Deus erga Hebræos: dum ſtudio benefaciendi eis, & conſulendi nihil omiſit, quod pertinere aliquo pacto poſſet ad eos iuuandos, curādos, ſanandos. Nec poſt Danielem deſtitit pro ſua immenſa beneuolentia alios excitare prophetas: à quibus tam factis, quàm uerbis inſtruerentur, admonerentur, iuuarentur. Appetente enim iam tēpore, quo iugo captiuitatis eos exoluturus erat, & in libertatem reſtituturus: trium officio, oraculoq́; prophetarum inſtruendos, inuitandos, commonendos procurauit. Quorum quidem prophetarum Aggeus ſic futuram ex Babilonica captiuitate liberationem prædixit: ſic templi inſtaurationem, diuinæq́; domus conſtructionem enuntiauit: ut quæ uaticinando protulit, conuenire propemodum magis uideantur liberationi indicandæ, quæ Chriſti aduentu, atque opera generi humano allata eſt: & conſtructioni Eccleſiæ ſignificandæ; quæ Chriſto Ieſu, qui conuerſionis magiſter eſt, myſticæq́; translationis princeps, duce, authoreq́; conſtructa eſt, atque ædificata. Quis enim non intelligat apertè de Chriſto ſenſiſſe prophetam: dum ex uerbis Dei refert, bre

ui futurum, ut commoueatur cœlum, terra, mare, & ueniat optatus, desideratusq; cunctis gentibus? quis æquè non agnoscat uerba prophetæ, quibus ex persona Dei futurum profert, ut domus ædificanda summa gloria impleatur, & quæ domus postremò sit ædificanda, longè maiorem gloriam consequatur, quàm quæ primò fuerit ædificata: designare potius Ecclesiam Christi; quæ omni genere laudis, & gloria referta est; quàm templum aliquod lapideum, quod ab Hebræis constructum fuerit, atque fabricatum. Ex tribus prephetis fuit et Zacharias, qui Dei nomine tantum felicitatis, & fortunæ, tantam rerum secundarum copiam Hæbreis denunciauit, atque spopondit; ut supra, quàm dici possit, indicet, ostendatq; ingentem Dei erga eos curam, & beneuolentiam extitisse: quibus quidem promissis, rerumq; secundarum sponsionibus, si ea, quæ prospera contigerunt Hebræis ante Christi aduentum duntaxat recenseantur: tantum abest, ut uideri possit successu esse satisfactum: ut magna ex parte inanes, irritæq; deprehendantur: quæ sanè Christi aduentu, Christiq; opera sic impletæ, sic executioni mandatæ comperiuntur: ut ne minimum quidem hilum habeãt, contineantq;: cuius respectu sortitæ non sint effectum, & rei implementum non obtinuerint.
Mira fuit diuini huius hominis uaticinandi ratio. ab hoc diuino homine insigniter, & admodum mirabiliter beneuolentiæ diuinæ, ac beneficentiæ in hominem declarata est conditio: qui sic apertè Christũ, Christiq; salutarem humano generi aduentum futu

rum protulit; sic Christi uitam, actiones, & beneficia, quæ foret gentibus allaturus, expressit: ut non futura uaticinari, sed quæ præsens prospexisset recensere uideatur. O mirum uaticinium: ò prædictionem ad uiuum, uerumq; futuræ rei mirificè expressam. Quonam enim modo quidquam uaticinando clarius ostendi, quonam pacto res ipsa sigillantius prædici, enuntiariq; posset? quàm quo diuinus hic uates enuntiauit, uaticinatusq; est de Christo seruatore nostro: dum prodidit futurum, ut Rex iustus, & seruator adueniret: qui pauper conscenderet asinam, pulloq; asinæ insideret, & pacem proferret gentibus: suamq; potestatem extenderet, diffunderetq; per omnes, tam maris, quàm terræ regiones: & qui sanguine suo liberaret nexos de lacu miseriæ, & de fœce peccati. Hic idem prophetes triginta aureorum, quorum precio uenundatus est Christus, sic meminit; ut ne quidem subticeat eos esse proiectos in templum, domumq; Dei: & complura alia uaticinando attingit: quæ tũ sacri lauacri expiationem respiciant; tum in Christi morte, Christoq; ipsi contigisse inueniantur. Tertius prophetarum, qui successerunt Danieli fuit Malachias, qui Dei spiritu perfusus tam reprehendendo maximè sacerdotes aduersa minatur, quàm hortando ad cultum pietatis, studiumq; religionis prospera promittit. Hic uates inclitus diuino actus numine: dum sacerdotes Hebræorum increpat; & indignationem Dei in eos comminatur: sacrorum in Christi Ecclesia futuram institutionem commendat summopere,

eamq; Deo gratam, & acceptam fore denuntiat: qui etiam de Christo plurima uaticinatus est: quæ tum eius primum aduentum, tum secundum respiciunt. Quatenus enim ad primum Christi aduentum pertinet, eum dicit futurum, cum quo Deus de pace, & uita paciscatur: & cui lex ueritatis ita sit amica, peculiarisq;: ut ei nihil iniquitatis, aut mendacij adfuturum sit: eum æquè prædicat in pacis, atq; æquitatis ratione unà cum Deo ambulaturum, & missum à Deo, qui uerum religionis cultum doceat, & salutarem uiuēdi legem tradat: auersurum esse plurimos ab iniquitate: & latè dominaturum in regionibus. Quantum uerò attinet ad secundum Christi aduentum, eum memorat præmisso Helia uenturū horribili, tremendoq; aspectu, & iudicem consessurum, instarq; ignis, fulloniæq; herbæ emundaturū, quidquid uel scoriæ argento, auroq;, uel labis indumento, amictuiq; adhæreat. Vix pro sua Deus in Hebræos propensione, beneuolaq; cura tres huiusmodi prophetas legarat: à quibus tam monitis, correptionibusq; iuuarentur: quàm uaticinijs deterrerentur ab impiè agendo, & ad cultum uirtutis, studiumq; pietatis commouerentur: quod excogitauit anno septies decimo captiuitatis iam agente rationem, qua eos liberaret captiuitate: & in patrios lares, atque focos ita restitueret: ut commoditatem, facultatemq; haberent tam regiæ urbis instaurandæ, q àm templi construendi, atque reædificandi. Iam enim tantum temporis in seruitute trāsegerant Hebræi: ut si qui forte fuissent; qui pro longa, in-

ueteratáq; praue agẽdi conſuetudine correctionem non admiſiſſent, uideri poſſent iam extincti; & iam qui ſupereſſent, uel pœnitentia ſatis expiati, uel in cultu Dei, ueráq; religione abunde educati eru ditíq; eſſent. Itaque Deus ſatis aduerſis rebus, ſeruitutiſq; iugo profectum eſſe in Hebræis animaduertens; & iam Hebræum populum abunde cernens ab impietate expiatum, ad melioriſq; uitæ rationem redactum: miram eius ex ſeruitute eruẽdi uiam, ra tionemq; adinuenit: qua non ſolum ſuam erga eũ ſingularem beneuolentiam, curamq; oſtenderet, ſed etiam ſuam inſignem uim, poteſtatemq; tam ei, quam cæteris uulgo mortalibus notã, manifeſtamq; faceret. Cum enim Cyrus Perſarum Rex Babiloniis imperaret, & Caldæum regnum obtineret: eo animi, atque ſententiæ adductus eſt Dei monitu, at que excitatione: ut palam, quacunque ſui proten debat iura imperii, proponeret edictum: quo non ſolum liberam Iudæis, Iſraelitiſq; facultatem in ſua reuertendi, templumq; Dei, dirrutamq; urbem inſtaurandi tribuebat: ſed omnibus etiam ſibi ſubiectis tributum indicebat exoluendum templi Hieroſo limis conſtruẽdi cauſa: quod ſibi Deus mandaſſet, cõmiſiſſetq; conſtruendũ, atq; ædificandum. O miram Dei poteſtatem. o exactum diuinæ prouidentiæ ordi nẽ. O ſingularẽ in Hebræos Dei propenſionem, & be neficentiam. Quantum fuit id poteſtatis, quam exer cuit, oſtenditq; Deus: cum Regem alioqui moribus barbarum, & ab omni ueræ religionis cultu alienũ prorſus, & abhorrentem induxit ad habendam hu

manitatis, & beneficentiæ rationem; & ad procurã dum, ut templum, in quo ueræ religionis cultus iniretur, tam suis, quàm subiectorum suorum impensis construeretur. Quantum fuit id prouidentiæ diuinæ; ut qui sua impietate, suaq; colendorum idolorum pertinatia meruissent patria, laribusq; sibi diuino beneficio concessis priuari, & iure, possessioneq; diuini templi expoliari: simulatq; reuertissent ad cultum pietatis, ueræq; religionis obseruantiam, recuperarent, quam causa impietatis amiserant, patriam; & restituerentur in ius, possessionemq; templi, quo priuati fuerant, dum superstitione pollũti, idolis seruirent. Nec à prouidentiæ ratione alienum fuit, ut quorum opera templi diuini destructio facta fuisset, & quorum utilitati, emolumentoùe templi ipsius dirreptio cessisset: eorum saltem successores, siue hæredes, si non ipsi, essent, qui templũ curarent construendum: & conferrent quidquid rei, atque expensæ pro templo ipso restituendo foret necessarium. Quantum beneuolentiæ fuerit, quod ostenderit Deus erga Hebræos, dum tam mira Cyri Regis excitatione, tamq; stupenda rei, factiq; ratione studuit eis consulere tam causa patriæ recuperandæ, quàm iurium, de quibus exciderant, recipiendorum ratione: nemo est, qui non possit, si modò quid discernat, abundè cognoscere. Quantum præterea extiterit id beneficentiæ, quam exercuerit Deus, quantum fuerit id beneficij quod contulerit in Hebræos, dum eos captiuitate, qua miserabiliter detinebantur, & seruitute, qua grauiter preme-

bantur, liberauit: & in patriam, patriosq; lares, quibus tam diu captiui caruerant, restituit: satis quisque potest, ni fallor, animaduertere, qui diligēter excutiat, quanti sit libertatis conditio, & patriæ, paternorumq; bonorum recuperatio. Sed huiusmodi diuinæ in Hebræos beneficentiæ plurimum adijcietur, multumq; cumuli addetur, si consideretur quantò meliores Dei beneficio in patriam sint restituti Hebræi, quàm fuissent, cum patria eiecti in seruitutem redacti fuerunt. Quando patria eiecti fuere, redactiq; in seruitutem: enormiter laborabant impietate, & omni uitiorum, atque flagitiorum genere infecti erant. Dei beneficio, atque cura effectum est denique: ut non solum restituerentur in patriam, sed restituerentur etiam meliores effecti tam impietate dimissa, quàm uitijs, flagitijsq; magna ex parte expiatis. Hæc Hebræorum ex Babilonis seruitute liberatio, prout eius opera, beneficioq; successit, cuius opera, atque beneficio successisse ex Aegypto liberationem constitit: ita hæc ex Babilone liberatio non minus quàm illa ex Aegypto, potest tam morali sensu, quàm mystico interpretari: ut non secus sentiatur de Babilone, quàm de Aegypto: quatenus pertinet uel ad symbolum uitiorum, uel ad typum seruitutis ex primi hominis peccato deductæ: quam Christi beneficio nostris ceruicibus excussam cum iam patuerit satis, dum de seruitute Aegypti ageretur: hic amplius quidquam repetendum non arbitror; ne quod semel explicatum fuit, rursum repetendo uidear tempus ultrò cō

terere, & studio dicendi segnius ad rei propositæ metam proficisci. Interea tamen duco uos admonendos, non minus fieri Dei beneficio, ut seruitute Babilonis, siue uitij exoluamur, quàm ut in pace nostrorum animorum construatur Dei domus, atque habitatio: cuius construendæ, siue ædificandæ cum Christus nobis sit dux, authorq;: quàm aptè, conuenienterq; ipse referatur typo tam ducis, quàm maximi sacerdotis: quorum auspicijs templi diuini Hierosolimis facta constructio est ab Hebræis: unusquisque facilè poterit perspicere, qui nomina nominibus contulerit: & tam ducis, quàm sacerdotis interpretatis nominibus considerarit, quàm Christus generi humano præstiterit, quidquid eis interpretatis nominibus contineatur. Cum iam Dei beneficio Hebræi seruitute Babilonis liberati in patriam concessissent: & templo Dei Hierosolimis construendo studijs ardentibus incumberent: eorum cœpta conati sunt finitimi gentium duces impedire: quibus adeo nihil pro Dei in Hebræos studio, propensioneq; successit, quod improbe, inuideq; molirentur: ut inducti sint denique succurrere: opitulariq; ipsis Hebræis, tam sacrificandi, quàm construendi templi causa. O miram Dei beneficentiam, o pulchrum, speciosumq; historici symboli sensum. Qui pro sua benignitate, beneuolaq; uoluntate liberauerat à seruitute; & patriam adire, templumq; ædificare concesserat: idem non solum, quidquid negocij facesseretur, impedimentiq; obijceretur arcuit, reiecitq;: sed etiam unde impedimentum afferebatur, inde

opem

opem, adiuuamentumq́; protulit: atque eduxit. Sicut Dei beneficio historici sensus habita ratione, constat effectũ; ut finitimi, qui Hebræis molirentur impedimentũ, ne construerent templũ, inducerentur ad ferendam pro eo construendo opem: ita eiusdem Dei auspicio, atque gratia consit, ut quod impedimenti homini, à iugo peccati, seruituteq́; uitiorum liberato, obijcitur ab eis affectibus, qui finitimi sunt, animisq́; cohærent, & prætextu affinitatis, atque amicitiæ solent tendere ad profectum uirtutum, templiq́; diuini ædificationem impediendam: non solum non prohibeat, obstetq́;, quo minus ædificetur templum, & ad perfectionem uirtutis perueniatur: sed etiam conuertatur, atque mutetur in meriti, uirtutisq́; augumentum. O stupendam Dei, diuinæq́; gratiæ conditionem, & uirtutem. Qui alioqui uergere solent affectus, affectuumq́; aculei ad impediendum uirtutum profectum: sic Dei gratia, & beneficio non solum prohibẽtur quo minus uirtuti parandæ obsint, sed etiam sic refrænantur, sic componuntur, ut prosint, conducãtq́; tam uirtuti augendæ, quàm perfectioni comparandæ. Quò fit, ut mirum uideri non debeat; si cum Tarsensis gentium institutor stimulo cupidinis uehementer angeretur, & eo prorsus liberari se summo desiderio efflagitaret à Deo: responsum accepit; quo sit declaratum, Dei gratiam homini perficiendo sufficere; & motus, stimulosq́; id genus affectuũ uirtute diuinæ gratiæ conducere maiori uirtuti quærendæ, perfectioriq́; uitæ rationi constitu-

endæ. Constructo templo Hebræi mœnia regiæ urbis ædificare adgressi sic beneficum, sicq; propitium Deum habuere; ut ipsius suasu, operaq; inductus Artaxerses Rex non modo tributa eorum ædificandorum causa subiectis indiceret, sed etiam ex fisco suo, suoq; ærario mandaret ingentem pecuniarum summam erogari. Quin cum uicini, finitimiq; populi tam Samaritani, quàm Arabes mœnia attolli, urbemq; muris sepiri ægreferrent; & molirentur construendis mœnibus incumbentes opprimere; & armis, insidijsq; à cœptis deterrere: adeo nihil, quod tentarent, potuerunt perficere, adeo conatus omnes irritos, inanesq; experti sunt: ut apertè intelligerent à se frustra tentari, quod prohiberet Deus; & temerè arma, insidiasq; contra eos intendi: quorum rebus sic Deus faueret, ut nullam proficiendi eis, atque consulendi occasionem prætermitteret. Ò tutam nimis, atque securam hominum sortem: quibus accidit Deũ habere fautorẽ, opitulatoremq;: qui licet pro sua bonitate, genuinaq; benefaciendi omnibus promptitudine sese beneficum erga omnes præbeat, & liberalem: tamen peculiari quodam affectu, & præcipua quadam beneficentia uti solet summa cum ratione iustitiæ erga eos, quos ipse noscat non futuros ingratos, nec situros in se frustra beneficentiam exerceri, peculiaremq; fauorem impendi. quos enim nouit à se alienos, & tales, qui si peculiari etiam fauore afficerentur, præcipuáque beneficentia prouocarentur, nihilo magis sint commouendi, sed in sua peruersitate persisten-

tes, tam non agnituri beneficentiam, tamq; fauoris rationem non habituri sint: ut deteriores sint euasuri, maioremq; noxæ grauitatem contracturi: hi nimirum sunt, in quos se peculiariter beneficum, studiosumq; non præbet, præstatq; Deus: quoniam pro sua bonitate, suoq; proficiendi homini studio non patitur; ut agat quidquam, quod hominis saluti queat esse detrimento; aut deteriorem ipsius hominis conditionem efficere. Nihil agit pro sua in hominem propensione Deus, nihil pro suæ immensæ bonitatis conditione efficit; quod boni aliquid non afferat homini: & quod, quatenus fieri potest, non conducat, prositq; indemnitati hominis, atque saluti. Licet pro ignoratione nostra, atque inscitia nobis uideatur aliquando aliquid Deo authore accidere; quod minus utile, atque salutare uideatur homini: tamen si liceat exactè diuinæ prouidentiæ rationem percipere; & ueram boni, utilisq; speciem, naturamq; apprehendere: tantum abest, ut quidquam mali, noxijq; reperiatur contingere homini Dei opera: ut nihil nisi bonum, nisi utile, nisi salutare ex Deo in hominem prodire posse, simus agnituri, & intellecturi omnino nihil mali, nisi ex se ipso homini inferri: & ne id inferatur, & cum illatum est, ne saluti noceat: quatenus pro iustitiæ, liberiq; arbitrij ratione fieri potest, à Deo summopere procurari. Hebræi itaque peculiariter fautorem, opitulatoremq; Deum habentes, quidquid conabantur, ex uoto efficiebant: & non solum contra infestantes finitimos se tuebantur, sed terrori eis etiã

erãt, & formidini: cum undiq; tã ex Caldæa, quàm ex alijs regionibus, ubi extorres fuerãt, confluerent cateruatim, & sua repeterent: quibus repetendis tam propitios, tamq; indulgentes habuere Dei beneficio Reges Cyrum, Darium, Xersem, cæterosq;: ut non modò quæ tenerentur occupata à subiectis curarent eis restituenda: sed etiam quidquid tam ex templi dirreptione, quàm ex urbis populatione ad manus suas peruenerat, restituerent, & facta restitutione, multa preciosa dona, plurimaq; ingentia munera offerrent, atque largirentur. Quò factum est ut rebus tam sacris, ad cultumq; Dei, & templi decorem spectantibus, quàm profanis, domesticisq; benè, feliciterq; compositis summa pace fruerentur, & in magna rerum omnium ubertate degerent. Cõsecuti sunt etiam Dei beneficio tam duces, quàm sacerdotes integritate uitæ nõ minus, quàm pietate, religioneq; præstantes. inter quos fuit ille diuinus literator, & scriba Hesdras: quem nescio uaticinandi uirtute præstantiorem cẽseri oporteat, an studio legis, sacræq; literaturæ scientia eminentiorem. Huius Hesdræ opera maximè usus est Deus in instruẽdis, erudiendisq; Hebræis tam in cultu ueræ religionis, quàm in morum, uirtutumq; studio, atque ratione. qui quidem Hesdras ope diuina suffultus adeo monendo, concionando, scribendo, uaticinando diligentem, utilemq; operam nauatus est: ut maximè uideri possit cultum religionis auxisse: & triplicis legis scientiam, atq; obseruantiam mirum in modũ prouexisse. Sed hic

diuinus homo ſuo ſtudio, ſuaq́; diligentia non ſolum eis, quos uiuens iuuare, erudireq́; ſtudebat, profecit: ſed etiam omni tum Hebræorum, tum cæterorum poſteritati rem ualdè utilem, conducentemq́; fecit: dum quæ legum, præceptorumq́; monumenta, & diuinorum hominum ſcripta, geſtaq́; Babilonica captiuitate penè interierant, ſua cura, & diligentia reſtituit, inſtaurauitq́; ita: ut ea æternæ memoriæ conſecrarit; & poſteritati legenda, & addiſcenda conſeruarit. Qui etiam Dei monitu, atque iuſſu literis tradidit, ſcriptisq́; mandauit ſecretiorem illam legis, & religionis traditionem: quam unà cum uulgari lege à Deo Moſes acceptam iuſſus eſt duntaxat ſenioribus, ſapientioribusq́; Hebræorum, qui numero ſeptuaginta forent, detegere ita, ut ipſi ſeriatim aperirent eis, quos ſibi ſcirent in munere ſucceſſuros. Hanc igitur ſcientiam receptionis ordine traditam, nulloq́; ex ſcriptorum genere expreſſam diuinus hic ſcriba, ne fortè diuturna captiuitate, longaq́; exilij peregrinatione ſuccedente accideret id arcanæ ſcientiæ, diuinæq́; traditionis, intercepta ſeriatim tradendi occaſione exolere, interireue: conſenſu, iuſſuq́; Dei mandandam ſcriptis, literarumq́; monumentis tradendam procurauit: eamq́; in ſeptuaginta uolumina diſtinctam, prout ſeptuaginta ſapientum notitia conſtabat: ſumma diligentia, ſtudioq́; redegit ſic tamen: ut ea diuino monitu uolumina decerneret ſolum populi Hebræi ſapientibus legenda, & attrectāda: in quibus cum Dei aſſertione contineretur uena intellectus, fons

sapientiæ, scientiæq; flumen: uideri nefas poterat, ut ad uulgi inertis, atque profani notitiam huiusmodi rerum mysteria peruenirent: & tam cũ summo diuinarum rerum dedecore, quàm cum ipsius uulgi legentis, nec rectè percipientis offendiculo prostituerentur propemodum, atque diuulgarentur. Hæc sanè uolumina, si modò temporum uitio, hominum'ue incuria non interierint, prout interijsse non est existimandum: si fidẽ adhibeamus eis, qui se uidisse, lectitasseq; recens asseruere: opto summopere, atque desidero ad manus nostras aliquando peruenire: quæ quidem si ratio tum sapientiæ, tum senioris ætatis non prohiberet à nobis legi, attrectariq;; sperandum omnino foret nobis plurimum collatura ad exprimẽdam diuinæ in nos beneficentiæ rationem, & ad tractandam, comprobandamq; illustrius, de qua nunc agitur, materiam. Plurima ibi credendum est contineri de natura Dei, de conditione hominis, de Dei in hominem, hominisq; in Deum propensione. Nihil ibi prætermitti arbitrandum est, quod salutis humanæ rationem, quod Christi seruatoris nostri conditionem indicare possit, atque demonstrare. nec pauca ibidem explicari censuerim: quæ consilij diuini, diuinæq; prouidentiæ seriem in moderandis tam rebus diuinis, quàm humanis uersantem respiciant. & eam, quatenus cõditio intellectus humani percipi sinat, offerant percipiendam, atque intelligendam. Sed quæ monumentis Hesdræ publicè, uulgoq; leguntur uisa ipsius, & uaticinia continentia: non eti=

am carent eiusmodi rerum farragine: quandoquidem plurima reperiuntur Dei, Vrielisq; opera declarata, indicata'ue mysteria: quæ tam ad rationem diuinæ prouidentiæ, quàm ad Christi, salutisq; humanæ beneficium pertineant indicandum, atque ostendendum. Licet etiam quæcunque diuini consilij, prouidentiæq; diuinæ rationem respiciunt, ostenduntq;: undique ingentem comprobent Dei in ipsum hominem beneuolentiam, atque beneficentiam: tamen ne singula quæque attingendo maiorem, quàm deceat pro loci, temporisq; conditione, rerum cumulum cõficiam, prosequar duntaxat, quæ ad Christi beneficium, nostræq; salutis donum indicandum, ostendendumq; pertinere uidebuntur. Diuinus itaque uates ex patris persona Deum sibi loquentem ita inducit: ut dicat se reuelaturum filium suum Iesum Christum: qui simulac sit mortuus, non sit solum excitandus, sed reliquis etiam hominibus excitatis futurus sit iudex: qui ex meritis quenque uel præmio afficiat, uel pœna. Idem quoque inducit ex persona filij Deum mira uoce, atque sonitu sibi attestantem, iam tempus appetere: quo terræ incolas uisitaturus sit, & eis librum uitæ, ac salutis aperturus, atque explicaturus. Nec minus somnium leonis redarguẽtis aquilam Vrielis opera interpretatum apertè indicat seruatorem nostrum, qui fortiter, animoseq; in uitia inuehatur, & sui sermonis forti, efficaciq; uirtute conuincat erroris, quicunque uel potestate imperandi, uel perspicatia intelligendi sese efferant,

extollantq́;. Quin id uisi, quo apparuit uento ex mari exurgente conualescere homo: qui nõ minus uultu, & aspectu commoueret omnia, quàm uoce, sermoneq́; quosque audientes igne succẽderet: & in quem monti, quem sibi sculpserat, insistentem, cum multitudo hominum conspirasset, adeo nihil detrimenti inferri posset: ut ipse flatu igneo ex ore emisso sibi aduersantes perderet: & multitudinem aliorum hominum ad se acciret, sibiq́; conciliaret: adeo claram, illustremq́; nostri seruatoris Christi significationem cõtinet; adeo res Christi tam in debellandis, expugnandisq́; aduersarijs, quàm in conciliandis amicis gestas apertè, exacteq́; præsefert: ut etiam si diuina interpretatione non foret ita declaratum, atq; explicatum, ut nulli possit esse dubium de Christo esse intelligendum: nihilominus constare posset, & abundè apparere de quoquam alio, quàm de seruatore nostro non esse interpretandum. Quicunq; uerò interpretatione uisi istius animaduersa hæsitaret præterea, & non agnosceret eum, qui sit ab altissimo multis ante temporibus destinatus, qui liberaret genus humanum: & quæ uideri poterant gentes ope diuina destitutæ, redigeret ad cultum ueræ religionis, & ad salutis æternæ habendam rationem; esse Christũ, esse Dei filium seruatorem, uindicemq́; nostrum: is omnino iudicandus esset omni leberide cæcior, & in tenebris cimerijs assiduè existimandus obuersari. Quàm creditis ciues Dei fuisse beneuolentiam in hunc Hesdram: cui tot sui consilij, suæq́; prouidentiæ arca=

na detexerit, totq; reuelauerit mysteria de mittendo in terras filio, & de salute, missi filij opera, generi humano afferenda? Quantum censetis id beneficentiæ fuisse, qua sit usus Deus erga hunc eundem: quem non solum rerum humanarum scientia, magniq; sacerdotij dignitate donauit, decorauitq;: sed etiam illustri rerum diuinarum notitia, miraq; uaticinandi facultate præstantem reddidit, atque excellentem? Sed cum finis ratio præstet, præpolleatq; omnibus, quæ ad ipsum finem spectent, atque dirigantur: quàm se beneuolum, quàm se beneficum præstitisse erga Hebræos existimandus est Deus, qui dederit, concesseritq; eis huiusmodi hominem; cuius opera, officioq; ipsi iuuarentur, instruerenturq; tam in eis; quæ ad benè, beateq; uiuendi rationem pertinerent; quàm in illis, quæ nõ magis istius uitæ, quàm futuræ alterius quietem, felicitatemq; respicerent? O' diuinæ in Hebræos beneuolentiæ, beneficentiæq; excellentem declarationem: dum tantum contulit uirtutis, & præstantiæ homini: quò eis consuleretur: quoq; eorum rebus, atque saluti prospiceretur. Quos seruitute exoluerat Babilonica: quos in patriæ, bonorumq; possessionem restituerat: & quos rerum secundo, prosperoq; successu maximè bearat, tranquillaratq;: eosdem, quò præcepta obseruando, ueræq; religionis cultum custodiendo, se non solum tuerentur in ea, in qua essent uiuendi quiete, & securitate: sed etiam sibi aditum pararent ad longè maiorem uiuendi securitatem, felicitatemq; obtinendam: procura

uit exactè instruendos, singillatimq; omnium admonendos quæ agi oporteret tã in cauendis peccatis, quàm in tuendo, custodiendoq; ueræ religionis cultu. Hunc enim Hesdram eis tradidit, non minus cõcionandi, uaticinandiq; peritum, quàm scribendi diligentem, docendiq; scientia præstantem: à quo rectè, religioseq; uiuendi documenta acciperent; & studium probitatis, religionisq; cultum tam uoce prædicatum, quàm scriptis, monumentisq; traditum addiscerent. Dei itaq; beneficio liberati captiuitate Hebræi sic iam publicas, priuatasq; res feliciter administrarant: ut uideri possent summa in rerum felicitate constituti: & nulla re indigere, qua ualeret lætior, tranquilliorq; fieri ratio uiuendi: cum rerum prospero successu elati, & secundis rebus insolentes effecti cœperunt ab eo, quem præscripserat, ostenderatq; diuinus Hesdras, uirtutis, sanctitatis, religionisq; tramite decedere & in uiam impietatis, ac uitiorum declinare. Qui poterant saltem, si non etiam ex suæ fortunæ conditione, addiscere ex maiorum suorum exemplo; quàm non expediret pro secundis rebus tuendis, conseruandaq; libertate uiuẽdi, atque securitate relinquere studium uirtutis, atq; sanctitatis, & à cultu Dei, diuinorumq; mandatorum obseruatione deficere, nihil magis prudentiores, cautioresq; effecti, eò impotentiæ peruenerunt; ut parum abesset, quin omnem peccandi uiam ingrederentur: & sese omni cura tam uirtutis, quàm religionis exuerent. O improbam, ingratamq; gentem: in quam tot beneficia conferre, totq; beneficijs

ſe beneuolum, beneficumq́; præſtare nequiuit Deus: quin ipſa ſe conſtitueret maioris ſemper ingratitudi nis ream: & tantò magis beneficiorum obliuiſcere= tur, quantò pluribus eſſet affecta beneficijs. Cuius etiam ea fuit pertinatia in delinquendo; ut uix cu= rata clade, quam cauſa delictorum incurriſſet, mo liretur committere, quorum cauſa rurſum clade affi ceretur. Cum primum Dei beneficio cladibus erepti, & ſecundis rebus reſtituti erant Hebræi, obliti tam priſtinæ fortunæ, quàm beneficij accepti: Deum, Deiq́; religionem, cuius maximè rebus in aduerſis meminiſſent, relinquebant: & tradentes obliuioni nihil minus curabant, quàm quidquam operari, at que præſtare; cuius cauſa uideri poſſent uelle Deo placere, aut de religione benè mereri. Quare pro ſuo Deus in eos ſtudio, ſuáq; eis benefaciendi, con= ſulendiq́; cura non deſtitit remedia adhibere: & pro ratione noxæ, neceſſitatiſq; rebus aduerſis excitare ad pœnitentiam, & prouocare ad ſtudium pietatis, religioniſq; obſeruantiam. Ea enim Dei eſt in iuſti= tiæ exercendæ examine, & in conſulendi, proſpi= ciendiq́; generi hominum ratione, prouidentia, re ctitudoq́;: ut nihil amplius ſinat aduerſi continge= re, quàm quod ſciat tam reſponſurum noxæ condi tioni, quàm ſuffecturum bono alicui inducendo, re medioq́; uitijs adhibendo. Quod ſanè licet anima= duerti in cauſa Hebræorum, qui pro conditione no= xæ, & pro ratione opportuni remedij rebus aduer= ſis afficiebantur, & cladibus occupabantur. Cum enim ſtudium religionis remitterent, & uitijs ita la

borarent; ut tamen uniuersam delinquendi, maleq; agendi rationem non inirent: leni remedio, & pro conditione morbi congruo, appositoq; interpellati sunt ad habendam rationem recuperandæ sanitatis, & dimittendorum, quibus detinerentur, uitiorũ. Quapropter ex libertate, quam consecuti iam fuerant, deciderant in potestatem Macedonis Alexandri: qui cum deditione facta urbem ingressus esset, temperauit à direptione, & nihil uastitatis intulit: sed contentus eorũ subiectione uectigales eos sibi cõstituit, atque tributarios: qui defuncto Alexandro cum nihil melius mererentur de Deo, quàm de hominibus; digna pœna noxam prosequente, & apto medicamine morbum comitante durius ab Agyptio Rege sunt habiti: cuius non solum grauem, damnosamq; dominationem sunt experti: sed etiam magna ex parte in Aegyptum fuerunt deducti: qua captiuitate, cum pœnitentia acti resipuissent aliquantum: Deus pro sua benignitate, & beneficentia eos liberauit: dum Philadelphum, qui Lagidæ in regno successerat; sic eis conciliauit, amicauitq;: ut non solum in patriam liberi dimissi sint, sed etiam plurimum gratiæ, fauorisq; apud eum contraxerint: & non minus preciosa ab eo munera acceperint, quæ templo offerrent, quàm benignè, amiceq; rogati suorum monumentorum copiam fecerint: dederintq;, qui ea fideliter interpretarentur. Recuperata itaq; Hebræi tam libertate, quàm patria cum Dei beneficio abuterentur; et quẽ gratitudine demereri debuerant, iniurijs, offensisq; grauiter prouocarent non

solum uitijs incumbentes, sed etiam nihil impium, sacrilegumq́; intentatum relinquentes: mox euenit, ut tam libertate, quàm facultatibus ab Antiocho Syriæ, Aegyptiq́; Rege expoliarentur; & non minus direpta, deuastataq́; urbe, quàm sacris ipsis uiolatis, atque profanatis coacti sint asperam, difficilemq́; seruitutem subire. possessione itaq; tam arcis regiæ, quàm templi diuini exturbati ab Antiocho acceperunt nouas uiuendi leges: & ablatis, abrogatisq́;, quibus eatenus uixerant, usiq́; fuerant, legibus, redacti sunt in unum cum Syrijs, Aegyptijsq́; uiuendi ritum: & easdem cum eis tam morum, quàm religionis causa leges obseruare iussi sunt. Qui alioqui sua sponte soliti fuerant relictis Dei legibus in leges gentium concedere: & cultu ueræ religionis contempto obseruanda idola, colendosq́; Demones suscipere: non ægre tulisse forent existimandi huiusmodi suarum legum factam abrogationem, & Dei ueri colendi ritus ademptos: nisi complurium exemplo probaretur eos adeo grauiter tulisse suarũ legum obseruandarum facultatem sibi ablatam, ritusq́; colendi Dei suis à maioribus præscriptos sibi interdictos: ut non solum fuerint, qui huius rei causa uehementer indoluerint; sed etiam reperti sint, qui maluerint mortem oppetere, quàm externas leges obseruare. Quin extiterunt etiam non nulli, qui sumptis animis, & correptis armis restiterunt hostili uiolentiæ; & pugnando acriter, se, suasq́; leges seruauerunt: & quæ religionis instituta semel Dei traditione obtinuerant, custodierunt. Qui sanè hac

in re Deum sic propitium, adeoq; fauentem experti sunt: ut pauci admodum ope diuina suffulti contra plurimos obtinuerint ingentes uictorias, & beneficio Dei præclara trophæa de hostibus reportarint. Qui dubitaret, quantum potestatis exerceat Deus; & quantum studij, curæq; impendat tuendi eos, pro tegendiq; causa, quos nouerit pietatis studio agi, & ex fide auxilium implorare: satis, abundeq; posset agnoscere ex uictorijs, quas Iudas dux parua Hebræorum manu Dei beneficio consecutus est: qui non solum Apollonium Samaritam unà cum exercitu, quem uarijs ex gentibus collegerat, uicit, profligauitq;: sed etiam Seronem Syriaci exercitus principem, & tres duces à Lysia iussu Regis numeroso cũ exercitu missos fugauit, superauitq; ita: ut non minus inde prædæ, quàm gloriæ retulerit: & non magis hostium animos debilitarit, quàm suorum confirmarit. Tot sunt uictoriæ, quas Dei munere consecuti sunt Hebræi duce Iuda tam contra Syrios, Antiochiq; duces, quàm contra finitimos quosq; populos: ut mirum creditu, difficileq; uideri posset, tam pauco hominum numero tot numerosos exercitus potuisse debellari, & tam munitas arces, urbesq;, & castra capi, expugnariq;: nisi constaret Dei monitu, atque uirtute, cui nihil omnino factu sit difficile, ea omnia gesta, perfectaq; fuisse. Quin Dei beneficio successit, ut quicunque duce Iuda Hebræi iam hostes ex urbe regia depulissent: & templum, altareq; profanatum iam expiassent: acciti auxilio ab eis, qui in Gadaada, Galileaq; habitarent He=

bræis, non solum eos ab hostibus, à quibus grauiter affligebantur, liberarent: sed etiam urbibus hostium expugnatis, direptisq́;, & multa præda secum ablata domum uictores redirent: & unà quos de potestate hostium eruerant, gentiles suos secum habitatum adducerent. Iidem æquè, sed numero paucio res Dei auspicio, atque fauore non modò infregerũt iniquam, sacrilegamq́; Alchimi, sectatorumq́; eius conspirationem; sed etiam Demetrij ingentem exercitum fuderunt, fugaruntq́; ita, ut occiso etiam Nichanore regij exercitus imperatore pauci euaderent incolumes. Quantò ciues exatius memoria repeto, animoq́; uerso Hebræi ducis Iudæ, paruæq́; Hebræorum manus gesta; tantò magis adducor, ut existimem non magis ipsum Iudam ducem typum Christi gerere, quàm paruam Hebræorũ manũ Christi Ecclesiam, Christiq́; sectatores referre. Quatenus enim dux Iudas ueteri, quod profanatum fuerat, altari destructo, nouum ædificauit; & templo suum decorem, ornatumq́; restituit; & ablatis idolis, uanoq́; Demonum cultu exturbato, ueri Dei cultum reparauit; ueramq́; religionis obseruantiam introduxit: sic Christum referre uidetur, sic Christi typum gerere: ut nihil imaginis, atque formæ uideatur propemodum ipsum exemplar, ipsumq́; archetypũ similius exprimere, aptiusq́; repræsentare. Dum Iudas parua hominum collecta manu non solum se ab hostium impetu tutatus est, sed etiam suos Israelitas liberauit ab hostili impugnatione, grauiq́; inimicorum seruitute: quis non agnoscat indicari Christum,

qui Diaboli repugnantis, contendentisq; uires confregit, insidiasq; demolitus est; & ab eius manu, atque seruitute genus humanum liberauit. Quæ parua cohors duce Iuda tot palmas adepta est; strenuè dimicando tam suorum insidias, conspirationesq; superauit; quàm externorum uires, impetusq; retudit, atque infregit: non ne deprehenditur apertius, quàm ut queat hæsitari, significare Ecclesiam Christi, illamq; Apostolorum, sanctorumq; hominum paruam cohortem, quæ non solum contra suorum insidias, conspirationesq; uictores extiterũt, sed de externis quoq; tam Regibus, quàm populis palmas, triumphosq; gloriosos retulerunt? Quid duo legati à duce Iuda Romam missi, quò amicitiam Romanorum inirent: fœdusq; cum Romanis percuterent, indicant, designantq;, nisi principem Apostolorum, doctoremq; Tarsensem: qui Christi iussu, atque monitu Romam legati contenderunt: quò docendo, & concionando in amicitiam, societatemq; Christi Romanos adducerent: & cum eis fœdus religionis, & pacis inirent? Sicut dux Iudas suorum gentilium plurimos rebelles, proditoresq; expertus, amicitiam quæsiuit externorum, & societatem contraxit cum Romanis: non aliter Christus quos cognatione, & iure legum coniunctos sibi habebat; eos infidos, rebellesq; expertus; externos sibi amicitia copulauit. & non tam Romanos, quàm reliquarum gentium externas nationes sibi societate, fœdereq; pacis conciliauit, atque coniunxit. Hic est ille dux Iudas, qui manu, uirtuteq; potens salutem ue-

ram attulit Iſraelitis; & ſaluum fecit ſibi adhæ=
rentem populum Hebræorum. Hic eſt, qui typo Iu
dæ ducis deſignatus mortem, quam facilè uitare
poterat, ultrò ſubiuit: & propter fratres, fratrumq;
ſuorum ſalutem nō ſeſe hoſtibus, inimicisq; recuſa
uit obijcere occidendum. O uirtutem noſtri ducis
Iudæ prouidam, & excellentem. O noſtri Macha
bei, protectorisq; in nos ſingularem beneuolenti=
am, atque charitatem. Non ſubterfugit mortem,
non detrectauit ſe morti obijcere; non formidauit
ſe tradere in manus hoſtium, & crucis ſubire tor=
mentum: quò moriendo nobis prodeſſet: quò mor
tem obeundo uitam, ſalutemq; nobis compararet.
Perempto Iuda duce pro ſua in Hebræos beneuolen
tia Deus non deſtitit, quominus ſolito eos fauore
proſequeretur: & dato duce Ionatha plurimis be=
neficijs afficeret. Quantū enim fuit beneficij, quod à
Deo conſecuti fuere Hebræi? cum duce Ionatha bis
exercitum Bachidis ita contriuere; ut coactus ſit
æquam pacis conditionem accipere; & Iudæa regio
ne ſic excedere; ut ſe non amplius rediturum ſpon
deret cauſa infeſtandi, bellumq; inferendi. Quan
tum gloriæ fuit id, quod Dei benignitate, & bene
ficio non minus Ionathas, quàm Ionatha duce He=
bræi quæſiuerunt: cum reiectis Demetrij oblationi
bus, & fœdere cum Alexandro cognomento Nobi
li percuſſo, eam pugnando, tam contra Demetri=
um, quàm contra Demetrij filium, ducemq; exer=
citus Apollonium nauarunt operam: ut nō ſolum
digni ſint habiti Regis Alexandri amicitia, ſed eti=

am mirificè ab eo sint honorati; & multis muneribus, uarijsq; rerum donis affecti. Nec minus fuit id gloriæ, atque uictoriæ, quam Dei munere, atque beneficio obtinuere Hebræi: cum à Rege Syriæ contra subiectos rebellantes acciti auxilio, eum non solum tutati sunt ab impetu ciuili, populariq; impressione: sed etiam Antiochensibus ad centũ millia interfectis, succẽsaq; magna ex parte urbe, non minus præda dites, quàm gloria insignes domũ rediere. Longum nimis esset ciues referre singulas quasque uictorias, quas Ionatha duce, Deiq; auspicio consecuti fuere Hebræi. Maiores sanè sunt triumphi, plures sunt res gestæ, quæ prosperè successerunt Hebræis, quàm ut facilè queant enumerari; & tribui debeant, mereanturq; adscribi humanis uiribus, debiliq; hominum potentiæ. Quonam enim pacto fieri potuisset, ut tam pauca hominum multitudine tot urbes caperentur, expugnarenturq;; tot numerosi hostium exercitus profligarentur; tot potentes Reges, totq; exercituum strenui imperatores superarentur: nisi diuinæ manus potentia accessisset; & Dei uirtus, atq; opera in causa fuisset, ut quæ humanis uiribus alioquin essent imparia, efficerentur? Nullo modo fieri potuisse credendum est, ut qui pauci numero forent, nec multum opibus, rerumq; copia pollerent, ad tantũ gloriæ, existimationisq; peruenirent: ut in Regũ amicitias accersirentur, & à Regibus ultrò muneribus, honoribusq; ad ineundam societatem prouocarentur. nisi Deus eis se præbuisset auspicẽ, authoremq;

in omni gloriæ, existimationisq; parandæ ratione. Cum non minora duce Ionatha, quàm Iuda duce gesta comperiantur ab Hebræis; & maior, potiorq; uirtus, ac gloria Ionathæ ducis, prout & Iudæ, memoretur: quàm ut claudi Hebræi hominis conditione, naturæq; humanæ finibus arctari aptè queat: non absurdum fuerit arbitrari, non minus Ionathæ ducis, quàm Iudæ typo designari, referriq; illum, qui tam pugnando contra hostes, quàm uictoriam, salutemq; humano generi afferendo maius specimen edidit uirtutis: maioremq; gloriæ cumulum assecutus est: quàm meri hominis ratio pateretur; & humanæ naturæ cõditio præstare posset. Quis aptius exprimi posset nomine Ionathæ; quàm qui columbæ, sanctiq; spiritus dono nobis est traditus, & maximi instar muneris nobis à Deo est concessus; quò dux foret ad superandos hostis Diaboli impetus; & ad parandum tam gloriæ, quàm salutis immortalem triumphum. Hic est Ionathas ille; qui summi sacerdotis honore præditus, iussus est à Rege sibi assidere, & in solio regio accumbere; simulatque exutus indumento mortali purpuram immortalitatis obita morte induit. Qui etiam priusquam dolo circunuentus, & proditus mortem oppeteret: procurauit muros regiæ urbis, sacræq; Ecclesiæ mœnia quadratis ex lapidibus ædificãda: quæ quidem mœnia iam cœpta construi succedens ei, eiusq; loco suffectus Simon absoluenda curauit, atq; perficienda: qui etiam Simon pro strenua sua uirtute, ardentiq; contra hostes pugnandi studio obti

muit, ut à præsidio hostili regiæ urbis arcem occupatam liberaret, & tam summi sacerdotis, quàm principatus dignitatem perpetuam retineret; & liberæ ciuitatis, siue Ecclesiæ moderamen haberet: & sicut inter sacerdotes uirtute emineret, ita reliquis omnibus authoritate præesset. O' eminentem Simonis dignitatem; O' præclaram, insignemq; Petri authoritatem. Ionathæ, siue Iudæ locum subiens præcipuam inter sacerdotes dignitatem adeptus est: & pugnando acriter, fideliterq; se habendo consecutus est, ut nullus foret, qui eius potestati, atque authoritati iure posset repugnare. Arcem diuinæ Ecclesiæ, urbemq; Romam præsidio hostili, Demonũq; cultu occupatã uindicauit in potestatem Christi; & in libertatem ueræ religionis asseruit. Vrbi regiæ, Christiq; sacræ Ecclesiæ tum concionando, docẽdoq;, tum piè uiuendo, miraculáq; edendo muros circundedit, & complura munimenta, siue propugnacula erexit, atque constituit. Is pro sua in Deum singulari fide, & pro sua in homines constanti iustitia meruit, ut tam sacerdotibus præficeretur, reliquisq; hominum dignitate, & authoritate anteiret: quàm potestatem haberet constituendi in Dei Ecclesia præfectos; & decernendi legibus, atq; præceptis, quod nequiret à quoquam infringi, aut impugnari. Dei prouidentia, Christiq; delegatione tantum potestatis, tantumq; authoritatis consecutus est Simon: ut nihil exceptum sit, quod eius ditioni non subijceretur; nullus sit exemptus, qui posset sine noxa dicto eius, atq; iussioni contradicere, atq; aduer

sari. Mira profecto est, & diuina Simoni concessa potestas: singularis, & mirum in modum potens est Petro tradita authoritas: qua tamen dum successores abuti non uerentur, nihil minus assequuntur, quàm ut potenter agere mihi uideantur, potestateq; Simonis uti existimentur. Tantum potestatis Simoni, Simonisq; successoribus concedendo Deus, longè magis in nos se præbuit beneficũ, liberalemq;: quàm se præbuerit in Hebræos, concedendo eis ut haberent Simonem, cuius ductu, atque auspicijs tam rebus strenuè gestis florerent; quam pace, & tranquillitate fruerentur. Quod enim beneficij Simonis opera, officioq; collatum est Hebræis, id temporis angustias patiebatur; & corporis, præsentisq; uitæ, quæ fragilis est, & citò deficit, commoda respiciebat. Quod uerò diuini beneficij nobis offertur, præstaturq; Simonis, pontificis'ue nostri opera, atque ministerio, non minus perpetuũ est, perpetuoq; durans; quàm rationem animæ respicit; & commoda futuræ, immortalisq; uitæ continet. O', sicut potestas à Christo constituta; Simoniq;, & Simonis successoribus delegata maior est, & firmior: quàm ut possit uiribus humanis infringi, conuelliq;: ita qui eam exercent, eiusmodi forent, ut piè, sancteq; uiuendo procurarent, quidquid eximiæ potestatis nostri beneficio à Deo pro sua in nos beneuolentia, & charitate institutum est, sic exequi, sic administrare: ut fide non eleuata, quem deberent fructum in nobis parerent; & eo, quo possent pacto nobis tam ueniæ, quàm salutis causa

prodessent, atque consulerent. Sed ad Hebræos re deamus; qui Dei beneficio Simone duce, atq; pontifice sic rebus feliciter gestis aucti fuere; sic fama, gloriaq; exaltati: ut non minus apud Romanos, Spartiatasq; habiti sint in honore: quàm Syrijs, Aegyptijsq; culti, formidatiq; fuerint. Eam enim coacto Iudæa excedere Triphone; & Cendebæo fuso, fugatoq; consecuti sunt nominis celebritatem; ut non solũ finitimis, uicinisq; populis formidini forẽt, ab eisq; summopere obseruarentur: sed etiam à longinquis, remotisq; gentiũ nationibus interpellarentur literis ad societatem ineũdam, uel semel initam confirmandam, stabiliendamq;. Generi dolis sublato de medio Simone, Hircanoq; eius filio tam principatum, quàm sacerdotium adepto nihil adeo partæ gloriæ, prosperæq; fortunæ imminutum senserunt Hebræi: ut conatibus tam Ptholomæi proditoris, quàm Antiochi fractis, & pluribus tum Idumææ, tum Samariæ captis, expugnatisq; urbibus, non solum imperij fines summa cum gloria latius extenderunt; sed etiam subactis populis facta habitandi potestate cultum religionis, legumq; suarum obseruantiam mirum in modum auxerunt.

Quandiu Hebræi principe, pontificeq; Hircano, qui non minus diuini cultus, religionisq; studiosus erat, quàm rerum tam domi, quàm foris gerendarum cautus, diligensq;: non minorem curam rei diuinæ, quàm ciuilis, militarisq; disciplinæ habuerũt; consecuti sunt Dei beneficio plurimas contra hostes uictorias, & non minus gloriam, atque trium=

phum bellando sibi pararunt: quàm pacem, atque securitatem pepererunt. Simulatque uerò Aristobolus defuncto uita patre ius sacerdotij, atque principatus adeptus, regium diadema assumpsit; & nomen regium, quod apud Hebræos Babilonicæ captiuitatis tempore iam desiuerat, suscitauit atque restituit: & uno ex quatuor fratribus fame necato, reliquos tres unà cum matre in carcerem coniecit; et dominandi libidine tam iura sanguinis uiolauit; quàm Dei, religionisq; traditiones temerauit; effectum est, ut res Hebræorum ex illo inciperent in deterius labi, & exemplo Regis uulgo parta peccandi audacia in dies tantò minor religionis, Deiq; cura haberetur: quantò maius robur uitijs accederet; & maior peccatorum copia euaderet. Cum uitiorum, peccandiq; ea sit conditio, ut ex paucis in plures facilè contagio deducatur; & quantò ulterius progredi sinatur, tantò maiores uires sibi suscipiat: euenit ut Aristoboli flagitia, & impietatem tam subiecti magna ex parte imitarentur; quàm frater Alexander, qui ei tam in regno, quàm in sacerdotali honore successerat, lōgè exuperarit: qui præter flagitia, crudelitatemq;, quam in fratrem, suosq; exercuit: eò flagitij peruenit, & sæuitiæ; ut ex senioribus Hebræorum quamplurimos occidendos curaret; & in quasdam domos, atque familias ita sæuiret: ut ipsos patres familias unà cum uxoribus, & liberis patribulis suffigendos mādaret. Ex hoc sæuo, impioq; homine prodiere duo filij; qui defuncta matre, quæ regni ius tum mariti, tum po

puli uoluntate obtinuerat: de regno inter se graui ter contenderunt, & non destiterunt dolis, proditionibus, bellis Oedipodum instar mutuo decertare: donec suis, subiectorumq; uiribus exhaustis ansam præbuere Romanis, occasionemq; porrexere inuadendæ, occupandæq; Hierosolimæ, Iudæiq; regni usurpandi. Flagitijs itaque tam principum, Regũq;, quàm subiectorum diuinæ iustitiæ ultionem exigentibus, & diuina consulendi, benefaciendiq; ratione, ut aduersæ fortunæ remedium iam tentaretur, exposcẽte; eò peruenere miseriæ, calamitatisq; Hebræi; ut mutuis odijs, seditionibusq; acti, dum se inuicem ferre nolunt, externorum imperium subire cogerentur: & omni tam belli, quàm pacis gloria amissa, iure constituendi sibi Regis priuarẽtur; & ad iugum externæ dominationis subeundum arctarentur. Vrbe enim regia capta Romani exercitus imperator Pompeius Hircanum ex filijs Alexandri principem constituit: Iudæamq; omnem populo Romano tributariam effecit: Antipatroq; prouinciæ procuratore relicto instituit omnia senatus, populiq; Romani arbitrio gubernanda, atque administranda. Post Pompei Magni expeditionem, qua fracta libertas, & attritæ uires Hebræorum fuerant: cum nihilomagis Hebræi ipsi corrigendæ uitæ rationem haberent, sed quotidie deteriores euaderent: clade cladi adiecta eos admonendos, ad pœnitentiamq; interpellandos censuit pro sua in eos propensione, & beneuolentia Deus. Quapropter permisit, ut à Gabinio malè haberentur; à Crasso diriperen

tur, templiq; theſauris expoliarentur; & à Caſſio, Caſſijq; exercitu affligerentur, plurimumq; detrimenti, atque iacturæ acciperent. Nec deſtitit Deus pro ſua in eos charitate, & ſtudio, cladibus, aduerſisq; rebus interpellare, ad ſuſcipiendum uirtutis, religionisq; cultum, & ad dimittendam peccandi, praueq; agendi rationem excitare: quoad eis regia dignitate omnino priuatis, & Rege alienigena Herode in Iudæa à Cæſare conſtituto, cœpit appetere tempus, quo mittendus erat, qui ſalutem afferret humani generis; & beneuolentiam, beneficentiam'que Dei erga omnes æquè declararet. Iam enim nomen regium, ſceptrum'que dominationis ablatum erat femori, generiq; Iudæ; quod tam multis ante annis duodecim filijs pater prædixerat omnino auferendum: cum uenturus eſſet qui afferret ſalutem mortalibus, & genus humanum liberaret à ſeruitute ex primi hominis noxa prodeunte. O tempus ſummo deſiderio expectatum. O felicem, proſperumq; temporis aduentum: quo ſe in terras contulit, qui generi humano ſalutis donum apportaret; & liberationem à ſeruitute peccati, cui obſtringeretur, homini concederet. Sicut ab antiquis, maioribusq; illis Hebræorum id diu temporis expetitum, deſideratumq; fuit: quo adueniret, qui libertati genus humanum reſtitueret: & à Deo factas promiſſiones ſuo aduentu exequeretur: ita mihi propemodũ iam diu expectatur id temporis, quo ex inſtituti noſtri ordine, atque ratione accidat, atque ingeratur occaſio dicendi deeo, cuius opera, atque officio be

neficium salutis humano generi sit allatum: & quo uindice, atque authore libertas homini sit parta, atque acquisita. Iam peruentum ciues est ad instituti nostri cardinem: iam ad summum materiæ propositæ apicem pertigimus: iam ad destinatam, præstitutamq; maximè dictionis rationem deuenimus. hinc ratio diuinæ in hominem beneuolentiæ præcipuè aperitur: hinc diuinæ erga genus humanum beneficentiæ conditio maximè apparet. Nulla alia re, nulloq; alio pacto Dei in hominem beneuolētia clarius, efficatiusq; declarari, ostendiq; potuisset: nihil fuerat, quo melius, copiosiusq; diuinæ erga genus hominum beneficentiæ largitas exerceretur, atque ostenderetur. Non enim Deus Angelum, intelligentiam'ue aliquam cœlestem, à qua admoneremur, instituere mur'ue, legauit nobis: non prophetam hominem destinauit, qui nos acciret ad pœnitentiam, ad studiumq; sapientiæ prouocaret: non in nube, fumi'ue globo locutus est nobis: non rationem uiuendi tabulis lapideis tradidit nobis descriptam: non leges religionis, ritusq; sacrorum custodiendos hominis alicuius nostratis opera, officioq; nobis edidit, atq; perscripsit: sed filium suum unigenitum cœlo demisit: qui sumpta hominis specie, indutoq; humano corpore nobiscum esset, nobiscum degeret, nobiscum conuersaretur; & conuersando nos in recta, atq; salutari uiuendi ratione instrueret; & salutis uiā, uitæq; æternæ aditum nobis aperiret, atque demonstraret. O singularem, maioremq;, quàm ut uerbis exprimi, animisq; comprehendi queat, Dei in

hominem beneuolentiam, & charitatem. Non satis fuerat hominem producere; rationali eum anima dotare; primatum in omni genere animantiũ ei concedere; eumq́; omni genere beneficij, quatenus ipsius natura pateretur, prosequi, & afficere: nisi se ipsum quoque ei coniungeret, uniretq́;; & cum eo uiuendi societatem, consortiumq́; contraheret. Si quidquid beneficij Deus contulit homini, ab ipsius hominis productione, usque ad tempus, quo misit filium, recenseatur exactè, unaq́; congeratur: tantum non poterit comparari, æquariq́; beneficio, quod mittendo filium contulit: ut quantum Deus præstat homini, naturaq́; diuina humanæ: tantum propemodum quod beneficij allatum est homini Deo naturam hominis induente, excellit, superatq́; genus omne beneficij, quod sit Dei opera præstitum homini tam ratione conditæ naturæ, quàm bonorum omnium; quibus per tam longa temporum spatia eum multifariam comperitur prosecutus. Id beneficium eiusmodi est, ut plenam, absolutamq́; boni rationem in se contineat; & tanquàm scopum se se habeat; in quem quidquid unquàm uel beneuolè Deus egerit in hominem, uel beneficè contulerit, dirigatur. Tanti enim momenti est id genus beneficij, ut simulatq́; eius conferendi peccante homine nata fuit occasio, nullum tempus effluxerit; quod eius futuri mentionem non habuerit; nulla ætas prætererierit, quæ id futurum non acceperit: & nullæ propemodum res euenerint, Deiq́; auspicio institutæ fuerint; que aliqua ex parte typum, symbolum'ue

eius futuri non gesserint. Cuius quidem beneficij cō ditio quò melius innotescere nobis possit, & perfectius agnosci nobis ualeat; de eo sic dicemus, disseremusq́; : ut singillatim quæque simus tacturi; quæ ad eius rationem explicandam, ostendendamq́; facere uisa fuerint; & nihil prætermissuri, quatenus nostræ ferent uires; quod aliquo pacto uideri possit pertinere ad huiusmodi beneficij uim, naturamq́; aperiendam, atque declarandam. Quapropter, cum totius beneficij huius ratio consistat in filio Dei in terras demisso; & in coniunctione Dei facta cum homine; non fuerit absurdum, nec ab instituti nostri ratione alienum, priusquàm singula huius ingentis, admirandiq́; beneficij membra excutiamus, atque recenseamus; explicare, quoad Dei gratia succurrente potuerimus; cur Deus filium suum in terras demiserit; cur tam diu post corruptam naturam humanam, commissumq́; peccatum mittere eum distulerit; & quonam pacto, quibusq́; modis filius ipse sit id executus; cuius causa missus esset. Si igitur missi à Deo in terras filij causam ita exquiramus, ut scire uelimus, cuius efficiendi causa sit missus; & si nullum ex nobis adeo rei diuinæ ignarū arbitror esse, qui id penitus ignoret: tamen ne locus ullus propositæ materiæ intactus relinquatur; dicimus, attestamurq́; causa salutis generi humano afferendæ, & causa redimendi à peccati seruitute hominis pro sua ingenti, mirificaq́; in hominum genus beneuolentia, & charitate Deum misisse filium suū unigenitum. Sin autem causam missi à Deo filij ita

indagemus; ut cupiamus scire, cur Deus cum pluri fariam posset seruitute peccati liberare hominem; & nihilominus salutem humano generi afferre quopiam alio, quàm filio misso: maluerit tamen filij opera, filijq; missione hominum genus tam seruitute peccati exoluere, quàm dono salutis afficere: id planè causæ, siue indagationis aliquid amplius uidetur in se continere difficultatis; quam tamẽ aufferri posse facilè intellexerimus; si Dei in hominem eximiam propensionem, & beneuolentiam perpẽderimus; & ipsius hominis, quatenus liberi est arbitrij, & libertate uoluntatis pollet, conditionem, naturamq; considerauerimus. Nullus enim modus, nullaq; ratio excogitari poterat liberandi à peccati seruitute hominis, & saluti æternæ restituendi aptior, efficatiorq; ad significandam, ostendendamq; Dei in hominem singularem beneuolentiam, et charitatem: quàm quæ misso filio, eoq; facto homine excogitata est, atque electa. Quanam enim alia ratione potuisset Deus suam in hominem beneuolentiam, & amorem testari euidentius, comprobare melius, exprimere efficatius: quàm quod liberationis facturus esset, & quod salutis traditurus foret homini; id facere, id tradere misso filio, filioq; suo facto homine? præterea cum natura, conditioq; hominis pro accepta semel arbitrij libertate uiolentia aliqua induci, uiolenterq; trahi non deberet ad salutis habendam rationem, dimittendũq; peccandi tramitem: quo pacto, quo'ue modo melius excitari, efficatiusq; commoueri potuisset uoluntas

hominis ad peccati odium, Deiq; amorem, atque cultum: in quo colendo, amandoq; salutis humanæ ratio omnis constituta est: quàm comperta, cognitaq;, quo maximè posset modo, in se diuina charitate, atque beneuolentia? si Deus alium quempiam uel Angelum, uel hominem misisset: cuius opera uteretur in genere humano à seruitute peccati liberando, immortaliq; saluti restituendo: non utiq; tantam suæ erga hominem beneuolentiæ, & charitatis significationem prodidisset; nec tantã uim suæ in hominem propensionis declarasset; quantam studuit declarare mittendo filium: cuius quidem missione cum tantum beneuolentiæ erga hominum genus ostenderit: ut quoquam alio rei, aut facti genere tãtundem ostendi non potuisset: non incongruum fuerit existimare idcirco filium potius, quàm alium missum fuisse: ut quantò maiorem deprehẽderet homo Dei erga se amorem, & beneuolentiam: tantò magis induceretur ad Deum amandum, & tantò maiori erga Deum ipsum cultu, studioq; afficeretur. Quapropter cũ salutis nostræ ratio consistat in cultu, amoreq; Dei; conueniens fuit, & opportunum pro conferendæ salutis ratione, deligere modum, tenoreq;: quo præcipue humani animi commoueri possent, & induci ad amandum, colendumq; Deum. Quòd autem quis tantò magis, tantoq; facilius inducatur ad quempiam colendum, amandumq;: quantò eum sibi magis amicum, beneficumq; agnouerit; & quantò maiori se ab eo beneuolentiæ, & charitatis affectu complecti intellexerit: tam prorsus naturæ con=

sentaneum est, & rationi conforme; ut non minus à iure naturæ, quàm à rationis lege deficere uideri posset; quisquis se uel eiusmodi non præstaret, uel id satis se scire non consentiret. Misit itaque Deus filium, quò peccati iugo hominem exolueret, hominiq; salutem afferret: & ideo filium potius, quàm quenquam alium misit: quò sua, quàm posset maximè erga hominem beneuolentia, & charitate ostensa, comprobataq; facilius alliceret, prouocaretq; magis ipsum hominem in sui cultum, suiq; amorem, sine quo salus ei nequeat esse. O' beneficam Dei erga hominem curam. O' Dei summum studium, desideriumq; consulendi homini, hominisq; saluti prospiciendi. Cum enim mittendo alium, quàm filium posset uiam salutis aperire homini, & ad salutem consequendam hominem excitare: maluit tamen filium, quàm alium mittere: quò maiorem, facilioremq; homini præstaret consequendæ salutis occasionem; & eum magis alliceret, efficaciusq; extitaret ad id ineundum, in quo salutis ratio consisteret, & felicitatis adeptio esset collocata. Quò tutius consuleretur homini; quò saluti hominis abundantius succurreretur; quò paratiorem, oblatioremq; haberet homo consequendæ felicitatis ansam; filium non detrectauit Deus mittere, eumq; hominem constituere. pro sua enim Deus in nos charitate, & pro suo nobis proficiendi, consulendiq; studio nō solum procurauit salutem nobis offerendam, beneficiumq; salutis exhibendum: sed etiam eo modo, eaq; ratione salutem obtulit, beneficiumq; salutis exhibuit: ut

facilius eam consequi possemus, & ad eam consequendam maioribus stimulis excitaremur. Cur autem Deus tam diu post commissi peccati ruinam distulerit filium mittere, et humani generis saluti succurrere: nullus adhuc, quem sciam, ex sacris authoribus est ausus rationibus indagare, scribendoq; explicare. Quin huius rei explicatio uisa est tam difficilis, & ardua, ut crediderint eam ingenij, intellectusq; humani uires omnino superare; & nullo pacto, nullaq; ratione mortali scrutatu posse complecti. Qua propter cum Dei super hac re consilium latentius, arcaniusq; esse duxerint, quàm ut intellectu hominis apprehendi, ratiocinationeq; aliqua explicari posset; maluerunt rem intactam relinquere; et ad diuinæ prouidentiæ arcanam rationem referre, quàm ratiocinando frustra tentare, quod omnino assequi nequirent, & scribendo adgredi, quod satis attingi, explicariq; posse diffiderent. Qua ratione uideri fortè poterimus nos nimis arroganter facere, operamq; impotenter conterere; si id scrutari, indagareq; experiamur; quod tam doctrina excellentes, tamq; sanctitate probati homines intactum reliquerunt, & tanquam cognitionis humanæ uim, facultatemq; exuperans omiserunt. Vtcunque de me sentiatur, non permittam; quatenus Deus aspirarit, rem huiusmodi sine tractatione labi: nec aliorũ exemplo deterritus exhorrescam tentare, atque adgredi: quod & si maius sit, quàm ut præstari uiribus humanis queat, tamen sciam leue, facileq; Deo esse præstatu: cui cum nihil, quod uel remotissimo

gradu

gradu distet, possit esse ignotum; nullo pacto exi stimandum est; quod ipsius prouidentiæ hæreat, quodq́; ex ipsius mera uoluntate dependeat, aliqua tenus ignorari. Sed cum non debeamus pro Dei in nos propensione, & benignitate diffidere; quin im petremus, quod casto proposito, firmaq́; fiducia petamus: non est cur dubitemus implorata Dei ope, summaq́; de Deo concepta fiducia rem aggredi cæteris intentatam: quæ si nobis minus feliciter cesserit, nihil fuerit, cur magis uos tædeat uestri laboris in audiendo, quàm nos nostri in dicẽdo. Quòd si æquanimiter laturi sumus nos quancunque laboris, operæq́; iacturam; quam sustineamus proficiendi uobis studio, iuuandiq́; uos desiderio; quantò magis ægreferre non debetis, si quid laboris subieritis, uel potius si quid otij amiseritis; dum uestræ rei consulere procuratis, uobismetq́; ipsis iuuandis incumbitis. Si quod laboris sumpturus sum, eius rei causa, quam respiciat incassum cedere contigerit: tantum abest, ut eius suscepti pœnitẽtia sim corripiendus: ut uel de eo suscepto non parum uoluptatis sim percepturus: dum meminero præclaræ rei non defuisse aggrediendæ, nec labori, operæq́; pepercisse; quominus experirer rem à cæteris prætermissam, & tentarem negotium, quod pro difficultate, quam continet, & pro penetrali, quo reconditur, uisum sit maioribus nostris silẽtio prætereundum; & nulla ratiocinatione attentandum. Si huius rei, huiusq́; arcani negotij ratio fuerit eiusmodi, ut eam Deus nolit homini cuiquam exactè

innotescere; non diffido tamen pro ea, qua eum
noui esse facilitate, atque promptitudine satisfa=
ciendi homini: à quo confidenter adeatur, & so=
lida, constantiáq; fide rogetur: quin aliquid eius o=
pe simus allaturi: quod si rem satis non explicet,
saltem uideri possit ad rem ipsam non incongruè se
habere. Bonitas immensa Dei, Deiq́; benefica erga
hominem propensio non patiuntur, nec ullo modo
permittunt; ut possit existimari, dilatam diutius ab
eo fuisse hominis salutem, quàm causa ipsius ho=
minis: qui citius oblatam salutem cum fortè nõ es
set accepturus, & idcirco subiturus, cõtracturusq́; si
bi foret maiorem noxam: non uisum fuit Deo pro
sua proficiendi, benefaciendi'que homini pro=
pensione cõmittere: ut salutis ratio suo effectu non
solum frustraretur; sed etiam contingeret, ut quod
alioqui afferendæ salutis causa esset institutum; af
ferret exitium: & quod deberet prodesse remedi=
um, obesset grauiter; & ægrotantis conditionem
redderet grauiorem. Existimandum est enim tem=
pus afferendæ salutis exactè Deum obseruasse; &
illud elegisse, quod prospexerit maximè opportu=
num, & conueniens acceptandæ saluti, & produ=
cendo salutis affectui. Nefas enim esset credere, De
um salutis beneficium distulisse; ne cui posset, ho=
mini consuleret; & ne se beneficum, liberalemq́;
nimis erga hominem præberet. Non cadit in Deum
consulendi, cauendiq́; homini incuria, non otium
competit Deo à liberalitate, & beneficentia erga
hominem exercenda: dummodò se homo ipse non

ſubtrahat: nec in cauſa ſit ipſe ſibi, quominus diuinæ liberalitatis, & beneficentiæ prouentum ſentiat, atque experiatur. Ratio diuinæ bonitatis nullo modo permittit, ut debeamus arbitrari, Deũ manum ab applicando ſalutis remedio continuiſſe diutius, quàm uel cõuenire morbi ipſius rationi cognouerit; uel ſaluti inducendæ, atque reſtituendæ expedire animaduerterit. Sicuti neque boni, neq; prudentis medici fuerit, morbo, ægritudini'ue remedium, medicamenq; adhibere, prius quàm animaduertat ipſius morbi, atque ægritudinis conditionem exigere, ut adhibeatur: & prius quàm cognoſcat pro morbi, maliq; affectus conſtitutione fore; ut remedium proficere poſſit; & ſanitati reſtituendæ conducere: ita ex boni, prouidiq; Dei fuit officio, ut tam diu morbo peccati remedium adhibere differret; quouſque proſpiceret ipſum remedium maximè profuturum; & reſtituendæ ſanitati apprimè conducturum. Videmus uomicæ, atq; abſceſſui humani corporis non ferrum, extremamq; curationem prius adhiberi; quàm cruditate paulatim matureſcente purem contrahat; & contracta ſanie oſtendat tutò ferrum admoueri poſſe, & curationem adhiberi: quæ ſi fortè adhiberetur nõdum ad purem, maturitatemq; redacto abſceſſu; facilè contingere poſſet, ut quod medicandi, curãdiq; cauſa admoueretur remedium, non ſolũ nihil proficeret; ſed etiam uirus immaturum exaſperando durius angeret, & grauius affligtaret. cur æquè exiſtimari non poteſt abſceſſui, ſiue uomicæ peccati

humano generi ex primi hominis traduce contra=ctæ non prius à Deo adhibitam fuisse curationem, quàm contracto paulatim per longa temporum spatia pure cœperit maturescere: & collecta sanie significarit commodè, salubriterq; posse adhiberi remedium. Quod enim uirus peccati initio corruptæ, infectæq; naturæ nimis recrudescebat; paulatim multiplici generationis traduce actum, maturitatem accepit, & in purem conuersum commodam, salutaremq; denique remedij suscepit admotionem. Hic modò non nihil est ciues, ex quo satis me explicare non possum. Mihi sanè uideor agnoscere quandam rei summam, cui tamen explicandæ, articulatimq; discutiendæ me minus sufficere deprehendam. O' quàm pulchrum foret, & mirabile, si intelligi, explicariq; posset, quonam ductu, quonam generationis tenore se natura humana præstiterit aptā ad suscipiēdam curationē, admittendumq; salutis remedium; & effecta fuerit paulatim uiro peccati maturescente idonea, cui salutaris medella admoueretur: & cui non sine profectus ratiōe salubri remedio succurreretur. Si liceret apprehendere quibus gradibus, quibus'ue pedetentim modis naturæ humanæ conditio eò processerit, ut commodè admitteret curationem; salutisq; remedium utiliter, efficaciterq; reciperet; apprehenderemus æquè diuinæ iustitiæ exactam rationem; & agnosceremus Dei miram cum iustitia coniunctam bonitatem, atque beneficentiam. Si nostri capacitas ingenij sic foret ampla, ut posset exactam ad=

mittere temporum rationem, & numerorum plenam accipere notitiam: possemus omni procul dubio cognoscere; quæ duorum cuborum imparium, septenariiq; numero complexæ generationes ab homine, qui naturam infecit, peccatoq; maculauit, protenduntur ad hominem, qui labem diluit peccati, & naturam humanam sorde exoluit: non carere mirifico diuinæ iustitiæ, & prouidentiæ examine: nec ab re tot numero ab inflictu peccati ad curam eius intercessisse. Si præterea in eisdem generationibus, siue naturæ traducibus bis terni, terq; bini numeri rationem ineamus; & quem creando homini numerum præscriptum fuisse constat; eum decies repetendo, quæ numeri absoluta est ratio; & omnem numerandi circuitum compingit; exactè supputemus: per sex actas decies generationis traduces comperiemus naturam humanam eò peruenisse: ut commodè, utiliterq; admitteret curationem, & salutiferi remedii applicationem sustineret. Quam labem peccando induxerat, qui senarii extrema parte conditus primas originis in genere humano obtinebat: eam non sine grandi, ingẽtiq; diuinæ iustitiæ, & prouidentiæ examine, & ratione abstersit, eluitq;: qui sexta, extremaq; mundi ætate editus sex decies naturæ, generationisq; ex actis traducibus primas in traducis, generisq; numero obtineret. O quàm mirum, absolutumq; diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ ordinem deprehenderemus. O quàm exactam iustitiæ, & beneficentiæ diuinæ rationem, legemq; intelligeremus:

ſi ueram metiendi temporis rationem calleremus; & perfectam numerorum cognitionem, ſciẽtiamq́; haberemus. Agnoſceremus utique, & abũdè perciperemus: quonam pacto ſe haberet, & quibuſnam rerum, rationumq́; ſucceſſibus conſtaret illa ab Apoſtolo aſſerta temporum plenitudo: quæ licet ſatis appareat eſſe effecta redacto eò cõditionis poſt contractum peccati uirus homine: ut maturo abſceſſu curationem admitteret; ſalutaremq́; remedij adhibitionem pateretur: tamen quibus rerum progreſſibus, & quibus rationum gradibus, atque teneribus congeſta ſit, & confecta: tam procul abſumus, ut perfectè cognoſcamus: ut uix aliquid conniuentibus oculis attingamus. Ad explicãdam dilatæ ſalutis, ſalutiferiq́; remedij rationem nonnulla præterea conferre uideri poſſunt: quæ tamen ſi perſpicaciter conſiderentur; eandem, cuius meminimus, remedij opportunitatem arguunt: & ſalutis oblatæ moram efficacem, utilemq́; indicant. Nihil igitur prohibet, quin arbitrari poſſimus inter ea, quæ in cauſa fuerunt, ut Deus tam diu ſalutis authorem mittere diſtulerit, id quoque extitiſſe: ut per longa temporum ſpatia experiretur homo ſuam infirmitatem; & nihil eſſe omnino deprehenderet, cui ſibi in ratione ſalutis confideret: & ut ex longo temporis tractu comprobata magis naturæ humanæ debilitate, atque impotentia, Dei beneficium euidentius denique agnoſceretur; & Deo, quicquid ſalutare, ſalutiq́; conducens tandem detegeretur, acceptum omnino referretur. Quod

ſanè rei cum genus hominum maximè poſſit exci tare ad cultum, amoremq́; Dei: nemo eſt, qui non poſſit diſcernere, quàm conueniat, quamq́; aptè congruat maiori ſalutis oblatæ profectui conſtituendo: cuius rationem à Deo in primis habitam fuiſſe in offerenda ſalute, adhibendoq́; ſalubri remedio modò dicebamus. Nec id parum etiam facere uidetur ad cauſam dilatæ ſalutis, quod in ſe continet rationem tam ipſius ſalutis apertius comprobandæ, quàm promptioris ſtudij in homine ad ſalutem ſuſcipiendam inducendi. Diſtulit enim tam diu promiſſam ſalutem Deus exhibere: quò diutius homini expectata, maiori affectu, ſtudioq́; exciperetur: & tantò fructum uberiorem, copioſioremq́; in hominum genere obtineret; quantò auidius, ſtudioſiusq́; diuturno tempore expectata exciperetur.

Diſtulit item tam diu, quò diuturno, longoq́; temporum ſpatio per multiplices rerum, ſucceſſiuumq́; typos, & per uarias uerborum, factorumq́; ſpecies ipſam ſalutis offerendæ rationem indicaret, indicatamq́; per tot ante tempora, & per tot omnigenas rerum, atque uaticiniorum formas, deniq; cum ſuccederet, probatiorem, euidentioremq́; redderet: & tantò acceptabiliorem efficeret; quantò certiori, copioſioriq́; teſtimonio illuſtraret, atque comprobaret. Nec alienum fuit à ratione tam bonitatis diuinæ clarius oſtendendæ, quàm ſalutis ipſius efficatioris, fructuoſiorisq́; reddendæ: ut prius quàm mitteretur, qui ſalutis munus afferret; & morte obita, fuſoq́; ſanguine genus humanum liberaret à

peccati seruitute: eò malitiæ, & peruersitatis peruenireturn ab eis, qui peculiariter amati, præcipueq; beneficijs affecti fuissent: ut pro sua iniquitate, & ingratitudine mererentur id noxæ incurrere, idq; flagitij committere: ut quem beneficum, beneuolumq; maximè experti essent: & quem salutis conferendæ causa accessisse intelligerent: eum dolo, insidijsq; circunuentum procurarent torquẽdum, perdendum, occidendum. Id profecto rei non minus ingentem Dei bonitatem, benignitatemq; attestatur: quàm salutis ipsius fructum adauget; efficaciusq; reddit, & fructuosius efficit remedium peccato delendo, salutiq; inducendæ adhibitum. Quis enim non agnoscat id egregium, maximumq; esse Dei bonitatis, benignitatisq; testimonium: ut quibus maximè benefecerit, & quorum saluti maximè curarit prospicere; eorum se tradat factus homo potestati affligendum, iniurijs afficiendum, interimendum? Quis æquè non animaduertat id tantæ bonitatis diuinæ ostensæ, idq; tam eximiæ benignitatis declaratæ mortalium animos facilè cõmouere, excitareq; posse ad colendum, amandumq; ipsum Deum; & ad habendam salutis consequendæ rationem: quæ in ipso Dei cultu, Deiq; dilectione, & charitate constituta sit? Superest ut iam de quo tertio loco quærebatur disseramus, & exequamur, quatenus Dei dono, et benignitate nobis licuerit: quonam pacto, quibus'ue modis Dei filius homo factus expediuerit, cuius causa aduenisset. licet huius rei explicatio sit distinctius, illustriusq;

apparitura;cũ singillatim de Christi institutis, actionibusq; agetur;et de morte eius,profusoq; sanguine tractabitur : summatim tamẽ,ne cœpti ordinis ratio interpelletur, rem attingendam hic ducimus,et aperiendũ breuiter, cõpendioseq; explicandũ censemus, quibus modis, qua'ue rerum ratione salutem attulerit generi humano Christus:et id cuius causa foret missus, fuerit executus. Cuius causa Dei filius hominem induerat, id eum præstitisse : & salutem,cuius causa offerendæ accesserat, exhibuisse arbitramur exemplo, institutis, prouocatione charitatis, profuso sanguine, obita'ue morte. Exemplo præstitit id Dei filius, cuius causa factus erat homo: dum piè, innocenterq; uiuendo proposuit se homini imitandum : & se tanquam exemplar quoddam exhibuit : in cuius imitatione salus hominis esset constituta. Ea instituta, ea documenta factus homo Dei filius homini tradidit, tam eius officium erga Deum, quàm erga hominem respicientia : in quorum custodia, atque obseruatione ratio salutis sic esset collocata : ut eis non custoditis, nec obseruatis frustra salutem se consecuturum homo ipse confideret. Sua bonitate patefacta, suaq; in hominem ostensa benignitate, & beneficentia Christus Dei filius prouocauit ipsum hominem ad mutuam charitatem,in suiq; cultum, amoremq; Dei inuitauit : sine quo tam de salute non potest haberi ratio:ut in eo consistat prorsus ipsa salus. In salutis constituenda ratione tanta obitæ mortis, effusiq; sanguinis fuit efficatia ; ut nõ solum uehementer contulerit ad conciliandum ho=

mini Deum, prouocandumq; hominem ad cultum, amoremq; Dei: sed etiam contuderit, fregeritq; mirum in modum uires, potestatemq; Diaboli; quas aduersus hominem non sine uictoria exerceret; & quibus ipsi homini obsisteret, quominus salutem cõsequi posset; & ad sui finis consecutionem peruenire ualeret. O uim potentem obitæ à Christo mortis: ò arcanam, mirificamq; profusi à Christo sangninis uirtutem. Si tam græcis, quàm latinis testificatum habemus monumentis, atque historijs morte profani hominis, qui se pro salute patriæ deuouerit; uel ultrò in hostes se pro liberanda patria coniecerit occidendum: consultum fuisse patriæ ipsius saluti; patriamq; ab hostibus liberatam extitisse: quantò fide dignius est, quantò creditu conuenientius, morte non profani, nec meri hominis, sed Christi, qui Deus æquè esset ac homo, fuisse liberatum genus humanum à Diaboli, peccatiq; seruitute, & salutis donum consecutum? si tam priscorum uatum, quàm historicorum monumenta testantur, indicantq; apertè morte hominis, humaniq; sanguinis profusione immites placari manes, reprimiq; nocumenta laruarum, atque Demonum; cur potius credendum non fuerit mortem Christi, Christiq; sanguinem effusum, latentem nescioquam uirtutẽ, potestatemq; habuisse reprimendi uires Diaboli, Diaboliq; aduersus hominem impetum; uimq; confringendi, atque eneruandi? Hinc ualdè ciues possumus animaduertere: quam se beneficum nobis præstiterit Deus, quàm se nostræ salutis studiosum præbuerit; & quàm

consulendi nobis, nostræq; saluti prospiciendi cupidum se ostenderit: qui non solum filio authore, filioq; facto homine uiam, semitamq; salutis nobis ad aperuit, monstrauitq;; sed etiam filij exemplo nos inuitauit: institutis, documentisq; à filio traditis erudiuit; bonitate, benignitateq; filij nos prouocauit; & ipsius filij morte, atq; sanguine quidquid poterat esse impedimenti saluti obtinendæ arcuit prorsus, atque amouit. O magnam consequendæ salutis benignitate Dei nobis oblatam occasionem: ò tutam, facilemq; uiam adipiscendi salutem Dei beneficio homini propositam. Nihil prætermisit agere, procurareq; pro sua in nos propensione, & charitate Deus quò incolumitati nostræ consuleret, & quo promptam, obuiamq; assequendæ salutis homini commoditatem præberet. Id porrò salutis oblatæ homini beneficium tantò maiorem Dei erga hominem benignitatem, beneficentiamq; comprobat, atque ostendit; quantò largius effusum, in pluresq; disseminatum esse reperitur. Non enim id genus beneficij solum gentem Hebræam, Iudæumq; populum; pro ut ea, quæ constitit peculiariter à Deo genti Hebræorum præstita beneficia, respicit: sed ad uniuersum genus humanum pertinet; & uniuerso hominum, summota omni exceptione, generi offertur accipiendum. Quæ Dei beneuolentia peculiariter erga Hebræos ostensa est; quæ Dei beneficentia in gentem Iudæorum specialiter est exercita; pro Dei ipsius exacta prouidentia, proficiendiq; homini studiosa uoluntate censenda est non æquè cæteris, uti He

bræis, potuisse esse usui, uel fructum aliquem adferre. Quod uerò salutis beneficium á Deo filij opera oblatum est, eiusmodi existit; ut non solum pro sua aperta, euidentiq; utilitate, & pro ui, efficatiaq; commouendi, excitandiq; quorumcunque hominum animos in sui studium, acceptionemq; ; possit esse omnibus usui, & possit omnibus conducere: sed etiam tam facilem sui agnoscendi, suiq; suscipiẽdi rationem contineat; ut à quo non agnoscatur, à quo non suscipiatur; is censendus sit eò peruenisse uel nequitiæ, uel stoliditatis; ut nihil amplius uel noxæ ei instar Diaboli adijci, uel culpæ, tanquam mentis impoti adscribi possit. Beneficia, quæ peculiariter Hebræis Deus exibebat, cum forent eiusmodi, ut pro conditione sua facilè possent non agnosci, nec admitti ab homine, qui nequissimus etiam non esset: & ideo non agnita, neque admissa possent noxam augere, augendoq; homini grauiter obesse: non mirum, si non exhibuit Deus ea, quibus nosset minus agnita, admissaq; fore potius noxæ, detrimentoq; , quàm usui, atque emolumento. Salutis beneficium oblatum generaliter est omnibus; tum quia ratio diuinæ bonitatis, & iustitiæ exigebat; ut ueluti omnes ab uno, eodemq; primo homine infectionem contraxissent; sic æquè omnes expiandi se potestatem oblatam haberent: & sicut omnes contagionem, exitiumq; peccati uno, eodemq; authore retulissent; ita omnibus pariter salutis beneficium assequendæ offerretur; tum quia salutis huiusmodi beneficium poterat ita agnoscentibus, admittenti-

busq́;prodesse;ut tamē nō posset obesse nō admittenti bus: cum qui uel tam insigniter mali sint, ut nolint admittere; uel tam stupidi, amentesq́;, ut non curent agnoscere; nihil amplius inde sibi possint noxæ contrahere: quoniam qui pro malitia recusat ad mittere, adeo reus, nequamq́; sit necesse est; ut summum noxæ attigerit: & qui pro stultitia non curat agnoscere, nihil est cur causa stultitiæ possit sibi maiorem noxam contrahere. Sed cum iam explicauerimus, cur Dei filius sit missus, & factus homo: exigit modó ratio ordinis, ut pariter, priusquàm ulterius progrediamur, edisseramus, quonam modo fuerit, & quo pacto fuerit homo factus. O' insigne, eximiumq́; miraculum: ò stupendam, admirandamq́; rei conditionem. omni prorsus uirilis sexus exclusa opera, nulla uiri ope, actioneq́; interueniēte conceptus ex uirgine fuit homo: cuius quidem conceptio, si legem, uimq́; naturæ consideremus: tam miratu digna, tam creditu difficilis uideri potest; ut in rerum miraculis uix quidquam reperiri contingat, quod æquè ualeat audientis animum suspendere, & hærentem, mirabundumq́; reddere. sin autem consideremus, animoq́; diligenter expendamus, quæ sit eius uis, potestasq́;: qui legem, uimq́; naturæ tradidit, naturamq́; ipsam condidit: comperiemus huiusmodi hominis conceptionem adeo nihil hæsitatione dignum, nihilq́; creditu difficile habere: ut mereatur plus fidei, plusq́; consensionis; quàm quæ quotidiè ui naturæ fiunt, naturaq́; operante producuntur. Si enim ex ui, conditioneq́; naturæ ea ui

rilis ſeminis eſt uirtus, ut materiæ muliebri in fœtum conuertendæ, in ſpeciemq́; hominis effigiandæ ſufficiat: & agendo id muneris in producendo homine, hominisq́; corpore compingendo, formandoq́; præſtet: ut cum nihil moli corporeæ adijciat, nihilq́; materiæ conſtituendo corpori conferat: in cauſa tamen ſit, ut ipſum corpus conſtituatur, corporisq́; humani effigies, formaq́; informi materiæ indatur: cur ab eo, qui totius naturæ conditor eſt, & omnia rerum ſemina, ſeminumq́; oẽm uirtutem protulit, atque creauit; facillimè fieri non eſt conſentiendum: ut ex uirgine, materiaq́; uirginis informi uirtute diuini ſpiritus loco uirilis ſeminis operante, atque agente fœtus concipiatur, homoq́; generetur? Si præterea uirtute calidi agente, humidiq́; patiente à natura fieri comperimus; ut ex inanima prorſus, rudiq́; materia edatur animal; & nulla tam fœminei, quàm uirilis ſexus accedente opera corpus uarijs membris diſtinctũ formetur, & tam ſenſus, quàm motus particeps efficiatur: quid dubitationis concipiendum eſt, quid admirationis contrahendũ: ſi cuius uirtus eſt infinita, & cuius potentia tam naturæ potentiæ præſtat, ut nihil omnino poſſit natura, niſi quatenus ab ipſo ſuſcipittis ſua uirtute, ſuaq́; diuini ſpiritus opera hominem formet, corpusq́; humanum compingat in utero uirginis, ex ipſius uirginis congrua ſuſcipiendæ humani corporis formæ materia? Si credamus non ſolum uirtute Dei uirgam Hebræi ſacerdotis conuerſam in draconem; cæterasq́; illas animantium ſpecies editas repentè; ſed

etiam magos Aegyptios uirgas ipsas animasse; & opera Demonis tam eas in tot dracones mutasse, quã complures insectorum species produxisse; quid fuerit amentiæ, & peruicatiæ non credere, Deum eius spiritus uirtute, quo se super aquas ferente mundi, cœliq; tot miracula sunt condita; sine uiri cuiuspiam opera compegisse, condidisseq; hominem, & ex uirgine filium suscepisse? Sicut absurdum foret, & à ratione alienum, negare quidquam à natura factum esse, quod ab ea facilè possit fieri: ita temeritatis est, & inscitiæ nolle consentire, factum esse à Deo; quod non solum in eius potestatem facilè cadere potest; sed etiam eius bonitati, eiusq; uirtuti ostendendæ, comprobandæq; mirifice quadrat, atque congruit. Filius itaque Dei, diuinæq; mentis conceptus, sancti spiritus opera, spirituq; Dei agente corpus humanum accedente tamen anima, animæq; consortio interueniente suscepit ex uirgine; & factus est ita homo, ut nihilominus Deus existeret; & ita naturam humanam induit, diuinamq; retinuit; ut duplici natura constans, unius dumtaxat personæ ratione contineretur. Vnius quidem personæ ratione sic continetur: ut tamen circunscripta omni diuinitatis in humanitatem conuersione; & exclusa omni geminæ substantiæ, seu naturæ permixtione non minus perfecte sit Deus, quàm homo. Qui enim perfecte Deus est, perfecteq; homo; is unus est, idemq; Christus: cuius sane conditio quàm consentanea, quamq; accomoda sit diluendo peccati contagio; & resartiendæ generis humani iacturæ; quæ

primi hominis uitio contracta esset; prout loci opportunitas flagitat, ut inquiratur: ita operæ precio indignũ non fuerit, si diligentius id rei inuestigetur. Quod diuinæ similitudinis propter peccatum primi hominis deperditum fuerat; conueniens ualde fuit, & congruum; ut restitueretur eius opera, atque officio; qui non modo Deum referret, Deiq́; similitudinem in se contineret; sed ipse Deus esset, patrisq́; Dei uera similitudo, expressaq́; imago existeret. Quæ Dei erat familiaritas, consuetudoq́; cum homine, priusquàm peccaret; cuius munere, cuius'ue officio aptius, conuenientiusq́; potuisset restitui, reintegrariq́;; quàm eius, qui non minus Deus esset, quàm homo: & familiarem, coniunctumq́; sic hominem Deo contineret; ut sub unius personæ ratione utrunq; tam Deum, quàm hominem complectetur? sicut peccatum, peccatiq́; pernitiem muliebri opera in genus humanum induxit malignus, impurusq́; Demonis spiritus: in idem genus humanum congruum fuit, ut sanctus Dei spiritus æquè mulieris opera salutem induceret: & qui salutis homini author foret, conciperet. Cum Deus iustitia exigente ob peccati nefas paradiso, uoluptatisq́; horto exclusisset hominem; & Cherube cum flammeo, uersatiliq́; gladio custode collocato eum arcuisset, ne posset ingredi, lignoq́; uitæ manum adijcere: conueniens fuit, ut simulatq; iustitiæ satis extitisset delatum, gratiæ beneficio Deus hominem deniq; inuitaret ad ingressum paradisi: & cuius opera Cherubis, gladijq́; uersatilis usus fuisset in prohibendo ingres

ſu; eiuſdem tam Cherubis, quàm gladij opera, atq; uirtute uteretur in accerſendo, inuitandoq́; ad paradiſum homine, & ad ingrediendam uiam excitando: qua lignum uitæ adiretur, & qua contenderetur ad decerpendos ex arbore uitæ fructus, atque comedendos. Conſentaneum quoque fuit rationi, ut qui foret peccati maculam diluturus, & ex homine ſordem peccati ablaturus; is ſic homo euaderet: ut omni peccati ſorde careret; & nulla id genus infectione laboraret: cuius in genere humano eluendæ, expurgandæq; cauſa homo efficeretur.
Quod enim infectionis generi humano ex primi hominis peccato contractum fuerat, mirificè conuenit; ut cuius hominis opera id genus infectionis curandum foret: is ab eo penitus immunis, & alienus conciperetur. Nec minus conueniens fuit, & conſonum rationi, ut qui homo naturam hominis curaturus, & humanæ originis, atque naturæ uitium emendaturus eſſet: præter naturæ humanæ legem ederetur, & ſui conceptu, ſuoq́; ortu omnem naturæ uim, rationemq́; excederet, atque exuperaret. Quò fit, ut id genus conceptionis; & hæc præter naturæ conditionem ſuſcepta à filio Dei forma hominis non ſolum ualdè congruat, & quadret inſigniter rationi eorum, quæ in homine, naturáq; humana forent curanda, perficiendáq;: ſed etiam propter inſolentiam, ex inſolentiáq; prodeuntẽ admirationem abundè proſit, mirumq́; in modũ conferat excitando homini ad cultum, amoremq́; Dei: cuius opera quantò plus admirationis, & miraculi

in se continent: tantò maiorem erga eum cultum, amoremq; in homine solent producere, atque parturire. Id sanè beneuolentiæ, & charitatis, quam erga nos ostendit Deus: dum filium suum, qui salutem afferret; salutisq; quærendæ rationem nobis traderet: faciendum hominē procurauit: licet pro ui, magnitudineq; sua satis æstimari, satisq; perpendi nequeat: tamen longe maiori se cumulo efferet, & longè potiori se affectu indicabit: si consideretur, non solum Dei filium nostra causa, nostræq; salutis ratione fuisse effectum hominem: & ex sublimi cœli throno descendentem subisse humani, mortalisq; corporis carcerem: sed etiam eam hominis fortunam, conditionemq; iniisse: ut humilis admodum foret, abiectæq; uitæ, & maxima paupertate premeretur. Qui enim cuncta creauit; in cuius uirtute omnia fuere producta; cuius dominatui tam cœli, quàm terræ tractus omnis suberat; & omnes tam animantium, quàm inanimorū species subiiciebantur; is nostri causa, nostræq; salutis gratia factus homo tam angustæ fuit fortunæ, tantæ fuit paupertatis, ut à matre editus in stabulo collocaretur in præsepio; & uix existentibus, quibus inuolueretur, pannis substrato fœno imponeretur quieturus. O` extremam filii Dei paupertatem: ò humilem nostri seruatoris fortunam. non in cubiculo aurati laquearis, peristromatibusq; strato, sed in stabulo, fœniliq; à matre editur. Editus non in auratis cunis collocatur; nec molli, plumeaq; culcitra imponitur: sed præsepio infertur, & substrato

fœno procumbit. non xilinis, carbasinisq́; fascijs composite obstringitur, non linteis picturatis, phrygiaq́; arte laboratis molliter excipitur: sed pannis uilibus utcunque inuoluitur, & crassæ telæ frustis, quæ uel sors obtulerat, uel uirgo, materq́; inops sibi detraxerat, exceptus implicatur, obtegiturq́;. Obstetrix nulla, nulla nutrix precio conducta aderat: non seruitiorum turba intererat: non frequēs affinium concursus factus est: sed sola uirgo, quæ peperit: solusq́; uirginis maritus, siue custos aderat. quæ mater erat, eadem obstetrix, eademq́; nutrix fuit. qui uitricus infantis, custosq́; uirginis erat; idem seruitiorum, affiniumq́; loco obsequium, officiumq́; præstitit. Sed qui natus nullis exceptus fuerat pompis, atque delitijs; & qui in loco uili, humiliq́; editus fuerat pauper: eum attestante propheta agnouere dominum, possessoremq́; suum bos laboris tolerans: & patientiæ, humilitatisq́; typus asellus. Quem uili in stabulo mater peperit, & uilibus pannis inuolutum præsepio imposuit: eum pastores ab Angelis admoniti agnouere esse mundi dominum, generisq́; humani seruatorem. Qui non in minori rerum, quam seruitiorum indigentia natus erat; eum præuia, ducenteq́; stella Arabes, Sabæiq́; Reges non minus opibus, quàm subiectis potentes salutatum adierunt, & allatis preciosis muneribus adoratum perrexerunt. Quem nullo propinquorum concursu facto pepererat mater; quem nullo plausu, gratulationeq́; affines exceperāt: hunc Angeli natum esse mutuò gratulati sunt: & ex hu

ius ortu tum ſibi, ſublimiq; omni intelligentiæ ſummam contigiſſe lætitiam ſunt teſtati; tum humano generi pacem, ſalutemq; futuram eſſe prodiderũt. Qui tam abiectè naſci, tamq; humili fortuna educi noſtri cauſa ſuſtinuit, præter beneuolentiam, charitatemq; inſignem, quam ſic naſcendo oſtendit erga nos; nos etiam ſuo exemplo prouocauit ad habendam humilitatis rationem, ſtudiumq; ſummiſſionis ineundum: ſine quo nec honor, authoritasq; in terris apud homines parari, nec fauor, plauſusq; Angelorum in cœlo poteſt obtineri. O ingentẽ humilitatis fructum. O eximium ſummiſſionis emolumentum. Qui adeo ſummiſſè ſe geſſit naſcendo; ut non detrectarit in ſtabulo edi, in præſepe collocari, uilibus pannis inuolui: is à paſtoribus honoratur, is à Regibus adoratur, is ab Angelis, cœleſtibusq; intelligentijs celebratur, prædicatur; & ſummo plauſu, atque gaudio excipitur. Sed ciues mihi nunc ſuccurrit unum, quod uos latere non patiar, cum prodeſſe nonnihil poſſit, & aliquatenus conducere ualeat inſtituendæ uitæ, & rationi quærendæ ſalutis intelligendæ. Quinam fuerint, qui natum Dei filium agnouerint, honorarint, adorarint, nemo iam ueſtrum eſt, qui neſciat. qu rum quidem ſingulorum ſi conditionem, typumq; intellexeritis, non dubito quin agnituri ſitis, quemadmodum unaquæque conditio hominũ facile ad Chriſtum accedere poſſit: & quænam in unaquaq; hominum conditione morum, uitæq; ratio ſaluti adeundæ queat omnino expedire, atque cõferre. Nam

cum uniuersa hominum conditio ita distinguatur, ut alij sacro honore insigniti præsint; alij profana dignitate præditi imperitent; alij priuatim degant, priuatæq; uitæ sint: nulla ex tribus est hominum conditio, in qua non facilè Christus possit adiri, salutisq; assequendæ ratio haberi : si modò ea, quæ ex cuiusque conditionis ratione fuerint, obseruentur. Pastores itaque quorum typo sacri pastores, Ecclesiæq; præsides referuntur; dum noctu uigilant, exactamq; ouium, siue gregum curam, custodiamq; agunt, Angelis admonentibus, interpellantibusq; adeunt Christum, Christumq; salutant. Nisi nostri nunc pastores uigilias diligentes agant; & nisi pascendi suscepto officio diligenter custodiendo oues, uigiliq; cura ouibus cauendo satisfaciant: nihil est, cur se sperent, confidantq; adituros Christum, Christumq; uisuros. Si, quod agunt, segniter oues, custodiant: si ex ouibus pingue deuorantes non minus die allucinentur, quàm noctu stertant, atque obdormiant: tam procul abest, ut Christum uideant, salutemq; adeant: ut non minus à Christo auertantur, quàm à salutis ratione decedant. Sedulò oportet custodiant nostri pastores commissos sibi greges: & uigilem curam adhibeant pascendis ouibus: si uolunt ab Angelis compellari, claritate illustrari, & potestatem consequi adeundi, inueniendiq; Christi. Arabum, Sabæorumq; Reges, dum cœlesti astro inuitante permoti, & stella duce usi, regionibus suis decesserunt, & regna relinquentes, regiumq; fastum deponentes iter ad Christum corripuerunt: &

acceptis, quæ offerrent, muneribus; Christum natum longo itinere quæsiuerunt: eum sistente stella tandem inuenerunt: & se summittentes ei obtulerunt munera: quo quidem reperto, uisóq; perfusi summo sunt gaudio; & non minus admirationis conceperunt, quàm iubili, iucunditatisq; contraxerunt. Horum Regum typo admonentur Reges, nostriq; principes profani quidnam agere, quonáq; pacto se habere debeant, ut Christum inueniant, salutemq; assequantur. Oportet enim prius, ut cõspectione stellæ, rerumq; cœlestium, atque uisiliũ contemplatione commoueantur in curam, studiumq; inueniendi, uidendiq; Christi: & deinde regnandi impotentem affectum relinquentes, regiumq; fastum deponentes, iter ad Christum corripiant: & summis studijs contendant tam contemplando, stellaq; duce utendo; quàm iter faciendo, operandoq; cum muneribus tum contemplationis, tum bonæ operationis peruenire ad Christum, Christumq; uidere: quo uiso summopere gaudeant, & summa lætitia repleantur. Sed cum illi, qui cum muneribus Christum natum adijsse memorantur, non minus magi, quàm Reges extitisse comperiantur: nõ fuerit inconueniens arbitrari hanc adeundi Christi, consequendæq; salutis rationem typo Arabum, Sabæorumq; Regibus, principibusq; nostris præscriptam, indicatamq;, respicere quoque nostros magos, literatarumq; artium studiosos: in quos adeo signanter, apteq; typi rationes cadere uidentur; ut non minus propemodum eis, quàm Regibus ipsis conue

nire, quadrareq; comperiantur. Supereſt, ut tertiam hominum conditionem attrectemus; & tã priuatis, quàm rudibus, doctrinaq; carentibus præſcriptam normam, atque rationẽ Chriſti agnoſcendi, Chriſtiq; uidendi explicemus; & eam typo bouis, atque aſelli, qui teſte propheta perhibentur dominum uidiſſe, poſſeſſoremq; agnouiſſe, deſignatam, indicatamq; interpretemur. Cui quidem interpretationi nonnihil concinnitudinis uideri poterit adijcere id Pſaltis Regis; dum memorat Deum pro eximia ſua benignitate, & cõmiſeratione non minus iumenta, quàm homines ſeruaturum. Quis neſcit bouem laborioſum eſſe animantem, multum'que ſuſtinere laboris, ſuſtinendo'que proficere, prodeſſe'que plurimum & non ſolum humanis, ſed etiã pecuarijs uſibus ſua opera, ſuoq; labore conferre mirificè? quis præterea ignorat aſellum animal eſſe inſigni humilitate, atque pacientia? & non minus uſum, utilitatemq; afferre laborem ſubeundo, toleranterq; perferendo; quàm ſe præſtare frugalem, atq; innocuũ: cum uictitet carduis, & neſciat calcibus impetere? O' potentem, efficacemq; agnoſcendi Chriſti: Chriſtiq; præſentia fruendi modum, atque rationem. Si nos, qui priuati ſumus, ſtudio laboremus proficiendi cæteris: & noſtra opera, noſtroq; officio procuremus prodeſſe alijs: nec quidquam laboris prætermittamus, quo iuuemus cæteros, beneficiſq; officijs proſequamur: nihil eſt cur diffidamus nos conſecuturos cognitionem Chriſti, Chriſtiq; præſentia fruendi copiam adepturos.

Si præterea summisse, patienterq; nosmet habuerimus in aduersis tolerandis, laboribusq; proficiendi cæteris causa subeundis: & non minus abiecto fastu, atque liuore nosmetipsos præstiterimus innocuos, quàm reiecto luxu, atque intemperantia moderatos, atque frugales; non solum ad agnitionem Christi admittemur; sed etiam eum assiduè intuebimur, eiusq; præsentia iugiter perfruemur. Considerate, animaduertite ciues, quemadmodum Deus pro sua in nos beneuolentia, suaq; nobis consulendi cura nullum modum, nullamq; rationem miss am fecerit nostri admonendi, interpellandiq; ad morum, uitæq; rectitudinem capessendam: nec satis existimauerit, rebus ipsis, uiuæq; uocis officijs rationem salutis nobis ostendere: & ad salutis habendam rationem nos prouocare; sed typis etiam rerum, animantumq; symbolis procurauerit animos nostros excitare: & ad cognitionem salutis, salutisq; adeundæ uiam adducere. Tot uijs, totq; modis utitur Deus in ostendenda salutis ratione, & in prouocando homine ad studium, curamq; eius; ut nihil rei, nihil facti, nihil historiæ in scriptis, monumentisq; Euágelicis contineri propè uideatur: quod aliquo pacto eam non respiciat: & aliquam speciem, typumq; non habeat uel eius indicandæ, uel nostri admonendorum, ad studiũq; eius excitandorum: præter illa, quæ de Christo salutis authore perhibentur apertam salutis ipsius rationem continentia; salutemque ipsam hominis palàm significantia: tam multa reperiuntur, quæ typo,

ſpecie'que quid referunt : ut nihil propemodum arbitrer inueniri; quod ſalutis aliquid non arguat, & cœleſtium rerum conditionem aliquam non deſignet. Sed quoniam ſingula quæq; proſequi non minus longum foret, quàm laborioſum; complura dimittendo, dumtaxat ea attingemus, quæ uiſa fuerint habere plus roboris in commouendis ad ſtudium ſalutis animis: & plus ponderis, atque momenti cõtinere in ipſius ſalutis ui, atq; ratione declaranda, atque comprobanda. Omnia, quæ Chriſto infante, atq; puero exiſtente contigerunt, confectáq; ſunt; ſi ſpeciatim interpretanda, & ad myſticam, moralemq; ſenſus rationem, & ad ſalutis ipſius ſcopum redigenda ſuſciperemus, rem profecto ingrederemur non breui abſoluendam; & in aliquibus plus fortè laboris, atque operæ impenderemus; quàm neceſſe foret pro negotij ſuſcepti ratione: quæ ſi fortè pluribus, quàm oporteret, proſequeremur; euenire poſſet, ut dum multiplici rerum aggeſtione tentaremus plus fructus edere; & ſalutis ſtudium efficatius animis commendare; multitudine ipſa rerũ, atque typorum oneratæ, diſtractæq; mentes minus in ea incumberent, pollerentq; conſideranda; quæ alioqui pro ſua conditione plurimum momenti habere poſſint tam in eis commouendis, excitandisq;, quàm in producendo, edendoq; ſalutis fructu. Poſſemus enim de circuncisione infantis Chriſti pluribus agere, & multifariam ratiocinari. poſſemus longo tractatu inſiſtere in delatione Chriſti in Aegyptum; & in Herodis aduerſus Chriſtum odio: tru-

cidatisq; ab Herode Christi causa infantibus. De reuocato ex Aegypto iussu patris Dei Nazarethũ Christo abundè tractare possemus: & non nihil explicare, quod aptè uideri posset typi ratione tum Christi conditioni respondere, tum morali salutis rationi consentire. Complura præterea possent commemorari de eodem Christo: dum Hierosolimam ad templũ delatus ex legis instituto fuit ulnis, manibusq; prophetæ sacerdotis exceptus: & declaratus author salutis, uindexq; humanæ libertatis. Annæ quoque prophetidis recenseri posset uaticinium; ex quo tam salutis oblatæ, seruatorisq; à Deo missi testimonium elicitur; quàm de ipsius uaticinantis nomine, conditioneq; arguitur cognoscendi Christi occasio: & prædicandæ, ostendendæq; salutis decorum indicatur. Sed hæc omnia dimittentes, ad ea progrediemur, quæ non infantem, sed loquentem, agentemq; Christum respiciunt. Cum itaque Christus adoleuisset, ut iam duodecim annorum esset: unà cum matre, uitricoq; colendi festi causa cum accessisset Hierosolimam, nauare cœpit operam pro Deo patre, & cuius causa missus erat, id exequi. Nam abscedente matre, & uitrico, cognatisq; abeuntibus ipse restitit Hierosolimæ: ubi cum scribis Hebræorum, legisq; doctoribus disceptando ea de Deo patre, de ueritatis studio, de salutis ratione protulit; ut non magis admirationem omnibus pareret, quàm non nullorum animos grauiter offenderet. O' rem pulchram, speciosamq; spectatu: ò miram auditu disceptationem. Quàm pulchrum putatis fuisse ciues, spectare puc

rum duodecim annos non excedentem inter ſenes, magiſtroſq; Hebræorum diſceptare: & non minus interrogando, quàm reſpondendo eos inſcitiæ conuincere? quàm dignum admiratu arbitramini fuiſſe, puerum impuberem audire mira, ſtupendáq; diſſerentem: & cum canis magiſtris, barbatiſq; ſenibus de Dei cultu, ueráq; colendi Dei ratione diſputantem? quem non id ſpectaculi commouere? quem non id facinoris debuerat inducere ad credendum, cui tantum ſcientiæ, atque ſapientiæ tam tenera in ætate eſſet, eum ex Deo eſſe, Deiq; filium exiſtere. Sed minus admirandum eſt, eos ſpectaculo id genus non fuiſſe commotos: quos conſtet, apparere atq; longè maioribus, mirabilioribuſq; fruſtra fuiſſe ad credendum interpellatos, atque prouocatos. Quòd ſi illi, qui eiuſmodi ſe præſtiterunt; ut tam illuſtri teſtimonio non ſinerent ſe commoueri ad credendum; de pertinaci peruerſitate, de malignáq; inuidia malè audiunt; grauiterq; redargui merentur: cauendum maxime eſt nobis, ne de quo ſcribas incuſamus, id peccemus: & ne committamus, ut quod facti, reiq; geſtæ mirabiliter arguit, comprobatq; Dei erga hominem curam, beneuolentiamq;; & diuinæ abundans teſtimonium fert benignitatis, atque potentiæ, inanimaduerſum, inconſideratumq; nobis relinquatur. Conueniens etiam fuerit, ut ex huiuſmodi rei geſtæ memoria excitemur non ſolum in admirationem diuinæ potentiæ, qua ſit effectum, ut pueri opera, pueriq; ſapientia conuicti ſint inſcitiæ tot ſenes, totq; Hebræi doctores; ſed etiã

Dei curam, beneuolentiamq́; in nos agnoscamus: dum pueri, filijq́; sui exemplo, qui non habita matris, cognatorumq́; abeuntium, ipsumq́; quærentium ratione perstitit in eis, quæ fuerant salutis agendis: nos admonendos procurauit, quàm præferre debeamus omni mundi, sanguinisq́; affectui rationem salutis: & quàm nos oporteat cœlestia terrenis, diuinaq́; humanis præponere. Ex hac præterea adulti iam Christi disceptatione cum scribis, doctoribusq́; Hebræorum habita duplex, præter historicum, sensus elici mihi posse uidetur. Nam quid prohibet, quin possimus intelligere Christum infantem, emergentemq́; in homine uirtutem huc, illucq́; ferri, agiq́;: donec ipse Christus adolescat, & parato habitu uirtus ipsa robustior euadat. Simulatq; enim uirtus in homine conualuit, & Christus adoleuit: iam non oportet, iam opus non est, ut fugiendo, diuertendoq́; aliò periculum, discrimenq́; hostile uitiorũ deuitet homo: sed consistendo, decertandoq́; potest se non solum inoffensum, illæsumq́; custodire; sed etiam ex certamine, contentioneq́; se uictorem, superioremq́; referre. Potest enim homo, in quo Christus adoleuerit, & uirtus ipsa habitu firmata fuerit, contra qui senes, inueteratiq́; fuerant uitiorum affectus, contendere, eosq́; circunsidentes, atque imminentes tam impetum ualide sustinendo, quàm uiriliter impetendo frangere, debilitare, superare. Nihil præterea uidetur obsistere; quominus habitam cum Hebræis adulti Christi disceptationem; conuictosq́; inscitiæ ab ipso Christo Hebræos senes sic possi

mus interpretari: ut Christus ipse fuerit, cuius aduentu, cuiusq; præsentia eleuata sit omnis ueterum Hebræorum interpretatio: quatenus sentiebant, suarum legum traditiones nihil præter literalem sensum continere: quæ sanè legum traditiones cum magna ex parte Christum indicarēt; Christumq; typo aliquo, siue symbolo significarent: Christo ipso facto homine, in mediumq; prodeunte deprehensæ sunt aliter, quàm uerbis sonarent, significare, atque continere. Quò effectum est, ut qui Hebræorum scribæ, doctoresq; eas intellexerant, interpretatiq; fuerant ex rerum, uerborumq; inani superficie: longè, lateq; aberrasse comprobati sint; postquā Christus in medium prodiens animaduersus est, & compertus esse: quem typo leges exprimerent, referrentq;: & in quem tanquam scopum ueteris instituti omnia propemodum monumenta referenda essent, atque dirigenda. Sed quoniam iam prohibent temporis angustiæ; ut hodie, quod superest ad dicendū, possimus id exequi; in crastinam diem conducere arbitramur: ut quod reliquum est dictionis, omnino differatur. Quò fiet præterea, ut ad audiendum uos futuri sitis promptiores, & nos interim quiescendo in dicendi arenam simus ualidiori latere prodituri.

ius ortu tum sibi, sublimiq; omni intelligentiæ summam contigisse lætitiam sunt testati; tum humano generi pacem, salutemq; futuram esse prodiderũt. Qui tam abiectè nasci, tamq; humili fortuna educi nostri causa sustinuit, præter beneuolentiam, charitatemq; insignem, quam sic nascendo ostendit erga nos; nos etiam suo exemplo prouocauit ad habendam humilitatis rationem, studiumq; summissionis ineundum: sine quo nec honor, authoritasq; in terris apud homines parari, nec fauor, plaususq; Angelorum in cœlo potest obtineri. O' ingentẽ humilitatis fructum. O' eximium summissionis emolumentum. Qui adeo summissè se gessit nascendo; ut non detrectarit in stabulo edi, in præsepe collocari, uilibus pannis inuolui: is à pastoribus honoratur, is à Regibus adoratur, is ab Angelis, cœlestibusq; intelligentijs celebratur, prædicatur; & summo plausu, atque gaudio excipitur. Sed ciues mihi nunc succurrit unum, quod uos latere non patiar, cum prodesse nonnihil possit, & aliquatenus conducere ualeat instituendæ uitæ, & rationi quærendæ salutis intelligendæ. Quinam fuerint, qui natum Dei filium agnouerint, honorarint, adorarint, nemo iam uestrum est, qui nesciat. quorum quidem singulorum si conditionem, typumq; intellexeritis, non dubito quin agnituri sitis, quemadmodum unaquæque conditio hominũ facile ad Christum accedere possit: & quænam in unaquaq; hominum conditione morum, uitæq; ratio saluti adeundæ queat omnino expedire, atque cõferre. Nam

cum uniuersa hominum conditio ita distinguatur, ut alij sacro honore insigniti præsint; alij profana dignitate præditi imperitent; alÿ priuatim degant, priuatæq; uitæ sint: nulla ex tribus est hominum conditio, in qua non facilè Christus possit adiri, salutisq; assequendæ ratio haberi : si modò ea, quæ ex cuiusque conditionis ratione fuerint, obseruentur. Pastores itaque quorum typo sacri pastores, Ecclesiæq; præsides referuntur; dum noctu uigilant, exactamq; ouium, siue gregum curam, custodiamq; agunt, Angelis admonentibus, interpellantibusq; adeunt Christum, Christumq; salutant. Nisi nostri nunc pastores uigilias diligentes agant; & nisi pascendi suscepto officio diligenter custodiendo oues, uigiliq; cura ouibus cauendo satisfaciant: nihil est, cur se sperent, confidantq; adituros Christum, Christumq; uisuros. Si, quod agunt, segniter oues, custodiant: si ex ouibus pingue deuorantes non minus die allucinentur, quàm noctu stertant, atque obdormiant: tam procul abest, ut Christum uideant, salutemq; adeant: ut non minus à Christo auertãtur, quàm à alutis ratione decedant. Sedulò oportet custodiant nostri pastores commissos sibi greges: & uigilem curam adhibeant pascendis ouibus. si uolunt ab Angelis compellari, claritate illustrari, & potestatem consequi adeundi, inueniendiq; Christi. Arabum, Sabæorumq; Reges, dum cœlesti astro inuitante permoti, & stella duce usi, regionibus suis decesserunt, & regna relinquentes, regiumq; fastum deponentes iter ad Christum corripuerunt: &

acceptis, quæ offerrent, muneribus; Christum na
tum longo itinere quæsiuerunt: eum sistente stella
tandem inuenerunt: & se summittentes ei obtule
runt munera: quo quidem reperto, uisóq; perfusi
summo sunt gaudio; & non minus admirationis
conceperunt, quàm iubili, iucunditatisq; contra=
xerunt. Horum Regum typo admonentur Reges,
nostriq; principes profani quidnam agere, quonáq;
pacto se habere debeant, ut Christum inueniant, sa
lutemq; assequantur. Oportet enim prius, ut cõspe=
ctione stellæ, rerumq; cœlestium, atque uisiliũ con=
templatione commoueantur in curam, studiumq;
inueniendi, uidendiq; Christi: & deinde regnan=
di impotentem affectum relinquentes, regiumq;
fastum deponentes, iter ad Christum corripiant: &
summis studijs contendant tam contemplando, stel=
láq; duce utendo; quàm iter faciendo, operandóq;
cum muneribus tum contemplationis, tum bonæ o=
perationis peruenire ad Christum, Christumq; uide=
re: quo uiso summopere gaudeant, & summa læ=
titia repleantur. Sed cum illi, qui cum muneribus
Christum natum adiisse memorantur, non minus
magi, quàm Reges extitisse comperiantur: nõ fue=
rit inconueniens arbitrari hanc adeundi Christi, con
sequendæq; salutis rationem typo Arabum, Sabæo=
rumq; Regibus, principibusq; nostris præscriptam,
indicatamq;, respicere quoque nostros magos, lite=
ratarumq; artium studiosos: in quos adeo signan=
ter, apteq; typi rationes cadere uidentur; ut non
minus propemodum eis, quàm Regibus ipsis conue

nire, quadrareq; comperiantur. Supereſt, ut terti
am hominum conditionem attrectemus; & tã pri
uatis, quàm rudibus, doctrinaq; carentibus præ=
ſcriptam normam, atque rationẽ Chriſti agnoſcen=
di, Chriſtiq; uidendi explicemus; & eam typo bo=
uis, atque aſelli, qui teſte propheta perhibentur do
minum uidiſſe, poſſeſſoremq; agnouiſſe, deſigna=
tam, indicatamq; interpretemur. Cui quidem in=
terpretationi nonnihil concinnitudinis uideri pote=
rit adijcere id Pſaltis Regis; dum memorat Deum
pro eximia ſua benignitate, & cõmiſeratione non
minus iumenta, quàm homines ſeruaturum. Quis
neſcit bouem laborioſum eſſe animantem, mul=
tum'que ſuſtinere laboris, ſuſtinendo'que profice=
re, prodeſſe'que plurimum & non ſolum humanis,
ſed etiã pecuarijs uſibus ſua opera, ſuoq; labore con
ferre mirificè? quis præterea ignorat aſellum ani=
mal eſſe inſigni humilitate, atque pacientia? &
non minus uſum, utilitatemq; afferre laborem ſub=
eundo, toleranterq; perferendo; quàm ſe præſtare
frugalem, atq; innocuũ: cum uictitet carduis, & ne
ſciat calcibus impetere? O' potentem, efficacemq; a=
gnoſcendi Chriſti: Chriſtiq; præſentia fruendi mo=
dum, atque rationem. Si nos, qui priuati ſumus,
ſtudio laboremus proficiendi cæteris: & noſtra ope
ra, noſtroq; officio procuremus prodeſſe alijs: nec
quidquam laboris prætermittamus, quo iuuemus
cæteros, beneficiisq; officijs proſequamur: nihil eſt
cur diffidamus nos conſecuturos cognitionem Chri=
ſti, Chriſtiq; præſentia fruendi copiam adepturos.

Si præterea summissè, patienterq; nosmet habuerimus in aduersis tolerandis, laboribusq; proficiendi cæteris causa subeundis: & non minus abiecto fastu, atque liuore nosmetipsos præstiterimus innocuos, quàm reiecto luxu, atque intemperantia moderatos, atque frugales; non solum ad agnitionem Christi admittemur; sed etiam eum assiduè intuebimur, eiusq; præsentia iugiter perfruemur. Considerate, animaduertite ciues, quemadmodum Deus pro sua in nos beneuolentia, suaq; nobis consulendi cura nullum modum, nullamq; rationem missam fecerit nostri admonendi, interpellandiq; ad morum, uitæq; rectitudinem capessendam: nec satis existimauerit, rebus ipsis, uiuæq; uocis officijs rationem salutis nobis ostendere: & ad salutis habendam rationem nos prouocare; sed typis etiam rerum, animantumq; symbolis procurauerit animos nostros excitare: & ad cognitionem salutis, salutisq; adeundæ uiam adducere. Tot uijs, totq; modis utitur Deus in ostendenda salutis ratione, & in prouocando homine ad studium, curamq; eius; ut nihil rei, nihil facti, nihil historiæ in scriptis, monumentisq; Euãgelicis contineri propè uideatur: quod aliquo pacto eam non respiciat: & aliquam speciem, typumq; non habeat uel eius indicandæ, uel nostri admonendorum, ad studiũq; eius excitandorum: præter illa, quæ de Christo salutis authore perhibentur apertam salutis ipsius rationem continentia; salutem'que ipsam hominis palàm significantia: tam multa reperiuntur, quæ typo,

ſpecie'que quid referunt: ut nihil propemodum arbitrer inueniri; quod ſalutis aliquid non arguat, & cœleſtium rerum conditionem aliquam non deſignet. Sed quoniam ſingula quæq; proſequi non minus longum foret, quàm laborioſum; complura dimittendo, dumtaxat ea attingemus, quæ uiſa fuerint habere plus roboris in commouendis ad ſtudium ſalutis animis: & plus ponderis, atque momenti cõtinere in ipſius ſalutis ui, atq; ratione declaranda, atque comprobanda. Omnia, quæ Chriſto infante, atq; puero exiſtente contigerunt, confectáq; ſunt; ſi ſpeciatim interpretanda, & ad myſticam, moralemq; ſenſus rationem, & ad ſalutis ipſius ſcopum redigenda ſuſciperemus, rem profecto ingrederemur non breui abſoluendam; & in aliquibus plus fortè laboris, atque operæ impenderemus; quàm neceſſe foret pro negotij ſuſcepti ratione: quæ ſi fortè pluribus, quàm oporteret, proſequeremur; euenire poſſet, ut dum multiplici rerum aggeſtione tentaremus plus fructus edere; & ſalutis ſtudium efficatius animis commendare; multitudine ipſa rerũ, atque typorum oneratæ, diſtractæq; mentes minus in ea incumberent, pollerentq; conſideranda; quæ alioqui pro ſua conditione plurimum momenti habere poſſint tam in eis commouendis, excitandisq;, quàm in producendo, edendoq; ſalutis fructu. Poſſemus enim de circunciſione infantis Chriſti pluribus agere, & multifariam ratiocinari. poſſemus longo tractatu inſiſtere in delatione Chriſti in Aegyptum; & in Herodis aduerſus Chriſtum odio: tru=

cidatisq; ab Herode Christi causa infantibus. De reuocato ex Aegypto iussu patris Dei Nazarethũ Christo abundè tractare possemus: & non nihil explicare, quod aptè uideri posset typi ratione tum Christi conditioni respondere, tum morali salutis rationi consentire. Complura præterea possent commemorari de eodem Christo: dum Hierosolimam ad templũ delatus ex legis instituto fuit ulnis, manibusq; prophetæ sacerdotis exceptus: & declaratus author salutis, uindexq; humanæ libertatis. Annæ quoque prophetidis recenseri posset uaticinium; ex quo tam salutis oblatæ, seruatorisq; à Deo missi testimonium elicitur; quàm de ipsius uaticinantis nomine, conditioneq; arguitur cognoscendi Christi occasio: & prædicandæ, ostendendæq; salutis decorum indicatur. Sed hæc omnia dimittentes, ad ea progrediemur, quæ non infantem, sed loquentem, agentemq; Christum respiciunt. Cum itaque Christus adoleuisset, ut iam duodecim annorum esset: unà cum matre, uitricoq; colendi festi causa cum accessisset Hierosolimam, nauare cœpit operam pro Deo patre, & cuius causa missus erat, id exequi. Nam abscedente matre, & uitrico, cognatisq; abeuntibus ipse restitit Hierosolimæ: ubi cum scribis Hebræorum, legisq; doctoribus disceptando ea de Deo patre, de ueritatis studio, de salutis ratione protulit; ut non magis admirationem omnibus pareret, quàm non nullorum animos grauiter offenderet. O rem pulchram, speciosamq; spectatu: ò miram auditu disceptationem. Quàm pulchrum putatis fuisse ciues, spectare puc

rum duodecim annos non excedentem inter ſenes, magiſtroſq; Hebræorum diſceptare: & non minus interrogando, quàm reſpondendo eos inſcitiæ conuincere? quàm dignum admiratu arbitramini fuiſſe, puerum impuberem audire mira, ſtupendaq; diſſerentem: & cum canis magiſtris, barbatiſq; ſenibus de Dei cultu, ueraq; colendi Dei ratione diſputantem? quem non id ſpectaculi commouere? quem non id facinoris debuerat inducere ad credendum, cui tantum ſcientiæ, atque ſapientiæ tam tenera in ætate eſſet, eum ex Deo eſſe, Deiq; filium exiſtere. Sed minus admirandum eſt, eos ſpectaculo id genus non fuiſſe commotos: quos conſtet, appareatq; longè maioribus, mirabilioribuſq; fruſtra fuiſſe ad credendum interpellatos, atque prouocatos.
Quòd ſi illi, qui eiuſmodi ſe præſtiterunt; ut tam illuſtri teſtimonio non ſinerent ſe commoueri ad credendum; de pertinaci peruerſitate, de malignaq; inuidia malè audiunt; grauiterq; redargui merentur: cauendum maxime eſt nobis, ne de quo ſcribas incuſamus, id peccemus: & ne committamus, ut quod facti, reiq; geſtæ mirabiliter arguit, comprobatq; Dei erga hominem curam, beneuolentiamq; & diuinæ abundans teſtimonium fert benignitatis, atque potentiæ, inanimaduerſum, inconſideratumq; nobis relinquatur. Conueniens etiam fuerit, ut ex huiuſmodi rei geſtæ memoria excitemur non ſolum in admirationem diuinæ potentiæ, qua ſit effectum, ut pueri opera, pueriq; ſapientia conuicti ſint inſcitiæ tot ſenes, totq; Hebræi doctores; ſed etiã

Dei curam, beneuolentiamq; in nos agnoscamus: dum pueri, filijq; sui exemplo, qui non habita matris, cognatorumq; abeuntium, ipsumq; quærentium ratione perstitit in eis, quæ fuerant salutis agendis: nos admonendos procurauit, quàm præferre debeamus omni mundi, sanguinisq; affectui rationem salutis: & quàm nos oporteat cœlestia terrenis, diuinaq; humanis præponere. Ex hac præterea adulti iam Christi disceptatione cum scribis, doctoribusq; Hebræorum habita duplex, præter historicum, sensus elici mihi posse uidetur. Nam quid prohibet, quin possimus intelligere Christum infantem, emergentemq; in homine uirtutem huc, illucq; ferri, agiq;: donec ipse Christus adolescat, & parato habitu uirtus ipsa robustior euadat. Simulatq; enim uirtus in homine conualuit, & Christus adoleuit: iam non oportet, iam opus non est, ut fugiendo, diuertendoq; aliò periculum, discrimenq; hostile uitiorũ deuitet homo: sed consistendo, decertandoq; potest se non solum inoffensum, illæsumq; custodire; sed etiam ex certamine, contentioneq; se uictorem, superioremq; referre. Potest enim homo, in quo Christus adoleuerit, & uirtus ipsa habitu firmata fuerit, contra qui senes, inueteratiq; fuerant uitiorum affectus, contendere, eosq; circunsidentes, atque imminentes tam impetum ualide sustinendo, quàm uiriliter impetendo frangere, debilitare, superare. Nihil præterea uidetur obsistere; quominus habitam cum Hebræis adulti Christi disceptationem; conuictosq; inscitiæ ab ipso Christo Hebræos senes sic possi

mus interpretari: ut Christus ipse fuerit, cuius aduentu, cuiusq; præsentia eleuata sit omnis ueterum Hebræorum interpretatio: quatenus sentiebant, suarum legum traditiones nihil præter literalem sensum continere: quæ sanè legum traditiones cum magna ex parte Christum indicarēt; Christumq; typo aliquo, siue symbolo significarent: Christo ipso facto homine, in mediumq; prodeunte deprehensæ sunt aliter, quàm uerbis sonarent, significare, atque continere. Quò effectum est, ut qui Hebræorum scribæ, doctoresq; eas intellexerant, interpretatiq; fuerant ex rerum, uerborumq; inani superficie: longè, lateq; aberrasse comprobati sint; postquã Christus in medium prodiens animaduersus est, & compertus esse: quem typo leges exprimerent, referrentq;: & in quem tanquam scopum ueteris instituti omnia propemodum monumenta referenda essent, atque dirigenda. Sed quoniam iam prohibent temporis angustiæ; ut hodie, quod superest ad dicendũ, possimus id exequi; in crastinam diem conducere arbitramur: ut quod reliquum est dictionis, omnino differatur. Quò fiet præterea, ut ad audiendum uos futuri sitis promptiores, & nos interim quiescendo in dicendi arenam simus ualidiori latere prodituri.

IVNIORIS LVDOVICI PARISETI REGIENSIS DE DIVINA IN HOMINEM BENEVOLENTIA, ATQVE BENEFICENTIA AD VIROS REGIENSES ORATIO TERTIA.

AD eam, quam ciues mei præstitistis hactenus ad me audiendum diligentiam, tantum accessionis hodie opus est ut intercedat: quantum par est, atque conuenit pro maiori, quam paramus tam charitatis, quàm beneficentiæ diuinæ explicandæ prouincia. quæ planè eó momenti, atque magnitudinis pertingit: ut nihil omnino possit excogitari, menteq; humana complecti; quod ad eius incrementum ualeat adferri, uimq; eius cumulatius, atque perfectius argumentari. Salutaribus documentis, beneficis actionibus, sacramentis institutis, & obita denique morte Christus Deus, Deiq; filius tantum beneuolentiæ, & charitatis in genus humanum ostendit, & tantum beneficentiæ in nos exercuit; ut id quancunq; cogitationis aciem tam superet; quàm nulla oris, aut loquendi facultate satis explicari possit. Tam non oportet interea ut remittatis animos, aut segnes ad audiendum uosmet præstetis: ut si quid attentionis superioribus actioni

bus adhibuistis, id totum sine fructu uobis sit casurum; nisi in hanc, quæ superest extremo actionem sic incumbatis auribus, atque animis: ut nihil effluere permittatis, quin memoriæ commendetis, & uehementi affectu in animum non recondatis. Iam Christus ephebis excesserat, & uir factus animaduerterat appetere iam tempus, ut in publicum se daret: & tam exemplo uitæ, quàm institutis, & monitis rationem salutis aperiret omnino, atque patefaceret. Quapropter sacri lauacri uirtutem inducturus; & expiandi peccati, expurgandæq; sordis homini ingenitæ remedium editurus Iordanem fluuiũ accessit; ibiq; se Ioanni tradidit fluminis aqua abluendum. Quod enim lauacrum pœnitentiæ instituerat Ioannes, id abluto Christo, in quem nec ulla pœnitentiæ ratio, nec labis, sordis'ue ulla conditio cadebat; effectum est remedium salutare. Nescio ciues admirari'ne magis hic oporteat Christi summissionem, quam præstitit adeundo Ioannem, à quo ablueretur: an uirtutem, quam ablutus intulit institutæ à Ioanne ablutioni. Quid enim mansuetius fieri, quid agi summissius potuisset à Christo, quàm cum ipse Deus foret, & omnem in se perfectionis, salutisq; contineret rationem; ultrò accedere ad hominem, & se se ei offerre abluendum: quem foret ipse unà cum reliquis hominibus abluturus? O` miram Christi mansuetudinem; ò maximam seruatoris nostri summissionem. Qui Rex erat, & Dominus ultrò adiuit, conuenitq; seruum: cui deferret, quem honoraret, cui se summitteret. Qui genus huma-

num expiaturus, qui ſorde peccati naturam huma nam expurgaturus erat; is ſe, cum omnis expers labis eſſet, et peccati: homini abluendum obtulit, & eius officio ſe ſubdidit: cui ipſe tam præeſſet, tamq; præemineret, ut omnem ei exercendi officij authori tatem, poteſtatemq; præſtaret. Exemplo Chriſti ad= diſcamus mei ciues non tumere animis, non efferri faſtu, non placere nobis metipſis. diſcamus ex Chriſto ſeruatore noſtro non ſolum maioribus, æqualibusq; noſtris deferre, honoremq; exhibere: ſed etiam inter dum inferioribus noſtris cedere, noſtrosq; inferiores honeſtè, reuerenterq; habere: quatenus uel officij ratio exigere, uel publici profectus exempli expoſce re uideatur. Quàm ſit faſtus, elationisq; uitium per nitioſum, ſalutisq; rationi aduerſum; docere ſatis nos illi poſſunt, qui cum ſalute læta potirentur, & & beate, feliciterq; uiuerent, faſtu deiecti ſunt à felicitate: & amiſſa, qua potiebantur ſalute, ef= fecti ſunt miſeri; & æternis ſupplicijs, atque tor= mentis fuere mancipati. Quàm ex aduerſo man= ſuetudinis uirtus, ipſaq; ſummiſſio grata, acceptaq; ſit Deo; ſalutisq; rationi conueniat, conducatq;: abunde poſſumus edoceri exemplo Chriſti: qui nul= lius rei, nulliusq; uirtutis tam agendo, quàm docē do ſpecimen frequentius edidit; quàm manſuetudi nis, atque ſummiſſionis: & qui ſimulatq; adiuit Ioannem, Ioanniq; ſe obtulit abluendum: uoce cœ litus emiſſa palam aſſertus eſt Dei amatus, placensq; filius: & declaratus eſt ſalutis author: quem audi= re, cui obtemperare, fidemq; adhibere oporteret

omnes,

omnes, qui seruari uellent, quiq; salutem conse= qui curarent. Quantum uirtutis, atque roboris ablutus à Ioanne Christus instituto lauacro attule= rit, satis indicare aperti cœli typus, & descenden= tis columbæ symbolum possunt: cum quod abluto Christo apertum perhibetur cœlum, designet Christi uirtutem sacro lauacro inditam, in causa fore; ut aditus salutis homini recludatur, & cœli ipsius in= gressus, felicitatisq; diuinæ accessus humano gene ri concedatur. Descensus columbæ, quæ diuini, san ctiq; spiritus symbolum gerit: arguit sacri lauacri uirtutem eam fore, ut sancti spiritus donum, gra= tiamq; in se contineat. Quæ lauacri, ablutionisq; facta fuerat à Ioanne institutio, non solum à Chri sto, dum abluitur, comprobata censetur: sed etiam illata uirtute sic effecta est Christi: ut nō tam ad pœ- nitentiam iam prouocaret, quàm ad salutem condu ceret. Quod à Ioanne institutum fuerat lauacrum: cum nihil in se uirtutis, nihil in se uirium haberet ad inducendam salutem, conferendamq; gratiam: Christo abluto sic consecratum est, sic effectum est Christi: ut iam salutem, donumq; gratiæ habitu in se contineret; quandoquidem non prius actu salus, atque gratia ei censenda est accessisse: quàm Chri= stus mortem pertulerit, qua salutis ratio confecta est actu: & qua sacramentorum institutio summam consecuta est coroniden: extremamq; perfectionis, effectusq; manum accepit. O salutarem sacri laua cri institutionem: o potens, plenumq; uirtutis, & uirium sacramentum. Nimirum potens, plenumq;

uirtutis est baptismi sacramentum: & salutis inducendæ plenam, perfectamq; rationem habet, hominiq; salutem affert: si modo quod rei ipsius est, non tantum symboli suscipiatur ab homine. Non sufficit stratam esse uiam ad salutem; non satis est apertã esse portam ingrediendæ salutis: nisi cui strata est uia, apertaq; porta, iter corripiat: ingrediendiq; rationem ineat. Quemadmodum ad parandam uictoriam, superandosq; hostes non sufficit, quem esse bene armatum, & telis, armisq; abunde munitum, nisi se ipse opponat hostibus: & resistendo strenue, fortiterq; pugnet, decertetq;: ita pro obtinenda uictoria contra hostes animæ, & pro salute ipsius animæ consequenda non satis est, ut induti simus armis sacræ lotionis, telaq; habeamus sacri baptismi: quibus tueri nos ab hostibus possimus; & à nobis hostilem impetum propulsare: nisi armati decertemus uiriliter, & impigre nos habeamus: tam tela exercendo, quàm impetum sustinendo. Quis præterea nescit urbem, licet præsidio sit bene munita, propugnaculisq; ualide instructa non saluam fore ab impugnantium manibus, hostiumq; direptione: nisi pro mœnibus acriter pugnetur; & propugnaculis constanter insistatur: ne possint hostes conscendere, urbemq; ipsam occupare. Præsidij instar, instarq; propugnaculi nobis est baptismi sacramentum: quo facile, nisi segniter agamus, negligenterq; nosmet custodiamus: possumus manus, impetumq; hostium incolumes euadere: & parta ex hostibus uictoria sospitatem consequi, atque salutem.

Consequemur sanè sospitatem, salutemq́; haud dubiè adipiscemur; si præter symbolum, sacramentumq́; baptismi procurauerimus id, quod typo baptismi continetur, assequi. Assequemur enim quod baptismi typo continetur, si Christum imitantes, Christiq́; institutis, monitisq́; parentes ita uiuamus; ut quam corpore lotionem, siue baptismum acceperimus, referamus ad animum; & animum ipsum non solum uitiorum sordibus expurgemus, maculisq́; affectuum humanorum emundemus, sed etiam uirtutibus exornemus, & uitæ puritate, atque innocentia illustremus. Non alium, quàm animi arbitror esse illum baptismum, de quo meminisse legitur Ioannes, cum Christum laudans, Christumq́; palam laudibus efferens futurum dixit, ut ipse Christus non aqua, sed igne, & spiritu ablueret, baptizaretq́; homines. O' uerum, genuinumq́; hominis baptismum. Hic est ille baptismus, qui fuit à Christo institutus, & Christum habuit authorem; & quem Christus ipse tam exemplo, uitaq́; docuit, quàm traditione, institutioneq́; quodam sub typo indicauit. Hæc est illa uera, salutarisq́; lotio, quam quicunque subiuerit, Dei gratiam init, Christo amicitia coniungitur, sancti spiritus consortio fruitur, & felicitatem, salutemq́; consequitur. Si uolumus mei ciues omnino salutis rationem habere; si tutò ad salutem contendere quærimus; si Christi institutioni, propositoq́; planè satisfacere curamus: non solum quod aqua, rerumq́; symbolis constat, lotionis sacramentum sumere nos oportet; sed etiam præsta

re, exequiq́; quod eiusmodi sacramenti symbolo continetur: & quod ad salutem obtinendam, genuinamq́; Christi institutionem implendam pertinere uidetur. Si putaremus solo sacramenti symbolo peruenire posse à nobis ad salutem; & nos posse non præstito, quod symbolo exigitur, neque quæsito, quod lotionis aqueæ typo refertur, pertingere ad regnum Christi, salutemq́; à Christo oblatam consequi: non minus propemodum falleremur, quàm si crederemus, arbitraremur'ue umbrã rei æquipollere perinde, atque ipsam rem: & eandem esse imaginis, quæ sit rei imagine relatæ, rationem. Non est ciues, non est fratres, cur arbitremur nos effici, constituiq́; Christianos, Christi'ue homines sola sacri lauacri lotione, solumq́; corporibus aqua ablutis. Christianos nos efficit, Christi homines nos reddit Christi ipsius imitatio, & eius baptismatis, siue ablutionis susceptio; quæ non corpus, sed animum respicit: & quæ abluti corporis typo refertur ad animum, animiq́; ablutionem indicat, atque designat. Ea sanè corporis ablutio pro ui, uirtuteq́; mirifica, quam consequitur ex approbatione, institutioneq́; Christi, & ex Christi ipsius, diuinæ'ue Trinitatis inuocatione operatur: ut nexus ille, quo ex primi hominis peccato eramus obstricti, exoluatur: & aditus, qui fuerat ad salutem acquirendam conclusus referetur, adaperiaturq́;: & occasio, quæ nulla prius fuerat salutis obtinendæ, offeratur, atque exhibeatur. Sed nisi procuremus sic uiuere, uitæq́; huius rationem sic instituere: ut quæ corporis facta est ablutio, rediga

tur ad animum: & qui baptismus corpore susceptus est, re ipsa absoluatur in animo; non arbitror, non existimo fore, ut impleamus quod pro salute adipiscenda exigatur: & quod exactè ad salutis assequendæ rationem pertineat. Ex hac nimirum sacri lauacri institutione satis ingentem possumus ciues arguere Dei, Christiq; in nos beneuolentiam, beneficentiamq;: qui non solum procurarit nos monitis, exemplo, miraculis inuitandos, prouocandosq; ad salutem, sed etiam sacri lauacri institutione, uirtuteq; abstulerit, quidquid impedimenti poterat nobis esse, quominus possemus ad salutem contendere, salutisq; oblatum beneficium arripere. Christus enim pro sua in nos charitate, nobisq; consulendi cura; prius quàm mortali uita excederet: procurauit institutionem sacri lauacri faciendam: qua non tam quod foret homini impedimenti ad quærendam salutem, auferretur; quàm excitaretur, prouocareturq; homo ad cultum Deo exhibendum, retinendamq; Dei memoriam: & ad præstandum animo, quod corpore præstitum animaduerteret ad salutis consecutionem non exactè sufficere: & omni ex parte saluti quærendæ non satisfacere. Præter enim fidem, quæ huiuscemodi sacramento in homine erga Deum excitatur; & præter spem, quæ de Deo concipitur in homine huius sacramenti susceptione; admonetur etiam homo huiusce sacramenti typo eorum, quæ salutis comparandæ causa sint animo præstanda: & interpellatur ad habendam rationem eorum, quæ maximè faciant, necessariaq; sint ad sub-

eundum Christi regnum, salutemq; acquirendam. Postquàm adito Ioanne, institutoq; lauacri sacramento Christus non minus mansuetudinis, summissionisq; insigne exemplum prodidit: quàm suam erga hominum genus beneuolentiam, charitatemq; ostendit: ne forte uia salutis nimis arctari uideretur, & ne quid intactum relinqueretur; quo pro rei occasione hominis uita posset institui: & quo posset ipse homo pro sua conditione plenius admoneri: unà cum matre nuptiale conuiuium adiuit; & sua præsentia non tam honesti conuictus rationē, quàm nuptiarum, connubijq; institutionem approbauit. Adeundo Christus nuptias connubij uidetur institutionem ita approbasse; ut tamen conuiuij nuptialis finem conuersa in uinum aqua ipse condiret. Non approbat Christus nuptias, nisi quas mutata in uinum aqua ipse condiat; & quarum finem suauiori ipse uino excipiat. Mutata in uinum aqua conditæ censentur illæ à Christo nuptiæ, quæ non fluxa Veneris libidine contrahuntur, nec bellùini appetitus exatiandi causa ineuntur, sed sobolis edendæ, propagandiq; generis gratia celebrantur. Earum nuptiarum finem suauiori uino excepit Christus, quæ contrahentium, conuenientiumq; proposito diriguntur eò, tenduntq;, ut suscipiatur soboles; et committendi peccati occasio procul arceatur: cum ea sit continentiæ ratio, ut non paruo negotio custodiatur; et dumtaxat ab eo, à quo possit, præstari, seruariq; authoritate Christi iubeatur. Ne forte existimaretur Christus uiam salutis aperuisse dumtaxat eis, qui

casta uita, & continenti ipsum forent imitati: tam adeundo nuptias connubij societatem approbauit, quàm sufficiendo uinum nuptijs indicauit, quæ nuptiarum conditio, qui'ue finis connubij conueniré posset salutis rationi. O' summam Dei liberalitatem: ò mirificam Dei erga hominem benignitatem, atq; indulgentiam. Non solum salutis munus opera filij obtulit eis, qui continenter, casteq; uiuendo filium ipsum imitarentur; sed etiam eos, qui obstringerentur connubio, admisit, idoneosq; pro sua benignitate existimauit; qui salutem consequerentur, salutisq; uiam ingredi, tenereq; possent. Pro sua benefaciendi omnibus propensione, pro suaq; in omnes beneuola uoluntate Deus nullum genus, nullamq; conditionem hominum passus est excludi, arceriq; à salutis institutæ beneficio. Non arcentur, non excluduntur à salutis beneficio consequendo nuptiæ: dummodo eis intersit Christus, earumq; finem suffecto suæ gratiæ uino excipiat. Non interest Christus nuptijs; non excipit Christus suffecto gratiæ suæ uino finem nuptiarum; nisi ipsæ nuptiæ in legitimum, iustumq; scopum dirigantur: & sobolis procreandæ, euitandiq; peccati propositum finem habeant. Si sic celebrentur nuptiæ, connubijq; fœdus ita ineatur; ut Christus præ oculis, præsensq; habeatur. & finis connubij, nuptiarum'ue sic intendatur: ut suaui diuinæ gratiæ uino excipiatur: nihil ambigendum, nihil hæsitandum est; quin huiusmodi nuptiæ ad salutem pertineat, salutisq; consequendæ rationem in se admittant. Sed quò clari=

us res innotescat; & pateat omnino, cuiusmodi oporteat eos esse: qui nuptijs obstricti, connubialiq; fœdere detenti salutem consequi possint, & ad salutem pertingere ualeãt: opus est, ut exactius aquæ in uinum uersæ typum explicemus: et quidquid rei, symbolo sex hydriarum continetur, aperiamus. nihil enim rei, nihilq; miraculi editum comperitur à Christo, quod præter speciem, formamq;, quam præseferat; aliquid internæ significationis, intimiq; sensus institutionem animæ, salutisq; rationem respicientis non comprehendat; atque complectatur.
Sex itaque hydriæ, quas immutata, quam continebant, aqua uino repleuit Christus in nuptijs, indicant, designant'que quinque distinctos hominis unà cum communi sensus: qui nisi fluxo, insipidoq; aquæ, uoluptatisq; uanæ latice immutato, Christi beneficio repleantur uino; diuinæq; gratiæ suauem, dulcem'que liquorem accipiant; & loco insipidæ, uanæ'que uoluptatis suauem, sapidam'que uoluptatem suscipiant; quæ Christi opera ex quocunque sensili prodire potest; dum sic sensilis fruendi ratio initur; ut in Deum uirtus omnis sentiendi, ipsaq; sensus efficatia dirigatur: nihil est cur speremus, ut nuptijs lætè, feliciterq; agendis expediant, & finem ipsum nuptiarum suauem, iucundumq; constituant. Nisi enim sensuum huiusmodi capacitas ex Christi opera, rationisq; norma sensilia accipiat: non solum confit, ut nuptiæ lætum finem non sortiantur: sed etiam euenit; ut conuictus humani, conuiuijq; huius mortalis tota

ratio perturbetur, & sui finis felicitate fraudetur. Si uolumus igitur ciues, ut nuptiæ feliciter cedant, lætumq́; salutis finem consequantur; oportet procurare, ut Christus eis intersit, seq́; præsentem præbeat; qui merum diuinæ gratiæ sufficiat: & quidquid aquæ sex hydrijs alioqui continetur, uertat in uinum; & quod insipidi laticis, uanæq́; uoluptatis insit sensibus: immutet, conuertatque in uoluptatem, quæ ratione constans non minus contineat saporis, quàm salutis. Nimirum tam sua Christus in nuptijs præsentia connubij, nuptiarumq́; institutionem approbauit; quàm uersæ in uinũ aquæ typo indicauit; cuiusmodi pro quærenda salute oporteret esse nuptiarum, nuptiasq́; agẽtium conditionem. Quin mutata in uinũ aqua, editoq́; ingenti miraculo suam, Deiq́; patris potestatem sic euidenter testatus est; ut tam patri, quã sibi plurimum fidei conciliaret apud quoscunq́;, qui nuptijs interessent. Putatis'ne ciues tam celebri in cõuentu id editum à Christo miraculum, ut sibi captaret auram hominum, sibiq́; ipsi, atque patri, captato honore consuleret? Non id quidem miraculi operatus est Christus, ut sibi consuleret; suiq́; causa, aut patris contraheret fidem hominum, hominumq́; admirationem prouocaret. Nihil enim inanius cogitari, nihil absurdius credi posset, quàm Deum, Deiq́; filium, qui pro sua perfectione nullius rei, boniq́; adeo indiget, ut omnium rerũ causam, totiusq́; boni rationem in se contineat; sui causa, sibiq́; consulendi gratia quærere apud homines

gloriam, & studere fidei, admirationiq; hominum sibicontrahendæ, atque conciliandæ. Nihil minus fieri potest, quàm ut Deus, à quo sumus, à quo pendemus, à quo uitam, substantiamq; habemus: nostri in quoquam indigeat: & sui causa, suæq; conditionis melioris efficiendæ gratia quærat sibi gloriam apud nos parare, sibiq; fidem conciliare. Nostri itaque causa, nobis consulendi, proficiendiq; gratia egit id miraculi Christus. Cum enim nostræ salutis ratio in eo consisteret, ut fidem erga Deum conciperemus: & agnita Dei potestate, atque uirtute in eius admirationem ageremur: actiq; admiratione ad eum induceremur colendum, amandumq;: eius fuit, qui pro sua in nos beneuolentia, & charitate consulere omnino nobis, nostræq; saluti prospicere procuraret: id facere, id edere: quo maximè agi possemus ad fidem, admirationemq; concipiendam; quas sciret necessarias pro inducendo cultu, & amore: in quorũ ratione ipsa salutis nostræ ratio foret collocata. Nec solum miraculo huiusmodi studuit Christus in sui, Deiq; patris admirationem, cultumq; hominem prouocare, in uiamq; salutis excire; sed etiam matris redarguto, quo compellabatur ad miraculi editionem affectu admonere, quàm consequendæ salutis instituto non conueniret, quidquam agere humanæ gloriæ captandæ causa; aut efficere aliquid humani affectus contemplatione, placendiq; hominibus gratia. Qui celebritatem nuptiarum adeundo, conuictumq; hominum, & consuetudinem ineundo actiuæ uitæ rationem com

probauit; idoneamq; satis quærendæ saluti indicauit: idem Eremi solitudinem petendo, desertumq; cultoribus locum accedendo significauit: quàm solitariæ uitæ ratio, quàmq; contemplatiuæ uitæ conditio saluti congrueret consequendæ; & homini conueniret ad perfectiorem uirtutis, sanctitatisq; consecutionem deducendo. Christus itaque salutis archetypus à consuetudine hominum se abduxit, Eremumq; adiuit: ubi cum dies quadraginta commoratus esset; & ab omni tam cibi, quàm potus genere abstinendo ieiunasset: acriter tentatus perhibetur à Diabolo; cui adeo non cessisse, detulisseq; refertur: ut eo insolentiæ, malitiæq; conuicto longè superior euaderet, triumphumq; insignem de eo referret. Agnoscitis'ne ciues, quanti momenti esse suo exemplo comprobet Christus uitæ solitariæ, contemplatiuæq; conditionem: in qua licet homo incessatur acriter dolis, impressionibusq; Diaboli; tamẽ tam non cedat, tam nõ succumbat; ut eo superato palmã referat, reportetq; uictoriam. Animaduertitis'ne præterea, quàm Christi exemplo commendetur ieiunij obseruatio, & potens, efficaxq; comprobetur? qua non solum intrepidè aduersus uitia, uitiorumq; patrem Diabolum possit homo decertare; sed etiam tam Diabolo, quàm uitijs superatis uictoriam obtinere. Simulac Christus quadraginta dies ieiunauit: conatum omnem tentantis, infestantisq; Diaboli fregit; & triplicem impetendi dolum omnino superauit. Nec solum peracto quadraginta dierum ieiunio memoratur Christus tentantem Diabolum superasse,

uictoriamq; aduersus Diaboli impetitiones retulisse; sed etiam perhibetur habuisse Angelos, spiritusq; cœlestes sibi ministrantes, atque inseruientes. O` lætam, felicemq; uitæ solitariæ, contemplatiuæq; cõditionem. O` ieiunij, cibalisq; abstinentiæ uirtutem, potestatemq; stupendam, atque admirabilem. Ea enim est uitæ contemplatiuæ ratio; ut non minus polleat aduersus uitia superanda, Diaboliq; uires infringendas, quàm conducat parandæ uirtuti, & consuetudini, obsequioq; cœlestium Angelorum obtinendo. ea est ieiunij uis, atq; efficatia: præter uires, quas homini suggerit, præbetq; in superandis, profligandisq; uitijs: in causa sit, ut homo assistentes, inseruientesq; Angelos consequatur; & uirtutum cœlestium, atq; potestatum præsentia, aspectuq; fruatur. Quin tanti momenti est ieiunium, ut nihil, aut parum admodum proficere possit contemplatio, nisi coniunctam cum ieiunio societatem habeat; & nisi sibi cohærens iugiter retineat ieiunium. Cum enim quantum saginæ, & uirium cibali abstinentia corpori detrahitur: tantundem uigoris, et roboris animo, spirituiq; adijciatur: ieiunio fit, ut non solum uitiorum nerui debilitentur, et sensilis appetitus uis elanguescat, sed etiam animus eò perueniat acuminis, eoq; perducatur uirtutis: ut nihil sibi propemodum tam in rebus diuinis, quàm humanis inuium, inaccessumq; reperiat. Quò fit, ut si quid profectus ex arte Apollonij credatur succedere in ratione scientiæ, miraq; rerum perceptione: rear id ascribendum, tribuendumq; potius ieiunio, et obsecrationi, quàm

cuipiam notæ, temporisq́; obseruationi. Si ratio, uisq́; omnis contemplandi constituta est in uigore animi, intellectusq́; potestate; quis non agnoscat, quis non intelligat sine eo non esse locum contemplationi; contemplationisq́; rationem sine eo non posse subsistere: cuius operatione, cuiusq́; effectione uigor animo accedat; intellectuiq́; uis, atq; potestas adijciatur. Adeo ieiunij, cibalisq́; abstinentiæ potens, efficaxq́; est uirtus; ut non tantum contemplationi uires suppeditet, contemplatiuæq́; uitæ rationem confirmet, stabiliatq́;: sed etiam agendi prudentiam, cautionemq́; constituat: & uitæ actiuæ modum, rectitudinemq́; afferat, atq; adhibeat. Tam procul abest, ut non habita ratione ieiunij quidquam homini possit procedere, quod sapienter, prudenterq́; actum iure uideri possit; & quod genuinam ueri, boniq́; tam in contemplandi, quàm agendi ratione speciem, formamq́; contineat: ut non possit non esse affectu perturbatum, & ab usu solidæ rationis alienum; quodcunque meditari, quodcunque efficere moliatur homo, qui gulæ indulgeat, & abhorreat à ieiunio. Si ciues illud, quo laboramus, incrassandi corporis studium aliquando permitteret: si ea, qua detinemur, indulgendi corporis appetitui, gulæq́; satisfaciendi, cura aliquando sineret; ut ex actè ieiunij bonum, cibalisq́; abstinentiæ beneficiũ perciperemus, atque experiremur: non esset omnĩno, cur hæsitaremus contempto gulæ obsequio, abiectoq́; incrassandi corporis studio cibali abstinentiæ incumbere, ieiunijq́; imprimis rationem habere. Tan

tum animo uigoris accedere, tantum intellectui acuminis adijci sentiremus; ut facilè inani, momentaneæq; gulæ uoluptati solidam, ueram, firmam animi uoluptatem antelaturi, præposituriq; essemus. O plenum fructus, & solida uoluptate refertum ieiunium. turbidos, importunosq; animi effectus discutit; turbulentas, quas corporis crassities, atq; petulantia producere solent, ægritudines abigit, summouetq;: nec sinit infestari hominem ueterni grauedine, nec anxia opprimi torpedine. arcet ab animo, quæ causa corporis malè affecti contingere solet in homine inquies: & represso tumultuantis appetitus impetu pacem constituit, tranquillitatemq; parit. nulla est tam grauis ægritudo animi: nullus est tam uehemens humanæ perturbationis impetus: qui remedio ieiunij adhibito non mitescat, non remittatur, non sedetur. Nihil est, quod obsequentiorẽ rationi reddat sensum; & in refrenando, reprimendoq; appetitu rationis uires reddat potiores, quàm ieiunium. nihil melius, præstantiusq; ieiunio excogitari potest, quod homini conducat in studium uirtutis inducendo, & in Dei, religionisq; cultum excitando, atq; commouendo. Quapropter non est admirandũ, si Christus, qui pro sua in nos propensione, & beneuolentia nolebat quidquã prætermittere, quod nobis prodesse posset pro salute acquirẽda: quin indicaret, palamq; faceret; exemplo suo nos interpellauit ad ieiunij, cibalisq; abstinentiæ habendam rationem. Cum enim sciret quanti momenti foret ieiunium ad hominem in Dei cultum, uirtutisq; studium afficiẽ-

dum, & ad salutis consecutionem promerendum: curauit nos suo exemplo prouocandos ad agendum ieiunium, cibalemq; abstinentiam ineundam. Quòd si etiam Christus ieiunando, uim ieiunij, uirtutemq; non ostendisset nobis: non ne satis eius rationem, uirtutemq; agnoscere possemus ex sacris Hebræorũ monumentis; ex quibus apparet ieiunijs non solum conciliatos Deo, in Deiq; amicitiam adscitos fuisse quamplurimos; & uim, facultatemq; uaticinandi adeptos, sed etiam extitisse, qui ieiunando Deo adstiterit; Deum allocutus fuerit; cum Deo familiarem consuetudinem habuerit; & à Deo, Dei ipsius digitis scriptas leges acceperit. Reperitur etiam fuisse, qui cum quadraginta dierum ieiunium egisset, & instar seruatoris nostri dies quadraginta cibali abstinentia usus fuisset; tantum contenderit proficiendo, procedendoq; ulterius; ut ad montem diuinæ mensæ, montemq; Dei ardentem Orebum perueneri t. O potentem ieiunij uirtutem: ò præclaram, prosperamq; cibalis abstinentiæ conditionem; qua fit, ut homo tantum contendendo proficiat; tantumq; perfectionis proficiendo assequatur: ut ad Orebum mõtem peruenire, montemq; diuini amoris, & charitatis conscendere; & mensæ diuini, cœlestisq; cibi accumbere; seq; dulci nectare, suauiq; ambrosia exaturare possit. Quòd si tam legiferi Mosis, quã Thesbitis prophetes ieiunium, qui meri fuere homines, plus admirationis, stuporisq; afferre uideatur, quàm Christi ieiunium, qui tam Dei, quàm hominis natura præditus erat; nihil sanè fuerit, cur plus

admirationis, & stuporis concipiatur ex duorũ hominum, quàm ex ipsius Christi ieiunio: si consideretur Dei uirtutem, quæ in Christo coniuncta erat homini: & in eo, quatenus homo, mirificè operabatur, eandem se infundendo, seq; ingerendo, quod mirum uideri posset; & quod alioqui ab homine præstari nequiret; in ipsis hominibus fuisse operatam. Quin tam procul abest, ut admirer uirtute Dei, operáq; effectum; ut Moses, Heliasq; non secus ac Christus dierum quadraginta spatio se abstinuerint ab omni tam potus, quàm cibi genere; & incolumi corpore, sospiteq; uita perstiterint; ut arbitrer, quod à Mose, quod ab Helia, quod denique à Christo præstitum est in agendo ieiunio, idem quoque à nobis præstari posse: si contemplando eò ecstasis animi, & intentionis spiritus perueniamus, quò Moses, Heliasq; peruenere; & quò Christus peruenisse comperitur: dum actus spiritu in Eremum concessisse memoratur. Potest enim animus contemplando sic prorsus intendi, sic prorsus affici: ut quam uitali substantiæ uirtutem agendi in ea, quorum conuersione, atque consumptione humidi alentis uis sustinetur, præstare alioqui soleat, suspendat ita, ut superante nihilominus uita, & uitalibus officiys habitu permanentibus, nihil detrimenti subeat, nihil consumptionis, extinctionisq; patiatur: quod alias ingesti alimenti defectu consumptum, extinctumq; in causa esse solet; ut uita hominis extinguatur; & animæ cum corpore societas dissoluatur. Sicut enim experiri solemus, & manifestè

deprehendere, tum minus nos esuritione laborare, minusq; fame premi; cum uel legendi, scribendiq;, uel quidpiam aliud agendi studio, curaq; animum detentum maxime occupatumq; habemus: ita nihil prohibet, quin animus adeo rei diuinæ, contemplationiq; diuinorum possit insistere: & tanta intentione, tamq; uehementi adhæsione diuina, Deumq; ipsum speculari; ut nihil esuritionis, nihil inediæ sentiatur: licet etiam lõgo temporis spacio cibo, potuq; abstineatur; et ab omni prorsus corporalis alimenti genere temperetur. O miram, stupendamq; animi diuina speculatione occupati conditionem. Sic uiuit extra corpus, sicq; corpus deserit: ut tamen ipsum corpus non ingesto alimẽto in uita contineat; & præter solitam naturæ rationem subtracto alimento uiuum seruet, atque custodiat. Dum se abstrahit à corpore, corpusq; ipsum relinquit; efficit, ut in uita sustineatur corpus, quod alioqui sustineri nequiret, si ipse finibus corporis arctaretur, ipsiq; corpori adesset, atque inseruiret. En obsecro ciues animaduertite, quænam sit consensio diuinæ contemplationis, & ieiunij, & mutua inuicem connexio. nam contemplatio sic coniunctam cum ieiunio rationem habet, ut sine eo nihil polleat, nihilq; uirium habeat, & nullo pacto consistere possit. Quæ uerò contemplatio uim, fomentumq; accipit à ieiunio; eadem mox operatur, ut ieiunium ipsum persistat, diutiusq; sustineatur, atque perseueret. Sic mutuò se respiciunt, sic inuicem se complectuntur diuina contemplatio, & ieiunium: ut

cum ieiunium uim contemplationi tribuat, potentemq; reddat contemplationem; ab ipsa tamen contēplatione suscipiat potestatem diutius perseverandi; & ui contemplationis se tueatur diutius in homine, quàm ipsius hominis constitutio, uitæq; agendæ communis, consuetáque ratio pati posse uideatur. Quod muneris suscipit a ieiunio contemplatio, quatenus hominem ad Deū conuertit, Deoq; applicat, atque coniungit: mox opera, uirtuteq; conuersionis, atque coniunctionis factæ rependit ipsi ieiunio; & quam existendi, pollendiq; causa contraxit cum ieiunio obligationem, eam dissoluit diuinæ coniunctionis ui, uirtuteq; efficiendo, ut ieiunium perduret, conserueturq; diutius; quàm superstite hominis uita fieri alioqui posse uideatur.

Sed quanuis ieiunium ui contemplationis præter naturæ consuetudinem consequatur diutius persistendi beneficium: tamen si causam rei ex principio deduxerimus, & ex origine rem, reiq; effectum considerauerimus; nihil obstiterit, quin simus comprehensuri nihil beneficij opera contemplationis consequi ieiunium; quod sibi ipsi non possit referre acceptum: quandoquidem principij, originisq; habita ratione quidquid ui contemplationis efficitur, iure tribui, ascribiq; potest ei, à quo ipsa contemplatio uim suscipit imprimis, atq; deducit. Quò fit, ut arbitrer non ab re, nec præter rationem symbolo comestionis, fractiq; ieiunij typo descriptam, indicatamq; fuisse illam primi hominis à Deo defectionem. Cuius enim rei typo melius expri

mi, quonamq; rei symbolo aptius, cōgruentiusq; in dicari potuisset studium à Deo adhibitum cōtinendo homini in ea, in qua creatus esset contemplationis, diuinæq; adhæsionis perfectione: quàm prohibitæ co mestionis, indictiq; ieiunij? cuius ea sit uis, atq; uir tus, ut sine eo frustra confidat, speretq; homo, se pos se Deo adhærere: & in ratione diuina contemplan di, adhærendiq; Deo ope contemplationis quidquam proficere. Quanam sensili simlitudine efficatius de signari, referriq; potuisset illa latens, arcanaq; pri mi hominis immutatio, quatenus se siuit ab eis, quæ forent animi, & rationis ad ea, quæ corporis essent, & appetitus conuerti? quàm cibali in continentia, qua maximè reperitur homo alienari à bonis animi, usuq; rationis; & in studium corporeæ uoluptatis, sensilisq; appetitus obsequium trahi, deduciq;. Mul tifariam iam patere autumo, quanti sit ieiunij, ci balisq; abstinentiæ obseruatio in ratione quærendæ salutis, contrahendæq; cum Deo societatis, atq; ami citiæ. Sed cum Christus nec quærendæ salutis cau sa, cum salutis author foret; nec contrahēdæ cum Deo amicitiæ gratia, cum Deus existeret; opus habe ret ieiunio: eo tamen usus est, quò nos suo exem plo prouocaret ad ieiunium non ignarus, quàm fo ret opportunum, atque necessarium pro salute con sequenda, regnoq; cœli adeundo ieiunare, cibaliq; in abstinentia uiuere. Quò fit, ut ex huiusmodi Chri sti ieiunio tam salutaris ieiunij ratio comprobetur, quàm Christi ipsius erga nos cura, beneuolentiaq; arguatur insigniter, atque ostendatur. quatenus

enim salutare homini ieiunium agnoscens eo usus est; cum minus indigeret, quo eius observantiam, cui plurimum posset esse usui pro quærenda salute, homini suo commendaret exemplo: non'ne summam, præcipuam'que curam nostræ salutis sibi esse significauit; & maximum suæ erga hominem beneuolentiæ, & charitatis protulit testimonium? Quid Christo opus erat tam exacto, abstinenti'que ieiunio? quid cogebat, impellebat'ue Christum tam longa, austeraq; cibi, potus'que abstinentia uti? nihil opus sui causa habebat ieiunio Christus. Quam nobis consulendi curam gerebat; quod nostræ saluti prospiciendi studium retinebat; & qua in nos beneuolentia, & charitate agebatur; ei in causa fuerunt, ut non solum ieiunium ageret, cibisq; abstineret: sed etiam Eremum peteret, tentandumq; se à Diabolo permitteret. O miram filij Dei, seruatoris'que nostri Christi summissionem. qui rerum omnium, omnisq; substantiæ creator erat; qui suo imperio, suæq; ditioni subiecta omnia continebat; qui tam Demones, quàm Angelos suæ potestati subditos habebat; is se præbuit tentandum à Diabolo; seq; Diaboli astu, insidijsq; impetendum obtulit; quò nos institueret, suoq; exemplo doceret, quemadmodum oporteat ab insidijs, dolisq; impetentis Diaboli cauere, & procurare, ne quo pacto Diabolo cedamus, & ab eo nobis imponi patiamur. Dum triplici Christus tentamine frustra impetitur à Diabolo; & ter se tue=

tur eius ab insidijs, dolis'que: documentum affert nobis, nosq; admonet, nunquam remittendum esse aliquid diligentiæ in cognoscendis, cauendisq; Diaboli imposturis: & semper quoscunque aditus decipiendi tentet, & quascunque fallendi occasiones captet; esse prudenter occurrendum, uiriliterq; resistendum. Præterea cum interpellaretur à Diabolo; ut si filius Dei esset, in panes lapides conuerteret, & se esuritione, fameq; liberaret; non minus respondendo, quàm dissentiendo tradidit nobis præclarum, singulareq; documentum, nimis anxie, enixe'que non esse quærendum, quod comedamus, & quo uitam hanc caducam, fragilem'que sustineamus: sed inprimis rationem diuini panis, cibiq; spiritalis esse habendam; quò uita immortalis paretur, & quò uitæ perpetuò agendæ consulatur: cum nihil eorum, quæ necessaria uideri possint huic uitæ sustinendæ, pro Dei in hominem exacta cura possit deesse procuratis ab ipso homine dumtaxat eis, quæ saluti quærendæ, uitæq; æternæ consequendæ expediant, atque conducant. Fieri non potest ciues, quin id anxiæ curæ, & solicitudinis, quod huic uitæ sustinendæ, commodeq; agendæ impendatur; in causa sit, ut cura salutis remittatur: & segnius, quàm oporteat, procurentur ea, quæ ad uitæ futuræ rationem pertineant; & Dei cultum, uirtutisq; studium respiciant. Documento igitur, exemploq; Christi imprimis cibi spiritalis nobis habenda est ratio: nec ullo pacto est committendum, ut

perinde ac si diffideremus Dei in nos curæ, atq; pro uidentiæ; solicitè, anxieq; quæramus usibus huius uitæ necessaria, & plus æquo laboremus in eis parandis, habendisq;: quæ Dei cura, atque beneficio facile homini adijciuntur; qui comparandæ salutis negotio occupetur; & qui studio sanctitatis, uitæq; æternæ assequendæ cura detineatur. Secundò quoque tentatus à Diabolo Christus reliquit nobis exemplum, ut nullo opum, diuitiarumq; desiderio, nullaq; dominandi, imperandiq; alijs cupiditate permittamus nosmet à Dei cultu, ueræq; religionis instituto abduci, auertiq;: & nullo pacto sinamus nos uana opum, honorumq; expetitione agi, duciq; ad committendum quidquam, quod Deo, Deiq; monitis aduersetur: & à ratione, uirtutisq; norma declinet. Dum enim regna, opesq; mundi offerente Diabolo, si coleretur; detrectauit accipere; & non habita ratione opum, honorumq; oblatorum Deum solum colendum, honorandumq; esse iudicauit; abundè nos admonuit, ne quid mundi huius, ne quid rerum humanarum præferamus unquã Deo, Deiq; honori: & ne quo mundi, rerumq; affectu dimoueamur à studio ueræ religionis, & à cultu uirtutum, Deiq; obseruatione abalienemur. Nec minus documenti, exempliq; tertiò tentatus à Diabolo Christus nobis attulit: dum adhortatus ut se daret ex alto præcipitem comprobandi se filium Dei gratia: non annuit, neque consensit. Nam ratus non esse tentanda, neque subeunda pericula, quoties alicuius fructus proferendi spes, occasioq; non

adesset: & arbitratus id non posse non fieri ambitiose, captandæq; humanæ gloriæ causa: quod factum nihil omnino fructus esset editurum, nihilq; publicè profecturum: proposuit nobis exemplum, quo à subeundis temerè periculis auerteremur: & ab inani captandæ humanæ gloriæ studio abducere mur. Quis enim nesciat non tantum à Dei tramite, diuinæq; religionis instituto aberrare, qui temerè, nullaq; pariendi fructus, proficiendiq; oblata spe periculis sese obijciat, in uitæq; discrimen sese dedat; sed etiam à politicæ uirtutis ratione decedere: & inconsiderati potius, insaniq;, quàm fortis, atq; animosi nomen mereri? Quis præterea ignoret, quã sit uanum, quàmq; indignum sapientia hominis, captare fumos humanæ gloriæ; præsertim cum id, quo captetur humana gloria, nihil neque publicè, neq; priuatim sit profuturum. Cum enim placere Deo duntaxat, Deiq; solum gloriam quærere debeamus; non potest non grauiter desipere; & à iustitiæ, reiq; diuinæ ratione non plurimum discrepare; qui studiosum se præbeat placendi homini, & sibimet gloriam ita quærat apud homines; ut nec fructus ferendi rationem habeat; nec quantum proficere possit, æstimet, atque perpendat. Quòd si ea, quæ in triplicis tentationis huiusmodi historia motũ corporeum, remq; uisilem continent, ad animi motum, remq; spiritus inuisilem referantur: adeo non sentietur ineptè; ut id non minus salis, quàm gratiæ uideri facilè possit in se continere. nec id circo uideri poterit abrogare fides historiæ, aut

ſacrorum authorum uerbis adimi authoritas: quandoquidem ſeruata nihilominus ueritatis ratione fieri poteſt; ut quæ non ſatis explicari uerbis, nec ſatis intellectu percipi queunt: quatenus omnem ſenſus captum ſuperant; eo pacto, modoq́; explicentur, intellectui'que aperiantur, quo poſſunt maximè; & ſenſilium ope exprimantur: dum uel nullo modo, uel non æquè exprimi, intelligiq́; poſſunt in ſua genuina ſpecie, ſiue ratione. Poſtquam Chriſtus acto ieiunio, operá'que contemplationi data tentantis Diaboli dolos, inſidiasq́; ſuperauit; & ſe aduerſus triplicem eius impetitionem ita tutatus eſt, ut non ſolum indemnem ſe cuſtodierit, ſed eum etiam fregerit, fugaritq́;: ſolitudinem relinquens, Eremoq́; excedens urbes petiuit, frequentiamq́; hominum quærens cœpit publicè regnum Dei prædicare, ſalutis rationem aperire; & palàm docendo, monendoq́; meliorem uitæ inſtitutionem promulgare. Quo quidem Chriſti facto ſatis admoneri poſſumus, quàm non ſit nobis publicè docendi, inſtituendiq́; alios munus ſubeundum, & non fungendum nobis aliquo munere publicè conſulendi alijs, priusquàm ieiunijs, contemplationiq́; operam eam nauauerimus; & eò perfectionis peruenerimus; ut omni irrationalis affectus, Diaboliq́; impetitione ſuperata eam uitæ rationem inierimus: ut noſtra conſuetudo poſſit non minus exemplo probitatis, integritatisq́; publicè eſſe uſui, quàm monitis, adhortationibus, increpationibus palàm pro

desse. Non minus alijs inutile, atque infructuosum futurum est, quàm nobis pernitiosum, quidquid publici muneris, publicæq; consuetudinis subiuerimus, prius quàm studio uirtutis, contemplationisq; opera eiusmodi euaserimus: ut præstatione eorum, ad quæ cæteros adhortemur: nobis fidem sic, authoritatemq; parauerimus: ut pro firmo uirtutis, præstantiæq; habitu nequeamus facile infici malorum consuetudine; aut aliqua humani affectus surreptione deprauari. Hinc illud ueteris instituti ciues plurimum salis habuisse dignoscitur: quo senij tempus idoneum, maximeq; conueniens fungendo publicè muneri, rebusq; publicè agendis præscribebatur: & non ante quisquam aptus publicis functionibus, negocijsq; reipublicæ tractandis decernebatur; quàm septimo anno octies acto ad id æui, ætatisq; peruenisset: cui non minus feruor affectuum abesse soleret, quàm uirtutis firmior, constantior'que habitus longo usu adesse posset. Iam cœperat Christus palàm de regno Dei profari, uulgo'que salutaria uiuendi documenta disserere; cum statuit aliquos sibi peculiariter adsciscere; eosq; in uia salutis sic instituere: ut, si opus foret, dum uiueret; eorum opera, officioq; in demonstranda salutis ratione uteretur: & denique eos, simulatque uita hac ipse excessisset, loco sui relinqueret: qui mortales ad rectam uitæ institutionem excitarent; & ad capessendum salutis beneficium inuitarent, atque adhortarentur. Elegit itaque uiros duodecim

numero magna ex parte nauitas, siue piscatores, qui non minus generis, artis'que causa ignobiles, quàm literarum imperitia rudes erant: quos quidem de industria huiusmodi delegit; ne fortè quæ eorum opera scita, & præclara ederentur in salutis indicandæ ratione; adscribi possent alicui alij, quàm diuinæ præstantiæ, atque potestati: quæ sanè tantò illustrius arguitur, atque comprobatur, quantò minor occasio suggeritur, quod sit effectum tribuendi homini. Cauendum enim fuerat pro salute inducenda, & pro cultu, obseruantiáq; Dei in animis hominum excitanda: ne quod scitè diceretur, aut sapienter fieret, aut mirabiliter patraretur: id aliquo pacto attribui, adscribiq; posset homini, cuius ministerio Deus uteretur. Non facilè fidem erga Deum conciperet homo, non facilè in admirationem Dei induceretur; & ex admiratione in eius cultum, amoremq; traheretur: si quod ipsius hominis ministerio facit, operaturq; Deus excitandæ admirationis, contrahendæ fidei, conciliandi amoris gratia: id aliquo pacto pro ea, qua laboratur ab homine in Deum incredulitate: uideretur posse tribui humanæ operæ, atque præstantiæ. Nihil itaque omittens pro sua in hominum genus beneuolentia Christus, quod posset homini pro paranda salute conducere; & pro salutis oblatæ beneficio suscipiendo expedire: undique occasionem concipiendæ in Deum fidei attulit; undique contrahendæ erga Deum admirationis, & charitatis ansam præbuit ipsi homini. Quis enim ad concipiendam ma-

ximam de Deo fidem induci, quis in admirationem Dei ingentē agi non deberet, qui animaduerteret literarum imperitos, rudesq; ingenio homines disceptare de religione, de arcanis diuinis loqui, & de salutis ratione, felicitatéque hominis concionari? Quis excitari, quis commoueri non deberet ad colendum, uenerandumq; eum, cuius ui, atque potestate cerneret effici, ut abiecti, ignobilesq; homines, qui naues agere, qui capiendis piscibus retia iactare solerent, populos, Regesq; populorum tam dicendo commouerent, quàm agendo deterrerent? Quin quisquis diligenter considerarit, quemadmodum duodecim tum piscatores, tum uiles, ignotiq; homines totum mundum commouerint; & nullam orbis regionem reliquerint, quam noua Christi religione non imbuerint; & in qua ueri Dei cultum non tradiderint; & propagato, diuulgatoq; Christi nomine se quoque celebres non reddiderint: poterit'ne se cōtinere, quin afficiatur in eum, eumq; colat, atque admiretur: à quo tot mira, totq; stupenda ministerio eiusmodi hominum gesta, perpetrataq; cogitet, atque expendat? O propositū Dei summè studiosum consulendi hominis saluti. O miram, exactamq; Christi curam in seruando, redigendoq; ad salutem homine. Ne quam haberet homo occasionem tribuēdi humanæ operæ, humanæq; præstantiæ, quod Deus ministerio hominis operaretur; & idcirco negligentius se haberet in agnoscendo, obseruandoq; Deo; & oblatum salutis munus segnius corriperet: non adsciuit sibi Christus mini-

ſtros, propagatoresq́; ſalutis homines: qui proceres eſſent, primatesq́; urbium, quiq́; diſciplinis literatis eruditi, & humana ſapientia, atque doctrina imbuti forent; quibus fortè, quod Dei eſſet, aliquo incredulitatis humanæ uitio poſſet adſcribi: ſed rudes, imperitos, ignobiles: qui cum ſuapte profeſſione, atque conditione nihil minus haberent, quàm ut ſcita eloqui; deq́; diuinis agere ſcirent; & eos authoritate ſua cõmouere poſſent, ad quos uerba facerent, & quos perſuadere tentarent: fando mirà, mirumq́; in modum animos commouendo Dei uirtutem, Deiq́; poteſtatem apertè in ſe comprobarent; & nihil dubij relinquerent, quominus quod Dei foret, Deo tribueretur; & quod ab ipſis ageretur, atque diceretur, Dei uirtuti aſcriberetur; Deiq́; munus, atque beneficium cenſeretur, atque agnoſceretur. Sed quoniam contigit, ut explicaremus, cur Chriſtus adſciuerit ſibi ignobiles, imperitoſq́ue ſcientiæ homines; quorum opera, atque miniſterio uteretur in oſtendendo, diuulgandoq́; ſalutis beneficio; non ab re fortè fuerit æquè exponere cur eiuſmodi numero duodecim adſciuerit, atque delegerit: cuius quidem expoſitionis conditio ſi fuerit eiuſmodi, ut uideri poſſit plus in ſe laboris, quàm fructus continere: nihil tamen obſtiterit, quin ſimus exiſtimandi rem propoſito negocio ſatis aptam feciſſe; & nihil idcircò, quod aberraret ab inſtituto, attrectaſſe. Quatenus enim ad me attinet, nunquam arbitrabor id eſſe ſilentio

prætereundum, quod nec propositæ rei discrepet, nec diligentius intuenti uideri possit esse inutile. Super hac re si plures fortè causas, rationesq; adduxero; nihil fuerit, cur idcircò merear nimis curiosus censeri; cum ea sit diuinarum rerum, actionumq; ratio; ut nunquam satis curæ, atque diligentiæ in eis explicandis ab homine possit adhiberi. & si quandoque nimis audacter uideri potest homo agere, dum tentat inuestigando cognoscere diuinarum actionum rationes; nunquam tamen existimauero ascriptum iri à Deo noxæ homini, quatenus pietatis, non arrogantiæ studio inquirat diuina; Deiq; ipsius agentis consilium, propositumq; scrutetur, atque inuestiget. Cum enim inquisitionis huiusmodi, & inuestigationis ratio hominem detineat Dei, diuinorumq; cogitatione occupatum: fieri non potest, etiam si nihil apprehenderetur, quin proficiatur aliquatenus: & qui sic inquirat, inuestigetq;, propinquiorem se reddat Deo; & in Dei, diuinorumq; agnitionem, admirationemq; assidua cogitatione inducatur. Cum fuissent numero duodecim homines, quorum opera genus, semen'que carnale Abrami multiplicatum, propagatumq; extitisset: conueniens fuit, & congruum; ut æquè spiritale genus, atque semen Abrami diffunderetur, propagareturq; officio, atque opera duodecim. Nam quemadmodum duodecim Israelis filij extiterunt, qui genus, semenq; patris multarum gentium Abrami latè propagarunt, & uaria, numerosaq;

prole auxerunt: ita non sine diuini, arcaniq; consilij ratione effectum est, ut Christus, qui uerè foret Israel, duodecim adoptaret in filios; duodecimq; adsciceret sibi Apostolos: quorum opera, atque officio semen spiritale Dei cunctarum gentium patris latè, copioseq; propagaretur. Præterea cum numerus huiusmodi duodenarius tam ter quatuor, quàm quater tria in se complectatur: conuenit egregiè, ut Christus, qui tam ratione substantiæ diuinam Trinitatem continebat, quàm omnis quaternæ uirtutis exemplar erat, ageret negotium salutis, salutisq; beneficium diuulgaret; & se passim mortalibus ostenderet ter quaternis, uel quater ternis hominibus in id operæ constitutis, atq; delectis. Decuit quoque, ut cum quaternæ uirtutis tribus gradibus ab homine concedatur ad Deum, siue Christum, qui uirtus exemplaris est; numero quater terno hominum procuraretur generis humani conscensus ad Deum, & duodecim officio accedendi ad Christum, perueniendiq; ad salutem, quæ uirtutis ipsius exemplaris fruitio est; ratio passim, uiaq; mortalibus indicaretur. Ex diuinæ etiam prouidentiæ lege fuit, ut quæ ratio perficiendi hominis, imitandiq; Christi foret indicanda generi humano, & omnibus sine ulla personarum acceptione ostendenda: ostenderetur, indicareturq; eo ipsorum indicantium, ostendentiumq; numero custodito; qui pro sua perfectione non minus rei, quæ ostenderetur, perfectioni responderet; quàm communi, uniuersæq; hominum, quibus ostenderetur, conditioni conueniret. O nu=

meri duodenarij perfectam, absolutamq; usquequaque rationem: ò appositam, omniq; ex parte congruentem duodenariam supputationem. Quatenus enim duodenarius numerus ter quaternis, quaterue ternis constat: pro ea dignitate, uiq;, quam non minus ternarius, quàm quaternarius numerus comperitur retinere non solum in conficienda musices simphonia, sed etiam in animorum ratione, corporumq; constitutione; non potest non argui, summam in se continere dignitatis, perfectionisq; rationem. Si septenarij numeri ea est conditio, ut non tam ex partibus, quibus constet, quàm ex sui ipsius ratione commendetur; & plurimum dignitatis, & uirium obtinere in rebus humanis, atque diuinis censeatur: si quinario numero ea uis adscribitur; ut complecti perhibeatur, quidquid intelligibile omnino sit, aut uisile: & asseratur referre non minus superiora, quàm interiora: quanti momenti, quantæ dignitatis, & mysterij iudicandus erit existere duodenarius numerus; qui tam septenarium, quàm quinarium in se habeat, atque complectatur? Si senarius numerus plurimum religionis, & perfectionis non solum ideo creditus est habere, quia ex suis partibus perfectè constet: & ita se habeat, ut dimidij rationem admittat: & tam tertiæ, quàm sextæ partis supputationem recipiat: sed etiam quia reperitur ad humani partus productionẽ pertinere: quatenus tot utriusque sexus cubis unà congestis, quot ipse monadibus constat; conficit, impletq; tempus condendo homini opportunum: quan

tò plus religionis, & uirium continere existimandum est duodenarium numerum; quo duplex senarius concluditur; & in quo tam dimidij ratio sibi locum uendicat, quàm tertiæ, quartæ, sextæ, duodecimæq; partis supputatio continetur. Quapropter non ab re fortasse fuerit arbitrari, quod religionis, & potentiæ senario in corporea hominis conditura adesse memoratur; id geminata ui duodenarium sic continere; ut quam in corporea hominis senarius, in spiritali productione ipse duodenarius conditionem obtineat. Si præterea decadem sibi uim maximam, perfectionemq; adsciscere opinamur, tum propter uim, dignitatemq; partium, quibus compacta est, tum propter rationem, qua complectitur omnem numerandi amplitudinem; & qua nullum numerum agnoscit, quem uel non contineat tanquam partem, uel tanquam finis non absoluat: quid censendum fuerit de duodenario; qui decadem in se comprehendit, & dyadem abscessionis, mutationisq; typum adiectam habet: quæ supputatio, prout conficitur, redigitur ad ternarium non aliter, quàm quaternarius ad decadem, & ternarius ad senarium. Quò fit, ut cum nihil perfectæ conuersionis, nihil absolutæ immutationis, nihil numeralis efficatiæ abesse inueniatur duodenario; argui possit, cur numero duodecim inprimis fuerint delecti, qui conuertendos ad Christum homines procurarent; qui immutandis ab impietate animis studerent; & qui pro sua sedulitate, & ministerio nihil non tentarent, aut

conarentur

conarentur: quo genus humanum nullis exceptis ad agnoſcendum, ſuſcipiendumq́; ſalutis à Chriſto oblatæ beneficium induceretur. Plura alia afferre poſſem ex arte numerali argumenta duodenarij ſingularem uim, perfectionemq́; comprobantia: & adducere quirem non ſolum numeri paris cubũ, cubiq́; ipſius paris primam aggeſtionem; ſed etiam cubi imparis primam accumulationem; cubiq́; ipſius imparem baſem duodenario ipſo cõprehenſam: quæ tamen omnia, ne uobis fortè uidear longius, quàm ſit opus, rem trahere; & diutius quàm conueniat, quæ non minus utilem, quàm facilem perceptu rem contineant differre: prætermitto, & cuſtodito ordine proſequor recenſere, quæ de Chriſti actibus, atque inſtitutis continentur ſacris monumentis. in qua tamen tractatione eo moderamine, temperamentoq́; procedemus; ut non ſingula quæque, quæ Chriſtus egerit, inſtituendoq́; docuerit, ſimus perſecuturi: ſed quæ dumtaxat uiſa fuerint habere plus momenti, pluſq́; energiæ in conſtituenda ſalutis ratione, & in comprobanda tam Dei, quàm Chriſti ergam hominem beneuolentia, atque beneficentia. Si enim uellemus exactè ſingula quæque Chriſti dicta, factaq́; excutere, & ſeparatim perpendere; fieri uix poſſet, ut id aſſequeremur; uel ſaltem dicendi ratio eó perueniret prolixitatis, ut facilè poſſetis malle legere apud eos, qui eiuſmodi tradiderunt, quàm ex me audire. Noſtri nunquàm fuit inſtituti, ut de uita, ſingulisq́; dictis, atque factis Chriſti hiſtoriam texeremus; aut ab antiquis textã parti

cularitèr interpretaremur: ſed ut de Chriſto, Chriſtiq́; actibus, atq; inſtitutis; et de ſalutis ratione ſic ageremus: ut attingentes dũtaxat ea, quæ maxime uiderẽtur códucere diuinæ erga hominẽ charitati, & beneficentiæ exprimendæ, atq; declarãdæ: cætera relinqueremus, quæ nõ uiderẽtur adeo facere pro ſalutis ratione explicãda, proq; charitate, & beneficentia Dei erga hominem ſignificanda, atq; oſtendenda. Cũ Chriſtus mõte conſcenſo, accerſitisq; diſcipulis bona, præmiaq;, quæ deſtinata eſſent paupertati, manſuetudini, æquanimitati, tolerãtiæ, commiſerationi, ſinceritati, paci, innocentiæ expoſuiſſet: eos, eorumq; ſub perſonis nos omnes inſtituens exactiora antiquis documẽta tradidit: et noſtræ ſalutis ſtudioſus, conſulendiq; nobis mirum in modum cupidus, non quemadmodum Moſes Hebræis diuina præcepta tradẽdo fecerat, ſolum, quod prohibentis præcepti uerbis ſignificaretur, cauendum: & ipſum peccati actum deuitandũ admonuit: ſed etiam temperandum ab omni eo, quod aliquo pacto ſub ratione præcepti poſſet comprehendi; & abſtinendum etiam ab ipſius peccati affectu, atq; cõſenſu. Cum enim ueteri Moſis decalogo contineretur nõ eſſe occidendum hominem, non eſſe mœchandũ; pro eo, quo ſeruãdi noſtri, exactiusq; nobis proſpiciendi deſiderio, atque ſtudio detinebatur Chriſtus, non ſolũ nobis iniunxit cauendũ eſſe homicidium, & à mœchando continendũ; ſed etiam ſtuduit nos arcere ab omni genere iniuriæ homini inferẽdæ; et tã iraſci, quàm conuitiari, aut contumeliæ aliquid homini inferre nos prohibuit: & exegit à no=

bis, ut à mœchando sic contineremus, ut ne appetere quidē animo, concupiscereq; mulierem alienam sustineremus. Quam peierandi prohibitionem antiquis inditam animaduerterat, quò nos ad meliorem uitæ institutionē, perfectioremq; uiuendi rationem redigeret: sic ampliauit, extenditq;: ut nos iurare omnino, nedū peierare prohiberet nihil amplius adijciendum nostræ locutioni ratus, quā quod sufficeret meræ, ingenuæq; ueritati exprimendæ. Legem illā talionis adeo nō approbauit, adeo nos læsos lege talionis agere noluit: ut nobis suaserit, atq; iusserit abstinendū prorsus ab ultione; et nullo modo acceptis iniurijs esse illata iniuria respondendū: sed potius maxillam percutienti, alterā quæ æquè pcutiatur, exhibendam: & tunicam auferenti, dimittendum etiam pallium. Monuit etiā, ne quo ueteris instituti fomento prosequeremur odio, quos nobis infensos, inimicosq; experiremur; sed eis potius prodesse, benefacereq; adniteremur: et quatenus fieri posset, eos placare, demereriq; beneficijs studeremus. O sancta, salutariaq; homini documēta. O plena beneuolētiæ, et charitatis monita seruatoris nostri. non hæc à nobis præter ueterū legū traditiones, siue interpretationes exigit: ut nos grauius premat; ut grauiori nos onere afficiat; sed ut altius nos efferat, meritisq; nos, & dignitate cumulatiores reddat; & quatenus fieri potest, nos Deo patri, sibiq; similes efficiat. Sicuti quispiam bonus, præstansq; pater familias filios, quos curæ, institutioniq; pedagogi aliquandiu commissos habuit, cupiens meliores reddere, suscipit ipse instituendos;

& indulgentia pedagogi, teneræq; ætatis respectu remissas aliquatenus uitæ, morumq; habenas contrahens, eos ad arctiorem uitæ normã redigit; & studio consulendi, proficiẽdiq; procurat ad exactiorem morum rationem adducere: nihilq; prætermittit, quo possit eos meritis, uirtuteq; præstabiles reddere, sibiq; integritate, & uitæ probitate similes efficere: non aliter optimus, amantissimusq; pater Deus, Christusue quos homines legalibus institutis permiserat aliquandiu monendos, atq; erudiendos, suscepit ipse instituendos, atq; moderandos: & quò meliores eos redderet; sibiq; quatenus fieri posset, bonitate, sãctitateq; similes cõstitueret; contractis pedagogi, legalisq; traditionis habenis, ad arctiorem, exactioremq; agendi rationem procurauit redigere; et exigendo ab eis, quod ipse præstaret sui imitandi, suæq; diuinitatis participãdæ modum, rationemq; tradidit. O summã, singularemq;, Christi bonitatem. ò beneficam, liberalemq; erga hominem Dei curam. suggerit, offert, præscribit documẽta homini, quibus seruatis, custoditisq; possit non solum salutẽ consequi, felicitateq; potiri; sed etiã eò perfectionis pertingere, ut ipsi Deo similis euadat, et particeps diuinitatis, atq; Deus deniq; efficiatur. Quantum diuinæ bonitatis hinc arguitur? quantum erga hominem liberalitatis ostenditur? non minus suã liberalitatem, quàm bonitatem erga hominen ostendit Christus, Christiq; opera Deus: dum ea homini tradidit documẽta, eaq; præscripsit monita; quibus se diuinitatis participẽ, Deoq; ipsi similem possit efficere. Eximiam uerò, singularemq; suam bonita=

tem, & suam omnibus benefaciendi, nullisq; officien
di promptitudinem testatus est: dum præstando, quod
exigeret, exemplo prouocauit hominem ad amandũ
inimicos, ad proficiendum, ultroq; cõsulendum eis,
à quibus offendatur, lædatur; et iniurijs, calumnijsq;
afficiatur. Cum ratio boni, siue meriti non tã consi=
steret in boni ipsius operatione, quàm in proposito,
fineq; operãdi; idcirco Christus admonendos nos sub
ꝑsonis discipulorum procurauit: ne quo pacto com=
mitteremus, ut quid boni operis à nobis fieret huma
næ gloriæ cupiditate, studioq; cõsequendæ laudis a=
pud homines: sed quidquid boni ageremus, referre=
mus ad Dei honorẽ, ad Deumq; ipsum sic dirigere=
mus; ut tamen exemplo nostro, si fieri posset, cæteri
quoq; allicerẽtur ad benè operãdum, Deoq; rem gra
tam faciendũ. Quidquid boni opamur, quidquid piè,
sanctéq; agimus, ut innotescat, palamq; eluceat, eate
nus expetere debemus, quatenus in augumentũ, pro
fectumq; religionis cedere possit; et cæteros prouoca
re ad similem agendi, operãdiq; rationẽ ineundam.
Alioqui si quod boni agimus, id captandæ humanæ
gloriæ causa, conciliandæq; apud homines laudis gra
tia procuremus, innotescat, palãq; dignoscatur: nihil
ẽ cur idcirco speremus aliquid meriti, gratiæq; apud
Deum nobis parari, aut aliquid præmij, mercedisq; à
Deo nobis præstitũ iri. Nõ enim iustitiæ ratio ꝑmittit,
ut quis ab eo præmiũ cõsequatur, gratiamq; eius pro
mereatur, cui nihil detulerit, & cuius demerendi
causa nihil egerit. De Deo benè merendi ratio omnis
constituta est in exoluendis, liberandisq; animis ab

affectu placẽdi cuiquam alij, quàm ipsi Deo: qui pro ut summè gratum, liberalemq; se præstat in eos, quos sciat sui causa quid egisse: ita sibi debito non ascribit, neq; suo æri imputat, quod norit nõ sibi fuisse delatũ, neq; sui gratia præstitũ. Ne igitur boni operationẽ dirigendo aliò, quàm quò dirigi oporteret pro cõsequẽdo ipsius boni præmio; et bonum aliter operando, quã conueniret pro mercede boni ipsius à Deo obtinenda, operam luderemus: cõmonefaciendos nos curauit pro sua in nos beneuolentia Christus, quemadmodum debeamus habere nosmet in agendis, operandisq; bonis; et nõ solum tradidit modũ, rationemq; : quibus agendo, operandoq; possimus mercedem adipisci, nobisq; maximè prodesse; sed etiã orãdi, obsecrãdiq; Dei tenorem, normamq; indicauit, atq; præscripsit: quam custodire, seruareq; nos oporteat tam pro facilè impetrãdo, quã pro utiliter, salutariterq; exposcendo. Cuiusmodi ad Deum homini sit habenda oratio, & quid rogando, obsecrãdoq; exposcendum sit à Deo, abundè admonet, docetq; Christus: de quo sensisse uaticinãdo arbitror Atheniensem uirum, qui cũ de uoti cõcipiendi, orandiq; Dei ratione consuleretur, nihil respondit à Deo petẽdum, nisi quod sciret ipse Deus utile impetratu; et hãc petendi, orandiq; Dei rationem dixit esse obseruandã: donec accederet, qui foret ostensurus, tam quonã pacto habendi essent homines, quàm orandus obsecrandusq; Deus. Hic uir admodũ sapiens, & plus, quàm eius temporis, atq; instituti ratio exigeret pius, atq; religiosus pro fallaci in censendis, æstimãdisq; bonis, atq; malis hominum

opinione non censuit quidquam certum, determinatumq; à Deo exposcendum; sed ad ipsum Deum petitionem sic esse referendã, ut ipse, qui perfectè calleret oẽm boni, maliq; rationem, et exactè sciret, quid prodesse, obesseq; posset homini; concederet, atq; largiretur, quod cõducturũ nosset, atq; profuturum. Hæc sanè cauta, scitaq; rogandi, orandiq; Dei fuit institutio: ne homo pro eo, quo facilè traheretur inani affectu; et pro ea, qua laboraret rerũ cæcitate, atq; ignorãtia; eò adduceretur: ut peteret à Deo, quod mox ægreferret impetratũ. Sed minerua, sapientiaq; Dei Christus nebulã omnem ignorãtiæ discussit; & cæcitatis oẽm caliginem abstulit ab hominis, Homericiq; Diomedis oculis: qui cũ satis discernere nõ posset Deũ ab homine; et ad boni, maliq; agnoscendam rationẽ allucinaretur: obtinuit, ut optimè posset agnoscere mortalis, immortalisq; conditionem; & deprehendere quid uerè bonũ, quid'ue malũ omnino foret existimãdum. Hæc igitur nostra minerua ex summi Iouis capite orta tradidit nobis orãdi, obsecrandiq; Dei certã rationem; & explicuit, atq; ostendit, quid omnino petendum, exposcendumq; nobis esset à Deo. Non sanè ostendit nobis esse petendam à Deo humanam sapientiã, uanamq; humanarum artium scientiã: quæ nihil cum salutis, finisq; nostri ratione coniunctum habent, sed Deum orandum, obsecrandumq;: ut pro sua in nos charitate, suoq; in nos paterno iure firmã, constantemq; sui obseruantiam in nobis statuat, atq; collocet. Nec docuit nos Deũ petere opes, humanasq; dignitates, aut honores, aliquem'ue nostræ cupidita=

tis,atq; appetitus successum;sed ipsius regnũ in animis nostris sic cõstitui,ut omni humano affectu exuti,& omni uitiorum seruitute liberati exequamur quidquid eius placiti sit,et uoluntatis;& nihil appetitui, sensibiliq; cupiditati deferentes,studeamus obtemperare ei tã bonum operando,quã malum prorsus fugiẽdo.Nec idem institutor noster formula orãdi,obsecrãdiq; Dei nobis tradita uoluit;ut anxij, soliciti q; de omento,saginaq; corporis uictum cibumq; corporeum peteremus à Deo;sed escam spiritalẽ, panemq; uitæ;qui quãcunq; aliam rei substantiam superaret ui,potestateq; nutriendi animi, uiuificãdiq; hominis. Nec præterea cauit, ut si quidem infirmitate aliqua,ægritudine'ue corporis laboremus, enixè uotis,precibusq; à Deo flagitemus exolui, liberariq;; sed si quid labis,reatusq; peccãdo cõtraxerimus,id expũgi,dimittiq;.Nec æquè instituit rogãdum nobis,obsecrandumq; Deũ,ut prosperam corporis ualetudinẽ nobis custodiat; nec patiatur nos induci in aliquod genus morbi corporei:sed ut tueatur nos, ne incidamus in morbos animi; et nobis prospiciat,atq; consulat :ne tendiculas, malasq; Diaboli insidias incurramus. formulã orãdi,obsecrandiq; Dei nobis sic tradidit Christus,ut nõ minus ipsa formula docuerit breuiter esse orandum,quàm palàm uerbo,uoceq; protestatus sit,non esse producta,prolixaq; ad Deum utẽdum prece,atq; oratione:qui cum sciat,quid nobis opus sit pro sua nobis benefaciẽdi,consulendiq; cura, atq;propẽsione nõ indiget,ut multis à nobis rogetur, et longa uerborũ,seu rerum congerie obsecretur.Nõ

indiget quidẽ, ut nobis prosit, nobisq́; prospiciat, multis suaderi, atq; rogari; cum suapte bonitate, suapteq́; in nos propensione se præstet semper, præbeatq́; paratum ad cõsulendum nobis, nobisq́; benefaciendũ. Sed nos benè oportet, ut assiduè, multumq́; oremus; & productis, cumulatisq́; precibus incumbamus; quò assidua oratione, cumulatisq́; precibus excitemur animis, & affectu commoueamur in Deum, & concepta de Deo fide, atque spe idonei reddamur; qui promptam, paratamq́; Dei ipsius in nos beneficentiam, & largitatem possimus experiri. Alioqui, nisi studeamus animos nostros uel diutius orando, uel assiduè cogitando erga Deum sic afficere; ut idonei euadamus suscipiendis à Deo beneficijs: nihil est, cur admiremur, quod poscamus, non impetrari; & quod à Deo petamus, non obtineri: quandoquidem id non euenit ex diuina aliqua de nobis benemerendi auersione; sed ex nostra ineptitudine, nostraq́; obtinendi indignitate, atque impotentia. Sed sicut assiduè orando, cumulatisq́; precibus insistendo debemus procurare, ut afficiamur erga Deum, spemq́; de Deo, atque fidem concipiamus; ita non expedit, neque congruit, ut multa, uariaq́; Deum petamus; & orando, rogandoq́; alia ab ipso Deo exigamus, quàm bonum animæ, salutisq́; beneficium. Si enim laboremus in eis à Deo petendis, atque rogandis, quæ corporis bona, uitæq́; huius fragilis commoda respiciunt; & orando studeamus impetrare corporis ualetudinem, sospitatem filiorum, facultatum augumentum, ci=

uiles honores, rerumq́; id genus inanium consecutionem; Christi instituto, monituiq́; prorsus aduersamur: quatenus tradidit breuiter esse orandum, & in rogando, obsecrandoq́; Deo multiloquio, longaq́; precum serie non esse utendum. Cum enim sufficiat, expediatq́; homini solum petere à Deo bona animi, salutisq́; beneficium; si quid præter huiusmodi, petat, rogetq́; Deum, fines præscriptæ à Christo orationis egreditur; & modum excedit, prolixitatemq́; eam incurrit: quam Christus improbauit, fugiendamq́; existimauit. Breui itaque ciues oratione utemur; prolixitatem orandi Christi dogmate improbatam uitabimus: si non in uanis mundi huius, atque corporis rebus, commodisq́; petendis perstiterimus: sed huiusmodi omnibus omissis, curæq́; Dei penitus relictis petendæ salutis sategerimus, & Deum pro salute consequenda orauerimus. Formula enim illa orandi, obsecrandiq́; Dei tradita nobis à Christo, cum nihil in se contineat, quàm bonum animi, petitionemq́; salutis, non tam uerborum, quàm petitorum causa breuis est censenda, & prolixitate carere existimanda est: quæ si tractim etiam repetatur centies, nequaquã fiet, ut qui id egerit, dici possit prolixius, quàm oporteat, atq; expediat, orasse. nihil enim productius, prolixiusq́;, quàm deceat, uideri poterit habere oratio, quæ finibus petendæ salutis, rogandiq́; pro obtinendis animi bonis Dei cohibeatur. Quin tantum abest, ut id genus prolixæ, productæq́; orationis censeri possit à Christo improbatum; ut quantò prolixius oretur, quan

toq́; diutius, frequentiusq́; orationi id genus insista tur, incumbaturq́;; tantò plus fructus concipiatur, tantoq́; plus utilitatis excerpatur. Sed cum omnis orandi recta ratio consistat in suscitando hominis in Deum affectu: & in addicendis, deuouẽdisq́; Deo humanis animis: ex oratione, cuius sensus exactè percipiatur, facilius quidẽ poterit colligi fructus, et excerpi utilitas. nihil tamen obstiterit, quin æquè possit orando profici non satis orationis sensu percepto; dummodo propositum orantis in Deum intendatur: & studium, desideriũq́; eius referatur ad salutẽ consequendam, animiq́; bona impetranda. Et si uirtuti, potestatiq́; uerborum genuinæ derogandum non est ita: quin eorum nonnullis plurimũ momenti inesse censendum sit; tamen fructum orationis magna ex parte pendere ex animo, propositoq́; orantis sic arbitror: ut nihil ex sensu orationis percepto putem proficí: nisi intellecta uerba comitetur animus, & uerborum sensui cohæreat proferentis intentio. Quin imò siue rationem ineamus genuinæ uerborum uirtutis, siue propositum proferentis, orantisq́; animum perpendamus: nihil est, cur hæsitemus plurimũ profectus ferri posse ab orãte: licet orationis præscripta uerba non intelligat, & sensum, quæ proferat uerborum non exactè percipiat. pollere tamen non parum, nec parum ualere in dirigendi, conuertendiq́; ad Deum animi, atq; propositi ratione perceptum orationis sensum, tam clarè constat, manifesteq́; apparet; ut non minus experientia, quàm ratione cõprobetur. Nec solum Christus pro sua in nos beneuolen

tia, et charitate salutarẽ orandi formulam nobis tradidit, & modum orandi, obsecrandiq́; Dei legitimum, expedientẽq́; præscripsit; sed etiã spem certam, solidamq́; dedit nobis impetrandi quidquid orando peteremus, & pio uoto consequi studeremus. Suadet enim, adhortaturq́; enixè, ut confidenter Deum adeamus, & quidquid piè cupimus, ab eo exposcamus; nihil fore promittens, quod non simus impetraturi. O largam, liberalemq́; promissionem. O claram, constantemq́; diuinæ in nos beneficentiæ, & charitatis significationem. Præs enim, fideiussorq́; Dei optimus Christus spõdet, promittitq́; omnino fore, ut si petamus, obtineamus: si quæramus, inueniamus: & si pulsemus, admittamur, ingrediamurq́;. Et si Christi eiusmodi erat conditio, ut cum Dei filius esset, & omnis ueritatis archetypus, ipsius sponsioni, promissioniq́; omnino fides adhibenda esset: & nihil foret omnino, cur ambigi, dubitariq́; iure posset de ipsius dicto, atque assertione: tamen quò maiorem, potioremq́; spem obtinendi, quod peteretur; inueniendi, quod quæreretur; & ingrediendi, si pulsaretur; nobis afferret; & afferendo nos promptiores redderet ad petendum, & ad quærendum, pulsandumq́; magis nos prouocaret: futurum id, quod sponderet, probabili exemplo, & argumento ex minori ad maius deducto demonstrare conatus est. Argumentatus est enim si nos, qui mali, noxijq́; simus, filijs petentibus panem, aut piscem non patimur, ut porrigamus lapidem loco panis, aut scorpium loco piscis; sed pa=

ne porrecto, siue pisce eis omnino prodesse, eorumq; petitioni satisfacere studemus; multò magis patrem cœlestem Deum, qui suapte natura bonus est; & in nos longè maiori est charitate propensus, quàm nos simus in filios; bona daturum, porrecturumq; esse nobis, si petamus ipsum, ipsumq; rogemus. Quis ciues ex tam liberali Christi promissione, tamq; certa successus sponsione non sumat animum petendi, poscendiq; Deum bona; & summa fide, speq; impetrandi, quidquid boni petat, non inducatur ad petendum, rogandumq; Deum? Quis fuerit adeo boni negligens, suiq; ipsis incuriosus; qui cum tam largam, liberalemq; à filio nomine patris factam promissionem animaduertat, non excitetur, non animetur ad petendum, ut impetret: ad quærendum, ut inueniat: ad pulsandum, ut ingrediatur? Nihil est ciues cur hæsitanter à Deo petamus; cum eius filius asserat, spondeatque nihil boni frustra nos petituros. Nihil est cur quærere supersedeamus, cum ueritas ipsa attestetur, quod quæramus, id haud dubiè nos inuenturos. Non est cur hæsitemus pulsare; cum qui custos est ostij, & claues habet aperiendi, ingressum nobis, introitumq; promittat, si pulsauerimus. Qui demonstrauit, cuiusmodi exposcere à Deo debeat homo; & qui ostendit, qualem se præbiturus sit Deus erga hominem tam in conferendis bonis, quàm in auferendis malis; idem singulari, breuiq; apophtegmate, siue sententia docuit, quid exposcere debeat homo ab homine, & cuiusmodi se se debeat homo præstare erga hominem. Protulit

enim eiusmodi se quenq; erga alterum debere praestare, cuiusmodi uelit erga se alterum experiri. O' pulchrum, scitumq; apophtegma. o' foecundam, salutaremq; sententiam; quae cordibus nostris, nostraeq; memoriae sic foret inscribenda, atq; imprimenda; ut nullo rerum casu, nulloq; temporis spatio deleri posset, aut expungi. Haec est sententia, quam si seruaremus, custodiremusq; ; nihil foret, cur dubitare possemus de salute obtinenda, uitaeq; aeterna felicitate consequenda. Haec est adeo praegnãs, foecundaq; sententia; ut quidquid ueteri lege, diuinoq; decalogo cauetur tam praecipiendo, quàm prohibẽdo, in se breuiter conclusum teneat, atque complectatur. Quin quidquid ad institutionem uitae, morumq; pertinẽs, & ad pietatis, sanctitatisq; officia spectans tam monumentis prophetarum, diuinorumq; hominum, quàm legum scriptis, atque traditionibus continetur, hoc breui sententiae contextu, hoc succincto uerborum periodo concluditur, atq; coarctatur. Nihil diuini instituti, nihilq; piae, moralisq; sanctionis est, quod methodo resoluendi deprehendi non possit, ex hoc breui uerborum circuitu dependere, deduciq;.

Nulla est diuina, humanaq; traditio pietati instituendae conducens, & innocẽtiae inducendae expediẽs; quae methodo componendi non reperiatur cõcurrere in hanc breuẽ apophtegmatis compagem. Si nihil aliud moniti, documentiq; pro instituenda uita hominis, & pro salutis ratione inducenda nobis reliquisset Christus: uideri posset satis egisse; & officium beneuoli, beneficiq; in nos abundè praestitisse. Sed cum

pro sua immensa erga nos charitate, & sua nobis consulendi, benefaciendiq; singulari cura, & propensione uix quidquam operæ, quidquam'ue officij, quod instituendis nobis, atque monendis impenderet, duceret esse satis: tam nihil, quod posset conducere nobis, possetq; prodesse pro comparanda salute, prætermisit, intactumq; reliquit: ut non minus communiter, quàm separatim, nec minus complexè, quàm explicitè tradiderit omnia, quæcunque aliquo modo facere possent ad nos in studium salutis excitandos, & in uitæ æternæ uiam deducendos. Quæ quidem cum plura sint, quàm ut facile cópl ecti possint; & oblatiora, quàm ut contingat in eis recensendis diutius immorari: cum quisque tum priuatim legendo, tum publicè audiendo facilè possit ea cognoscere: interea relinquemus, non prætermissuri tamen eorum aliqua referre: prout occasio in referendis actibus, siue gestis se suppeditarit. Ex actibus enim siue gestis Christi nihil est ferè, quod aliquid salutaris documenti, siue moniti in se non contineat; & specimen, atq; argumentum non habeat alicuius uirtutis saluti, felicitatiq; parandæ aliquo pacto conducentis. Sed quæ Christus egit, gessitq;, ipsius insignem bonitatem, potentiam, beneficentiam, charitatem arguentia, atq; testãtia; ea præcipuè attingemus, & conabimur sic singula exequi; ut si fieri possit, maximè prouocemur ad eum colendũ, amandumq;: cuius eximiam bonitatem deprehenderimus; cuius miram potentiam cognouerimus; & cuius beneficentiam, charitatem'que egregiam in homines

intellexerimus. Stupidi quidem prorsus, & attoniti fuerimus censendi, si cuius summa bonitas usquequaque appareat; & mira potentia, uirtusq́; efficacissima undique ostendatur; eum colendum, adamandumq́; plurimum non duxerimus; & in eius cultum, admirationem, amoremq́; nos maximè excitari non permiserimus. Sed non minus ingrati, quàm stupidi fuerimus iudicandi, si cuius beneficentia erga homines eximijs, innumerisq́; modis comprobetur; & cuius charitas, & beneuolentia in nostrum genus multifariam comperiatur; eius amandi, obseruandiq́; maximam rationem non iniuerimus: & erga eum præcipuam fidem, spemq́;, & charitatem non conceperimus. Argumenta bonitatis, potentiæ, beneficentiæ, charitatisq́; Christi sic attingemus; ut sacri monumenti seriem non deseramus: sed singula quæque ex ordine, prout expediet, prosequentes discutiemus, quàm multiplex unumquodque rei, factiq́; genus ferat argumentum. futurum est enim ut unum idemq́; genus facti, siue gesti comperiatur pro ea, quæ est bonitatis cum beneficentia, & beneficentiæ cum charitate communione plerunq; ferre argumentum tam beneficentiæ, quàm bonitatis, et tā charitatis, quàm beneficentiæ. Quin ea est bonitatis, charitatis, beneficentiæ, potentiæq́; ipsius mutua inuicem cōnexio, atq; conspiratio; ut magna ex parte nihil rei, siue gesti ferat argumentum unius ex eis, quin uel omnes arguat, uel plures earum indicet, atq; ostēdat. Quod planè patere, constareq́; euidenter poterit ex compluribus, quæ recensenda sunt

da sunt gestis. Quantum bonitatis suæ argumentum, suæq; in patriam, ciuesq; suos charitatis edidit Christus? cum urbem, in qua eductus, nutritusq; fuerat adiens ciues suos, quos sibi infensos norat; & quibus se minus acceptum esse prospexerat, curauit monendos, & in ueritatis cognitionem, salutisq; uiam euocandos. Quantum periculi, siue discriminis sibi inde immineret, cum perfectè nosset: pro sua tamen bonitate, suaq; in patriam charitate non destitit, quominus adiens tentaret, atque experiretur, si quo pacto uel suo cum discrimine, uitæq; periculo posset prodesse, atque consulere suis ciuibus: qui pro liuore, incredulitateq; sua adeo nihil, quod optaret eorum causa, procedere ei siuerunt; ut ex urbe eiectum in uicini montis uerticem deducerent, & inde eum præcipitem dare molirentur. O' dedecus patriæ. O' ciues ingratos. Qui pro sua in uos charitate, suoq; erga uos studio, atque cura consulere uobis expetit: & se promptum, paratumq; exhibet, quò uobis prosit, & uos beneficio afficiat; eum eijcitis, eum odio prosequimini, ei dolos insidiasq; intenditis; & eum perdere, præcipitareq; ex alto molimini. Quæ peruersitas est hæc? quænam est hæc ingratitudo? ut qui ultrò pro sua insigni bonitate nullis in se uestris meritis prouocatus quærit, conaturq; uobis consulere, & uestræ sospitati, salutiq; prospicere; eum non solum non benignè accipiatis, mutuoq; amore non prosequamini; sed etiam expellatis, iniuria afficiatis; & perdere, morteq; afficere conemini. Egregium sanè suæ bonitatis testimonium tulit; suam in patriam

charitatem abūdè ostendit; & suis ciuibus consulen
di, benefaciendiq́; singularem promptitudinem te=
status est Christus: dum quos ingratos, infensosq́; si=
bi norat, ultrò adijt, conuenitq́;: & suæ in eos cha=
ritatis specimen ferens, tentauit, studuitq́; prodesse,
& curam studiumq́; exercuit cauendi eis, atq; con=
sulendi. Adeo pro sua bonitate, suaq́; in hominē sin
gulari beneuolentia Christus nō prætermisit curam
consulendi patriæ, suisq́; ciuibus benefaciendi: ut nul
lum genus hominum, nulliusq́; ætatis, conditionis, at
que sexus mortales reliquerit, quos beneficio affice=
re non procurarit; & in quos beneficum se non præ
stiterit; officiaq́; charitatis non exercuerit. Duplici
quidem beneficij genere Christus se beneficum in ho=
minum genus præstitit; & suam erga miseros mor=
tales charitatem, curamq́; duplici muneris exhibi=
tione declarauit. non minus enim qui forent infir=
mi corpore, et morbis, uitijsq́; corporeis laborarent,
mira uirtute curauit, sanauitq́;: sed etiam qui ua=
rijs, noxijsq́; animi ægritudinibus detinerentur, &
grauibus peccatorum morbis occupati, oppressiq́; es=
sent, liberare procurauit. Quidquid in sanandis
corporibus, infirmitatibusq́; corporeis auferendis ef=
fectus, atque miraculi operatus est Christus, typo
quodam, atque symbolo refert, designatq́; id libe=
rationis, atque sanitatis: quod humanis animis stu
duit conferre dum rationem quærendæ salutis attu=
lit, & medendi peccati ægritudini, uitiorumq́; infir
mitatem curandi uim, potestatemq́; induxit. Quin
nulla infirmitas corporis, nullusq́; corporeus mor=

bus à Christo perhibetur sanatus in homine; qui typum non gerat alicuius infirmitatis, siue morbi, qui Christi opera, atque uirtute in animo hominis æquè sit curatus, atq; sanatus. Quapropter nunquã reperiri contingit Christi beneficentiam in hominem fuisse exercitã sanati, liberati'ue aliquo uitio, affectu'q; corporis ratione; quin ipsius corporis typo intelligẽdum sit in animo aliquid uitij, prauiq; affectus opera, beneficentiaq; Christi esse sanatum. O' pulchram arguendæ, ostendendæq; in hominem Christi beneficentiæ, & charitatis rationem. O' commodum, efficacemq; modum Christi bonitatis, Christiq; potentiæ, & uirtutis indicandæ, atque exprimendæ. Itaque Christus suæ potentiæ, suæq; erga hominem beneuolæ propensionis insigne argumentum tulit; cum leprosum sibi factum obuiam, opemq; suam implorantem lepra subitò liberauit, & beneficentiæ munus in eum exercuit, quem antea nec uisum, nec cognitum habuerat. Christus quidem potenter egit, & beneficè, amanterq; se gessit, & plurimum bonitatis ostendit, quatenus hominem lepræ morbo propemodum immedicabili subitò exoluit; & pro sua bonitate, suaq; benefaciendi homini propẽsione uix requisitus, rogatus'ue sanitati restituit. Sed longè potentius egisse, longè maiorem bonitatem ostendisse; & multò amantiorem, beneficentioremq; se præstitisse comperietur: si consideretur, hominem ipsum qua lepra animi laboraret, eius opera, eiusq; beneficio fuisse liberatum. Lepra animi, morboq; grauissimo liuoris, atque inuidiæ, quæ sicut lepra to=

tum corpus hominis inficit, ita totum hominem ipsa occupat non minus propemodum corpus affligens, quàm animum torquens, liberauit, exoluitq; hominem Christus: quatenus eum suo exemplo ad pietatis, sanctitatisq; studium prouocauit; & tam monitis, institutisq; rectè uiuendi traditis, quàm uirtute, potestateq; præstandi, exequendiq;, quæ traderentur, concessa sanandum procurauit, atq; liberandum. Hæc est illa lepra, qua sacris Hebræorum monumentis refertur Maria fuisse perfusa, dum liuore in fratrem Mosen ageretur; & non minus authoritatis, quàm ductæ Aethiopis inuidia in eum inueheretur. Non minus quoque Christus beneficentiæ, quàm potētiæ exercuit erga hominem: cum petitus, rogatusq; tam puerum Centurionis, quàm quendam alium paralysi grauiter laborantes sanauit; resolutosq; corporis neruos, atque compages mirifica, subitaq; ui constrinxit, atque confirmauit. Miræ fuit id uirtutis, maximæ fuit id beneficentiæ hominem tam graui, tamq; deplorata corporis infirmitate subitò liberari; & ab ea quam toto corpore, omnibusq; membris pateretur, mortifera affectione sanari. Sed longè plus fuit id potentiæ, atque beneficentiæ, quam Christus pro sua bonitate, suaq; in hominem beneuolentia exercuit; dum quam patiebatur homo sensuum exolutionem, & animi alienationem à ratione, sic correxit, atque curauit; ut qui pro neruis rationis oblæsis, atque resolutis stupidus mente, & recto sentiendi uigore priuatus deseruiebat uoluptatibus, & prauis affectibus animi detētus

iacebat, grauiterq; oppressus detinebatur: reciperet contracta, solidataq; ratione, pie, recteq; sentiendi potestatem; & curatis, sanatisq; noxijs affectibus liberam stupore mentem consequeretur. O benefi= cium Christi singulare. O medicam, salutaremq; Christi uirtutem. Qui eo paralysis, eoq; apoplexiæ peruenerat homo, ut iam mortem oppeteret, mor= tisq; apertum, certumq; discrimen iniret; Christi be neficio ereptus est morti: & Christi mira, potentiq; uirtute mortifero liberatus est discrimine. Cum adeo grauiter laboraret homo, adeoq; graui paralysi pre meretur, ut nulla euadendæ mortis spes superesset; nullaq; diutius uiuendi facultas superaret; pro sua bonitate, suoq; benefaciendi studio Christus uali= dam, potentemq; ei curando, sanandoq; manũ adhi buit; eumq; ab imminenti morte, atque exitio sua opera liberauit. Qui puerum Centurionis paralysi liberauit, idem socrum Petri ætate prouectam gra= ui febre exoluit. Socrũ Petri graui febre exoluit Chri stus, suæq; potestatis, atq; beneficẽtiæ illustre edidit te stimonium: sed illustrius edidisse deprehendetur, si quam uetulæ socrus ardentem febrem sedatã reperi mus, typo referre existimemus illius inueteratæ, u= naq; cũ homine nascẽtis in Venerẽ pronitatis arden tes æstus, noxiãq; febrem: quã sic sua uirtute, suaq; efficaci potentia sedauit, sanauitq; in homine Chri= stus; ut nullo modo prohibeatur, ueteturq; ipse ho= mo quominus possit ei instar socrus Petri inseruire, atq; ministrare. Quantũ præterea fuit id potestatis, et beneficẽtiæ, quo usus reperitur fuisse Christus; cum

diſcipulos maris agitatione, uentorumq́; turbine in graue naufragij diſcrimen adductos placato mari, repreſſiſq́; uentis ſeruauit, incolumesq́; cuſtodiuit. O' ſpecioſum, multaq́; refertum Chriſti uirtute, atque beneficentia typum. Cum diſcipuli Chriſto dormiente nauigarent, agitatum intumuit mare; & uentis grauiter urgentibus uehementer concitatum eſt; & futurum erat, ut pelago ſummergerentur, niſi Chriſtum excitaſſent; Chriſti experrecti opera, atque uirtute tranquillato mari liberati fuiſſent. Si qui in religione, diſciplinaq́; Chriſti initiati, inſtitutiq́; ſunt, nauigantes per huius mundi, fragiliſq́; uitæ procelloſum mare, Chriſtum in ſe dormire patiantur; fieri non poteſt, quin cupiditatum fluctibus agitẽtur; & tumeſcentem uentoſis rerum deſiderijs appetitum experiantur; ut facilè ſummergi, facileq́; in mortem ruere poſſint: niſi excitandum in ſe Chriſtum procurarint. excitato enim Chriſto non eſt cur timeant, formidentq́;: quoniam ea Chriſti poteſtas eſt, & uirtus; ut eius beneficio facilè maris, appetitusq́; procellas ſedare poſſint; & fluctus cupiditatum, affectuumq́; turbines, atque uentos refrenare. Nos itaque ciues, qui per mare huius uitæ mortalis nauiculam agimus; niſi Chriſtum excitemus in nobis, niſi Chriſti in animis noſtris experrecti opem, auxiliumq́; obtineamus; non eſt cur euadere ſperemus intumeſcentis, agitatiq́; maris procellas; & ſummerſionis, mortiſq́; diſcrimen euitare nos poſſe confidamus. Ne Chriſtum in nobis dormire patiamur oportet; ni uelimus in hoc mari uitæ procello=

ſo periclitari; & in huius mundi fluctibus, affectuumq́; turbinibus uexatos, atque agitatos interire. Nulla ciues acta mora, prius quàm naufragium patiamur, prius quàm fluctibus immergamur; procuremus in nobis excitare Christum: quo excitato nihil eſt, cur dubitemus: quin pro ea, qua pollet uirtute, et pro ea, qua nos proſequitur charitate, et beneuolentia impetum maris compeſcat, uentosq́; refrenet; & eruat nos, atque liberet: ne pereamus, ne'ue fluctibus obruamur. Sic ſedulò ſtudeamus excitare Christum in nobis; ut non ſinamus extremum ad diſcrimen nos adduci; nec eo in periculo deprehendi; ut de modica fide, & ſegni excitatione poſſimus redargui. Si qui aderant, cum Christus tempeſtate maris liberauit diſcipulos, admirati ſunt eius uirtutem, atque poteſtatem: quippe cui pareret mare, & obtemperarent uenti; quantò maiorem admirationem potuiſſent concipere, ſi cognouiſſent eiuſdem ui, uirtuteq́; effici; ut mare appetituum irrationalium ſedetur; & uentoſus inanium cupiditatum, atque uoluptatum impetus compeſcatur. O' mirã ſtupendamq́; Christi uim, atque poteſtatem. eam dico maxime, de eaq́; maxime ſentio: qua operatur in hominis appetitu ſedando, hominisq́; impotenti cupiditate compeſcenda, atque refrenanda: quæ quidem refrenatio, atque ſedatio tantò dignior eſt admiratione, tantoq́; potiorem uim, uirtutemq́; Christi arguit, quàm illa maris, atque uentorum: quantò humani arbitrij poteſtas in malum procliuis, atq; mali ſtudioſa difficiliorem reddit hominis in bonum

conuersionem: & hominem ipsum efficit auersiorem ad obsequendum Deo, Deiq; uoluntati obtemperandum: quàm naturæ ratio mare ipsum, ipsosq; uentos: qui quidem adeo pro sua natura, suæq; naturæ ratione nihil repugnant Deo; nihilq; à Dei obsequio abhorrent; ut Dei ipsius uoluntate omnino agantur, reganturq;; & omni operatione, atq; effectu Deo ipsi consentiant, atque obtemperent. Id sanè potentiæ in pacando mari, compescendisq; uentis à Christo ostensæ; & id beneficentiæ in liberandis ab imminenti mortis periculo discipulis exercitæ admonet; ut hic eius potentiæ, eiusq; beneficentiæ mentionem non prætermittamus: quibus æquè in mari discipulorum, Petriq; maxime contemplatione usus esse perhibetur. Cum enim in cymbam Petri se Christus intulisset; & ea in altum impelli iussa mandasset retia iactari ad pisces capiendos; quem laborem, operamq; tota nocte frustra à se impensam dixerat Petrus, iussu Christi, iactatis retibus sic resarciuit; ut tantum piscium uno retis iactu concluderet, ut trahẽdæ capturæ causa implorare sociorum opem necesse haberet. Qui Petrus unà cum socijs tota nocte piscando laborarat, & nullis captis piscibus operam, laboremq; triuerat; Christi potestate, Christiq; beneficio consecutus est; ut uno duntaxat iactu retis tam uariã, numerosamq; pisciũ multitudinem exciperet; ut eis deferendis, uix duarũ cymbarũ capacitas sufficeret. Si Petrus uno iactu retis præter omnem solitũ piscandi successum tot pisces cepit; ut captorum piscium copia non minus arguat Christi

potestatem, quàm beneficentiam erga Petrum, socioś; Petri: quantò magis, ualidiusś; constiterit tam potentia Christi, quàm beneficentia: si capturam piscium, capturam hominum referre intelligamus: quam Petrus Christi uirtute, Christiś; beneficio fecisse comperitur: in qua quidem captura cum non tam capientis, quàm captorum causa beneficentiæ ratio sibi locum uindicet; & longe præstantior, difficiliorś; eorum, qui capiuntur, ratione, conditio capiendi existat: necesse est, ut mirabilioris potentiæ, maiorisś; multò beneficentiæ ratio arguatur. O mirabilem, felicemś; capturam; qua fit, ut qui capiantur, libertate donentur, captiuitateś; peccati exoluantur; & qua detenti seruitute fuerant, liberentur. Hæc est captura, quæ Christi uirtute, Christiś; beneficio à Petro, socijsś; Petri facta ex seruis homines efficit liberos; & qui capiuntur, cum forent nexi, exoluit prorsus, & in libertatem restituit. Huiusmodi captura Christi potestate, Christiś; beneficentia tam abundè, tam copiosè facta est; ut eius præda repletæ sint duæ cymbæ; duæś; tribus hominum sacra uidelicet, et profana constitutæ. Gaudendum quidem nobis est ciues, & nobis inuicem gratulandum; quandoquidem sumus ex piscibus, quibus accidit Petri retibus esse comprehensos; et Christi beneficio in Petri retia redactos. Agnoscamus Dei in nos beneficentiam ciues, Christiś; beneficium gratis animis suscipiamus: quatenus ex piscibus, qui in hoc uitæ mari, pelagoś; uersantur, deguntś;, nos quoq; sumus excepti Pe-

tri retibus, Petriq́; ſagena incluſi. Sed Deus, Deiq́; filius Chriſtus, qui pro ſua bonitate, beneficaq́; charitate effecit, ut ex captis eſſemus piſcibus, & Petri retibus concluderemur: æquè operetur opto; ne, cum ſagena uarij, multiplicesq́; piſces congregentur, ſimus ex illis, qui ſelectione facta, foras eijciãtur: & mali reperti in mare demittantur. Sed cum nullo modo exiſtimandum ſit Deum, Deiq́; Chriſtum pro ſua benefica bonitate, ſuaq́; in hominem ſumma beneuolentia defuturum nobis, nobisq́; aliquid opis, ſeu ſubſidij negaturum; pro uirili noſtra adnitendũ eſt; ne eius diuini beneficij, quatenus ex redactis in ſagenam ſumus, ingrati, immemoresq́; ſic agamus, ſicq́; uiuamus; ut in facienda ſcelectione deprehendamur mali, digniq́;, qui reprobemur, forasq́; proijciamur. ſicut Deus, Chriſtus'ue pro ſuæ bonitatis cumulo, ſuaq́; conſulendi, benefaciendiq́; nobis propenſione nihil curæ, diligentiæq́; prætermiſit, quò caperemur, & quò capti tales efficiamur; qui poſſimus approbari, in uaſaq́; conijci: ita nos, cum ſimus ex captis, conari debemus, ne rem noſtrã tã ſegniter agamus, & oblatam ſalutis occaſionem ſic negligamus: ut cum tempus ſeligendi malos piſces à bonis aduenerit; eorum numero cenſeamur; qui pro malitia, & prauitate mereamur abijci, atq; reprobari.

Qui ſe beneficum, potentemq́; oſtendit in piſcatione, capturaq́; piſcium; idem tantum potentiæ, tantumq; beneficentiæ in abigendis, expellendisq́; ex humanis corporibus immundis ſpiritibus exercuit; ut facilè hæſitari poſſit, maiori'ne aduerſus Demones,

quos abegerit, uſus ſit authoritate, atq; poteſtate: an erga homines quos liberarit, beneficentia, atq; charitate. Homines uariè, multifariamq́; pro uaria, multifariaq́; conſtitutionis corporeæ ratione uexatos, agitatosq́; immundis ſpiritibus liberauit: & non minus ſanitati corporis, quàm ſoſpitati animi eos reſtituit. Id enim genus mali affectus cum trahat originem partim ex praua corporis habitudine, partim ex noxia peccati; & hominem ipſum uexet, & affligat tam corporis, quàm animi cauſa: euenit, ut quos ab huiuſmodi prauo, immundoq́; affectu Chriſtus liberaret; eis conſuleretur non ſolum animi, ſed etiam corporis reſpectu: & tam peccati noxa, quàm corporis habitudine correpta proſpiceretur. O' mirificam Chriſti uirtutem. O' ſingularem beneficentiam. Qui pro corporis mala habitudine, et pro ea quæ peccati eſt cum Demone affinitas, atque connexio, uexabantur, atque torquebantur tam animo, quàm corpore à Demonibus; & ab immundis ſpiritibus oppreſſi malè habebantur: eos beneficus, ſalutarisq́; Chriſtus ſuapte ui, atque uirtute tā mala corporis habitudine correcta, quàm peccati noxa curata exoluit, quibus occupabantur laruis; & quibus obſidebantur Demonum affectibus, liberauit. Quamuis huiuſmodi Chriſti curatio, quæ tam malignæ habitudinis correctæ gratia ad corpus, quā noxæ abſterſæ cauſa ad animum pertinet: ingentem teſtetur ipſius Chriſti potentiam, & eximiam in hominem beneuolentiam: ut uix potentiæ id genus, & beneficentiæ uideatur quid adijci poſſe: tamen ſi

typo Demonum ex hominibus abactorum deſignari
etiam arbitremur noxia, pernitialiaq; peccata Chri
ſti uirtute, Chriſtiq; beneficio ablata homini: nihil
obſtiterit, quin intelligamus tam potentiæ, quàm
beneficentiæ Chriſti indicandæ, atq; exprimendæ plu
rimum inde accedere. Non carebat quidem peccati
ablatione, quidquid laruatis in hominibus expul=
ſionis, atq; abactionis Chriſtus operabatur: ſed cum
ratione habitudinis, affectionisq; corporeæ, uiſili=
ter uexandi hominem, & non ſolum animo, ſed
corpore etiam torquendi uis, poteſtasq; competeret
immundis ſpiritibus, atque laruis: eatenus typi,
reiq; eadem ratio, uirtusq; non fuerit cenſenda; qua
tenus curatio in typo affectionem corporis acceden=
te peccato contractam abſtulit; & in re curatio ipſa
nihil, quod ad corpus pertineret, ademit: ſed abe
git, aboleuitq; peccata; quæ ſolum animum tor=
quebant, ſoliq; animo oberant: & quantò contra=
ctius ſe habebant, tantò magis inualeſcebant; tan=
toq; plus damni, nocumentiq; lethalis, atque mor=
tiferi inferebant. Vt uarios Demonum affectus in
hominibus, & ut uarijs modis affectos immundis
ſpiritibus homines curaſſe comperitur Chriſtus: ita
uaria in hominibus peccata curauit; uarijsq; modis
ſubiectam, obſeſſamq; peccatis hominis naturam, ſi
ue conditionem ſua uirtute liberam reddidit, atque
immunem. Quò fit, ut ſi mulierem ſeptem Demo=
nibus oppreſſam Chriſti uirtute, atque opera libera=
tam legimus, nihil prohibeat; quin typo id genus
referatur, quidquid beneficio, uirtuteq; Chriſti na

turæ humanæ partum est liberationis septem lethalium peccatorum ratione. Nihil etiam obsistit; quin ea, quæ duorum perhibetur à Christo facta liberatio: qui laruis agitati mirè sæuiebant, uiamq; obsidentes prohibebant quenquam pertransire; eam utriusq; sexus liberationem referat; quam Christus attulit: quatenus in natura humana contudit, atque repressit concupiscibilem, irascibilemq; affectũ: quibus maxime salutis iter impediebatur; & quorum furore, atque sæuitia fiebat, quominus uia uirtutis transiri posset. Qui uerò larua Christi uirtute memoratur ex homine, quem mutum redderet, eiectus: satis appositè uideri potest referre id impedimenti homini ablatum; quo laborans detinebatur; quominus auderet uel pro ueritate asserenda, uel impietate arguenda palàm uerba facere. Quod enim homini fuerat impedimenti; uel humanæ gratiæ captandæ, uel odij, periculi'ue deuitandi causa; quominus quæ rectè, pieq; sentiret, proferret: & quæ nefariè, atque impiè committi nosset, redargueret: id uirtute, uiq; sua Christus abstulit; & hominem, qui studio placendi mutum se in proferenda, asserendaq; ueritate præberet; & formidine offendendi subticeret, quæ pro uitijs reprehendendis forent opportuna; excitauit, animauitq; ad loquendum ingenuè, proferendumq; constanter tam nulla humanæ gratiæ ratione habita, quàm postposito omni offensæ, periculiq; pauore. Qui sic uiuit ut pro ratione uitæ, quam turpiter, nefariæq; agat: non possit conuenienter in uitia inuehi, aliosq; ma

lè agentes increpare: is muto larua laborat: is malo, immundoq́; ſpiritu affectus obmuteſcit. Qui ſtudio placendi hominibus more mutorum annuunt uitijs, & offendendi timore non audent damnare, increpareq́; nefarios, impieq́; agentes: hi nimirum lemure muto obſideri ſunt exiſtimandi: & illi prorſus homini æquiparandi, qui larua obſeſſus mutu iſſe perhibetur. Sed cui Chriſti uirtus ſic aſpirarit: cui beneficentia Chriſti ſic agnita, admiſſaq́; fuerit; ut in primis piè, ſanctèq́; ipſe uiuat: & deinde ſtudio conſulendi, proficiendiq́; alijs, tàm monendo, quàm increpando uerba faciat: & nulla nec offenſæ, nec gratiæ habita ratione ingenuè tam pro uirtutis, religionisq́; ſtudio inducendo, quàm pro uitijs euellendis, ſiue ſummouendis loquatur: is cenſendus eſt ab immundo larua, quo detentus muteſceret, à Chriſto liberatus; Chriſtiq́; uirtute, atq; beneficio ab ea, quæ eum mutum efficeret, mali lemuris affectione exemptus. Ille prætereà, qui cum peſſimo larua correptus ſic agitaretur, torqueretur q́;; ut terræ ſæpe impingeretur, interdum in ignem conijceretur, aliquando in aquas deferretur; Chriſti opera, atq; uirtute memoratur tam noxio, periculoſoq́; affectu fuiſſe liberatus: ſignanter, apteq́; refert hominem, qui alioqui ſic afficeretur; ut uitæ dumtaxat huius rationem habens, rerum terrenarum ſtudio occuparetur; fluxas corporis, ac ſenſuum uoluptates ſequeretur; honorum faſtum, dignitatumq́; elationem æſtuanter ambiret: Chriſti beneficio eiusmodi noxijs, præ=

uisq́; affectibus liberatum; & in ueram boni, ma-
liq́; cognitionem adductum: ut non amplius, nisi
ultrò uelit, ob ignorantiam impingatur terræ, non
deuoluatur in ignes, non aquis immergatur. Quis
satis apprehendere, animoq́; complecti, nedum uer
bis explicare possit, quantum sit id potentiæ, &
uirtutis, quantum sit id beneficentiæ, & charitatis,
quod Christus ostendit, Christusq́; exercuit non so-
lum in tot ab immundis, noxijsq́; tot lemuribus li-
berandis; sed etiam in genere ipso, naturaq́; homi-
num tot noxijs peccatorum oppressionibus, totq́; ma
lorum affectuum arreptionibus curanda, atq; libe-
randa? Quis satis admirari queat bonitatem, prom
ptitudinemq́; Christi in conferendis homini benefi-
cijs: qui quatenus ratio beneficiorum ipsorum, atq;
conditio pateretur; uel non petitus, uel non inter-
pellatus ea impenderit, atq; contulerit? Quod abun
dè constare potest ex tot, quos à fœdis, pernitio-
sisq́; Demonum affectibus neq; petitus, neq; roga-
tus liberauit. Non illud etiam mediocre fuit Christi
bonitatis, Christiq́; ad benefaciendum, consulen-
dumq́; homini promptitudinis, atq; studij: dum co-
libystarum, publicanorumq́; consuetudinem non
detrectauit; & apud fœneratores, peccatoresq́; di
uersari non est dedignatus; quò prodesset eis, &
quò saluti eorum caueret, atq; prospiceret. Tam
enim uehementi cauendi homini studio agebatur
Christus, tam ingenti desiderio iuuandi hominem,
beneficioq́; afficiendi ducebatur: ut neq; decori, neq;
existimationis suæ habita ratione se ultrò præberet,

exhiberetq; ; ubicunq; uel se prodesse posse animaduertisset; uel suo opus esse officio, atq; opera cognouisset. pientissimi enim amantissimiq; medici officio usus adeo propter immunditiam ægrotantium, ægritudinumq; ipsarum grauitatem non restitit; quominus tam ægrotantes adiret, quàm ægritudinibus remedium adhiberet: ut ultrò se obtulerit, & tantò promptiorem se præstiterit; quantò magis ope sua, atq; officio indigere prospexerit ipsos ægrotantes: quò sordibus emũdarentur, et morbis exoluerentur. Hinc porrò ciues abundè possumus non solum egregiam Christi bonitatem, studiumq; præcipuum erga hominem iuuandum, seruandumq; comprehendere; sed etiam ipsius Christi exemplo addiscere, cuiusmodi nosmetipsos præstare debeamus erga eos; quos nostra consuetudine iuuari posse confidamus: & quibus nostrum officium, atq; operam pro uita corrigenda usui posse esse speremus. adeo enim aliquorum, qui causa turpis, flagitiosæq; uitæ malè audiant, & grauiter laborent infamia; consuetudinem detrectare, amicitiam odisse non debemus: si quid modò speremus nos eis posse conferre corrigendis, & ad meliorem uitæ rationem deducendis: ut exemplo Christi prouocemur ad eorum consuetudinem habendam, quærendamq; cum eis familiaritatem, atq; amicitiam. Si quid nobis est boni, quo prodesse queamus, & cuius causa usui esse possimus; cur maxime' studendum non est, & procurandum; ut id offeramus, & exhibeamus eis, quibus conducere, quibusq; usui esse posse sciamus?

ſciamus? Quapropter nulla ratio humani decori, nullus ciuilis existimationis reſpectus debet nos impedire: quominus ſi noſcamus, ſiue ſperemus noſtram operam, noſtrumq; officium poſſe conducere aliquid, & in conſequendæ ſalutis ratione iuuare, ineamus conſuetudinem quoruncunq;, & quorũcunq; familiaritatem, atq; amicitiam quæramus: qui etiam uulgò peſſimè audiant, & uitæ notentur ignominia. Licet enim Chriſtus dignitatẽ existimationemq́; ſuã ſatis tueri uulgo non iudicaretur, quatenus cum publicanis epulabatur, & cum fœneratoribus conſuetudinem habebat: tamen pro ea, qua proficiendi, benefaciendiq́; promptitudine, atque cura detinebatur; tam non deſtitit rumore uulgi habere conſuetudinem cum publicanis, atque peccatoribus: ut obiectioni reſpondendo palàm atteſtatus ſit, ſe maxime eorum cauſa acceſſiſſe; & inſtar medici non ſanis, ſed ægrotis ſuccurſurum aduenisse. ſicut unusquiſque, qui ſic polleat probitate, ut facile deprauari non poſſit conſuetudine malorum; ſiquidem oblatam occaſionem proficiendi uiderit; non ſolum non debet exemplo Chriſti eorum conſuetudinem deuitare, ſed ultrò etiam familiaritatem quærere, eorumq́; ſe amicitiæ inſinuare: ita quiſque uel nequiſſimus uita, corruptiſſimusq́; moribus animaduerſa Chriſti in publicanos, fœneratoresq́; iuuandos, atque ſeruandos cura, & diligentia non debet ullo pacto à ſpe conſequendæ ſalutis decidere, aut diffidere, quin facile, modò uelit, ſit Chriſtum ſibi amicum, familiaremq́; conſecuturus; & Chri=

sti consuetudinem habiturus: qui adeo cuiusquam amicitiam, consuetudinemq́; pro sua bonitate, beneficaq́; cura non spernit, detrectatq́;: ut quibusq; amicum, beneficumq́; se ultrò præbeat; & in omnes, qui nō recusent, renuant'ue; suæ bonitatis, & beneficentiæ largitatem exerceat. Ea enim est bonitatis Christi conditio; ea est Christi beneficentiæ largitas; ut præter ea, quæ plurima in hominem ultrò, minimeq́; petitus confert beneficia: tam nihil, quod homini expedire possit, à se frustra peti permittat: ut omni eius petitioni promptus annuat: & quatenus se homini satisfacere, prodesseq́; posse perspiciat; facilem, indulgētemq́; in eum mirū in modum se præbeat: cuiusmodi se omnino præbuisse comperitur: cum petitus à sinagogæ principe, ut filiam in extremo uitæ discrimine constitutam iret curatum; tam non renuit, tam quidquam non excusauit, tam aliquid moræ ad obsequendum non commisit; ut placide annuens, subitoq́; iter arripiens domum principis concesserit; filiamq́; eius mortuam iam repertam mira potestate, atque charitate excitarit, atque uiuificarit. O' mirandum, stupendumq́; Christi facinus: o' ingens tum patri, tum filiæ collatum à Christo beneficium. Quis nescit, quàm sit præter naturæ omnem rationem uitam morte obita restitui, & humanum cadauer rursus uiuificari; & in munia uiuendi reduce anima reuocari? pro ea, quæ in ratione naturæ est priuationis ad habitum reuocandæ impotentia: cum fieri nequeat, ut quæ semel corpori humano uita sit amissa, recupere-

tur: necesse est argumentari, cuius uirtute id genus rei effectum sit, idq; facinoris editum; eum naturæ præsidere, nihilq; in natura rerum inueniri, quod licet uim, facultatemq; naturæ excedat; non facile tamen ipse possit præstare. Quis æquè non agnoscit, quantum beneficij Christo acceptum referre debeat pater; qui filiam, quam unicam habuerat; & de qua pro adulta ætate iam lætam expectationem, spemq; optimam conceperat; defunctam, & immatura morte arreptam recuperauit, & sibi, uitæq; restitutam accepit. Quæ uerò filia, cum florida in ætate constituta morte foret extincta; & melioribus uitæ annis, lætioriq; uiuendi usu repentino obitu esset fraudata; reuocata fuit ad uitam, ad dulcesq; uiuendi auras denuo restituta: quanti ducere, quanti æstimare debeat id accepti muneris, & beneficij, facile animaduertere poterit, qui secum reputarit, quanti sit uitæ fruitio, & quàm cæteris rebus uita ipsa præferenda sit, atque præponenda. Mirum sanè, & plurima beneficentia refertum fuit id Christi facinus; quatenus eam, quæ perierat uitæ restituit; & patri filiam, quam morte amiserat, uiuam incolumemq; reddidit. Sed non fortè minus admirationis promeretur, nec minus beneficentiæ in se continet: quod aptè uideri potest huiusmodi facinoris typo referri, atque designari. Quemadmodum Christus principis filiam defunctam excitauit, & uiuam patri reddidit: ita rationem, quæ rectè pro ortu, quem iam adulto homine actu sortitur, filia

hominis dici potest, mortuam iam, lethaliq; appeti tu oppressam sua uirtute excitauit: & uegetam, uigentemq; patri ipsi homini restituit. Quæ filia hominis ratio mortis tenebras patiebatur; & mortifero appetitu oppressa iacebat; eam Christus summota turba affectuum, quæ astabat, tactam, iussamq; surgere uiuificauit. O' excellentem Christi uirtutem: ò beneficentiam Christi singularem. Cum ratio hominis eò conditionis iã peruenisset; ut conculcata, oppressaq; appetitu instar mortuæ se haberet, & uideri posset extincta: Christi uirtute, Christoq; tangente sensum recepit, uires recuperauit, & uitali uigore suscepto ualida, potensq; surrexit. Quòd ratio excitetur, quòd uitæ uigori restituatur, id est Christi beneficium. quòd excitata ratione, uitaliq; uigori restituta se benè habeat homo; & lætam, felicemq; uitam consequatur, id Christi beneficentiæ est ascribendum, & Christi erga hominem beneuolentiæ, & charitati attribuendum. Sed priusquàm Christus rationem exsuscitet prorsus in homine; prodeunte ex ipso uirtute contingit; ut fluxus corporei appetitus, & restagnans, redundansq; corporis affectus comprimatur. Mulier enim illa, quæ fluxum sanguinis patiens, Christum, dum principis filiam iret excitatum, tetigit; & eo tacto à fluxu liberata est: congruè refert inferiorem animæ partem: quæ cum alioqui solita sit appetitui inseruire: uirtute tamen Christi eò sanitatis adducatur: ut compresso, quo maxime laborabat immundo appetitus fluxu, recipiat rectam, quam potest,

ad partem animæ superiorem, conuersionem. Qui principis sinagogæ Iairi filiam petitus, rogatusq; uitæ restituit; idem uiduæ filium, quem æque unicum habebat, cum efferretur, miseratione matris commotus, ultrò, minimeq; rogatus excitauit, mœstæq; matri sospitem, incolumemq; reddidit. par quidem ratio potestatis est à Christo exercitæ in uita filio uiduæ, filiæq; principis restituenda: par item beneficij collati ratio existit tam respectu eorum, quibus uita est restituta, quàm eorum causa, quibus proles, quam unicam haberent, est reddita. plus fortè benignitatis, charitatis, beneficentiæ in excitando uiduæ filio uideri poterit Christus ostendisse; quatenus beneficium neque petitus, neque rogatus impendit; & ultrò se beneficum ploranti matri compatiens præstitit. Sed si rogandi Dei, petendiq; Christi uariam esse rationem agnouerimus: & considerauerimus non tam uoce, uerbisq;, quàm animo, atque affectu rogandi Dei rationem constare, & in conferendis nobis beneficijs Deum non tam respicere, quid petamus, quibus'ue uerbis rogemus; quàm quo animi affectu præbeamus nosmet idoneos accipiendis beneficijs; & qua gratitudine animi ipsa beneficia simus accepturi: poterimus fortasse existimare uiduæ conditionem, uiduæq; ploratum, & lachrimas instar petitionis extitisse: & idcirco nihil minus ad impetrandum beneficium, prouocandamq; Christi beneficentiam polluisse, quàm Iairi principis uerbis prolatam, uoceq; expressam petitionem. Sicut filiæ principis ty=

po rationem hominis aptè indicari sentiebamus; ita nihil prohibet, quin æquè sentiri possit, filij uiduæ typo designari intellectũ humanæ creaturæ: quæ quod uirtutis, uirilitatisq́; principio adfuerat, cum peccato amisisset; nõ ab re nomine uiduæ censetur: cuius quidem intellectus cum sic se haberet; ut nihil uitæ, uitalisq́; uigoris in se contineret: & conclamatus, deploratusq́; nihil amplius, nisi sepulturæ officium exigeret; beneficio, uirtuteq́; Christi uitam recepit; et à morte, sepulturæq́; tristi officio liberatus est. Restituere uitã homini, mortuumq́; hominem suscitare, tã miræ est facultatis, tamq́; insignis est beneficentiæ; ut nil aliud quidquam reperiri posse uideatur, quod homini præstitum, atq; collatum tantum uirtutis, atq; beneficentiæ arguat. Quòd si rationẽ exactè cõsideremus, qua fiat ut uita hominis maximi beneficij loco sit cẽsenda; et qua efficiatur, ut semel extincta uita hominis suscitetur; sicut non minus propemodũ potentiæ à Christo ostẽsum inueniemus in cæcis natura illuminandis, quàm in mortuis excitandis: ita plus beneficẽtiæ argui posse deprehendemus ex lumine cæcis collato, quàm ex uita mortuis restituta. Si rationem impotentiæ naturalis, quæ est priuationis ad habitũ reuocandæ, perpendamus: nõ minoris uidetur esse potẽtiæ, cæco natura uisũ afferre; quàm sit defuncto uitã restituere: nisi fortè maioris etiã idcirco uideatur; quòd cæco, quo semper caruerit, uisus conferatur: defuncto uerò, qua diu polluerit, uita restituatur. Si rationem exquiramus, qua fiat, ut uita homini sit optanda, locoq́; beneficij habẽda: reperiemus nihil in

uitæ optandæ ratione potius, efficaciusq́;, quàm uim, facultatemq́; uidendi: quæ tanti est momẽti in scientiæ, intellectusq́; consecutione; et tãtum iucunditatis, et delectationis ratione uisilium afferre potest; ut qui ea careat, eaq́; carẽdo, sciat, qua iucũditate, quaq́; cognitione ea de causa priuatus sit: non solum se miserum, infelicemq́; existimaturus sit; sed etiam ægrè laturus uitam, uitamq́; ipsi sibi arbitraturus superuacaneam. Quò fit, ut si uis, uirtusq́; uiuendi maxime operatur: ut uita homini sit accepta: & in causa est, ut cui non adsit, is se miserum ducat, uitamq́; ægreferat: tãtò maioris beneficij sit cẽsenda homini, quã uita: quãtò pluris esse ducitur id, propter quod quid est: quã id ipsum, quod est: et quãtò magis expetẽdum est id, propter qđ quid expetitur, quã id ipsũ, qđ expetitur: cũ cessante eo, cuius causa quid expetitur, nihil supsit amplius, cur id ipsũ expetatur. Cũ plurima sint, quæ possint efficere, ut quis nolit uiuere, et mori malit, quã uitã agere: nihil tamẽ inuenitur, quo efficiatur, ut quis nolit uidere; & malit cæcutire, quàm luce potiri. Qui lucem non haurit, colores non percipit, et assiduis tenebris inuoluitur: si propter miserã uitã, quã cæcitatis causa agit, deterioris nõ est cõditionis, quàm mortuus; saltẽ instar est mortui; mortuoq́; similis habendus est: tametsi non potest non differre à mortuo eatenus, quatenus mortem, quæ semel alioqui subitur, sæpius obit: & assiduam, quæ alioqui momentanea sit, experitur. Hinc incestuosus ille, tragicusq́; parricida minorem commissis flagitijs pœnam mortem ipsam ratus, erutis sibi ocu=

lis cæcitatem existimauit pœnam flagitijs digniorem, & pro duritate, atque acerbitate conuenientiorem enormibus, quæ commisisset, sceleribus puniendis. Quòd si cæcitas in homine, qui alias uiderit, uidendoq́; notitiam rerum lucis, colorumq́; adeptus ita fuerit; ut licet uisu priuetur, retineat tamen mente, quæ uiderit, quæq́; uidendo cognouerit: & hac ratione possit æquanimius cæcitatis detrimentum tolerare, durior, asperiorq́; putata est morte; & miseria, calamitateq́; superare ipsam mortem: quid sentiendum fuerit de ea cæcitate, quæ homini ab origine inhæserit, & qua homo ipse semper laborarit? quo angore affligi, qua mœstitia torqueri, qua afflictione cruciari credendũ est eũ; qui cum lucem audiat, & colores nominari, et tot mirabiliũ rerum, quæ uisu percipiũtur, nomina proferri; cogitet spectaculo id genus, cognitioneq́; eiusmodi se carere prorsus; & expertẽ uiuere adeo cõmemoratæ lucis; & tot rerũ cognitione priuatum detineri. O` miseram, duramq́; cæcitatẽ. O` extremã cæci hominis ab origine maximè calamitatem: uiuit enim in assidua morte constitutus: uitam agit miserijs, tenebrisq́; inuolutam: & tantò morte ipsa peiorem; quanto` diuturniorem agit, & sensiliorem. Quantum est igitur credendum fuisse id beneficij, quantumq́; id beneficentiæ extitisse putandum est; qua usus comperitur Christus erga eos; qui cũ ab origine cæci forent, uisum receperunt: & facultatem uidendi, qua semper caruerant, adepti sunt. Qui nunquam uiderant, qui à natura cæcutiebant; hi

Christi beneficentia, Christiq; ad proficiendum homi ni promptitudine, uidendæ lucis, comprehendarũq; rerum uim, potestatemq; consecuti sunt, & exempti tenebris, quibus ab origine obsessi fuerant; in lucis aspectum, rerumq; pulchrum spectaculum educti fuerunt. Duo fuerunt cæci, qui Christum adeuntes obtinuerunt, ut uiderent; & tenebras cæcitatis, quibus offundebantur, excuterent. Vt cæci, captiq; oculis corporeis uisum reciperent, eximiæ fuit potentiæ, ingentisq; fuit beneficentiæ: sed longè maioris tam potentiæ, quàm beneficentiæ extitit, ut qui cæci animo, captiq; oculis mentis, seu intellectus in tenebris ignorantiæ miserè degebant, & uitam morti similem, mortéue ipsa peiorem trahebant; ad ueritatis cognitionem deducerentur; & uisum reciperent; quo possent uiam salutis ingredi; & ad uitæ æternæ felicitatem peruenire. O maximã uirtutem, singularemq; beneficentiam Christi: qui lucem attulit cæco, in tenebrisq; uiuenti homini. & ei, qua laborabat ab origine, cæcitatem prorsus abstulit, atq; eripuit. Hæc erat illa cæcitas, quæ peccato primi hominis contracta non permittebat; ut uia salutis inueniri quiret, & recto uitæ tramite contendi posset ab homine. Hanc cæcitatem Christus pro sua bonitate, suaq; in hominem beneuolentia, & charitate excussit prorsus; & ab oculis ipsius hominis penitus summouit: ut iam non possit homo causa cæcitatis aberrare; & uiam salutis pro caligine offusa nescire. Sed quinam sunt hi duo cæci Christi opera, atq; beneficio exempti tenebris ignorantiæ, & in uerita

tis, salutisq; cognitionem adducti? Duo cæci duo sunt populi Hebræus, & Ethnicus; quorum unus cum nube, tenebrisq; rerum inuolutus cæcutiret, disiecta nube, ablatisq; tenebris ad genuinam ueritatis speciem intuendam admissus est: & alter, cum cimerijs demersus esset tenebris; & tam typo, quàm specie à ueritatis ratione aberraret: inducta luce, & crassa prorsus abstersa caligine uisum recepit; ueritatisq; intuendæ potestatẽ consecutus est. Quam miram, beneficamq; potestatem exercebat Christus in edendis id genus miraculis: eam pro sua bonitate, suaq; benefaciendi largius, & proficiendi plenius cupiditate tradidit, concessitq; etiam discipulis; quibus ultrò dedit, ut possent febricitantes curare, leprosos mundare, mortuos ad uitam reuocare, Demones humanis corporibus abigere, & omne genus langoris, maliq; affectus depellere. O` summam, egregiamq; Christi bonitatem. O` beneficam, studiosamq; proficiendi liberalitatem. Qua præditus ipse erat potestate; quam insignem edendorum miraculorũ cœlo detulerat uirtutem; impertijt eam discipulis, & quatenus potuerunt accipere, nihil sibi retinuit potestatis; quod æquè eis pro sua bonitate, suaq; in ipsos beneuolẽtia nõ cõcederet. Suam bonitatẽ, suamq; erga discipulos beneuolentiam summopere testatus est Christus; quatenus eis, quam ipse habebat, mira edendi potestatem concessit: nec minus declarauit discipulis eiusmodi potestatem concedendo, suum studium, curamq; benefaciendi hominum generi; & in quã plurimos suæ beneficentiæ, & largitatis mune

ra diffundendi. Cum messem multam imminere ui
deret; multosq; animaduerteret esse, quibus consu
li, proficiq; posset: destinauit operarios; quorum of
ficio uteretur in colligenda messe, conferendisq; ho
minum generi beneficijs. Hac tamen lege eos ipsos
destinauit: ut quemadmodum ipsi gratis accepissent
operandi mira potestatem: ita eam operando, profi=
ciendoq; passim gratis exercerent: & nulla sui emo
lumenti habita ratione, quod uirium accepissent ad
iuuandos, seruandosq; mortales, ultrò, liberaliterq;
impenderet. Perpendite hinc ciues, quænam sit Chri
sti bonitas, & quàm ingenua, liberalisq; erga homi
nes beneficentia: qui non solum, quæ ipse sua ma=
nu, suaq; opera beneficia impenderet, ultrò, gratisq;
erogauit; & nullo nec emolumento, nec precio ca=
ptato impendit; sed etiam quam authoritatem disci
pulis concederet conferendi beneficia, operaq; sua
uulgò proficiendi hominibus: adhibito iussu sic con
cessit; ut nihil mercedis, aut præmij ex præstitis be=
neficijs sibi captarent: nec causa præstitæ iuuandis
hominibus operæ quidquam sibi muneris, aut lucri
referrent. Nobis hinc exemplo, præceptoq; Christi est
addiscendum, quàm committere non debeamus, ut
si quid uirtutis diuino beneficio nobis est cõcessum;
quo possimus aliquo pacto iuuare cæteros, alijsq; es=
se usui; aliquid mercedis nobis, aut precij ab eis, qui
bus prosimus exigamus: sed quidquid possimus Dei
munere id gratis, & nullo captato lucro impenda=
mus, quibuscunque nouerimus posse conducere, aut
esse necessarium. Vellem quoque sacri curatores, Ec

clesiæq; præsules exactius, quàm faciant, in præstandis officijs, impendendisq; beneficijs, quorum præstandorum facultatem Christi munere gratis sunt consecuti; Christi ipsius exemplo insisterent, præceptoq; obtemperarent. Proh pudor, & dedecus. Sic transuersos agit homines auaritia, et sic libido habendi abducit à Christi instituto, atque tramite: ut nihil iam gratis impendatur officij, & nihil nisi constituta mercede, exerceatur potestatis. O' perdita, peruersaq; tempora, in quæ incidimus. O' genus hominum, morumq; pestilens, & infame; cui nihil esse propemodum comperitur, quod Christo non aduersetur, quod Christi institutis non repugnet, & quod denique à charitate Christi, & beneficentia non penitus dissideat. Nihil omnino præstatur officij, nihil operæ impenditur, nihil potestatis exercetur, nisi proposito lucro captataq; mercede. Sicut Christus nullam occasionem prætermittebat, quò suæ uirtutis, beneficentiæq; thesauros in omnes diffunderet; & in omnes amantem, beneficumq; se præstaret; ita nihil ansæ pro turpi auaritia dimittitur nunc ab his Christi operarijs: quo prætenta uirtute, & beneficentia sibi thesauros undique contrahant, & prætextu charitatis, siue beneficij iacturam inferentes rem suam agant; & cum graui eorum damno, quibus uideri uolunt prodesse, res suas augeant, & pinguiorem sibi fortunam constituant. Tantum abest, ut quid hodie ex Christi instituto agatur gratis; ut non inueniatur, qui uel ostium templi claudat, uel ignem aræ succendat gratuitò.

Quin eò impudentiæ, & iniquitatis est peruẽtum; ut non præstita opera mercedem intercipiant; & officij, quod non præstant, præmium usurpent. Oblata altari munera impigrè auferunt, cum tamen nihil minus curent, quàm ipsi altari inseruire. Prædia nostris à maioribus pro diligẽtiori officio, accuratiori'q; opera obtinenda collata detinent; & prouentus pro exactiori cura elicienda constitutos carpunt, nihil interim exequentes eorum, quorum causa id genus bona collata, & prouentus huiusmodi fuere constituti. Quapropter cum minus impleant conditionem: cuius implendæ causa bona, prouentus'q; sunt consecuti: nihil est, quin possimus nos iure repetere, & aduersus eos agere conditione ob causam datorum: quo quidem agendi remedio si pro incuria experiri hic noluerimus; nihil fuerit, cur nobis exactam rationem iniustæ detẽtionis non reddant saltem tum, cum tam nobis, quàm eis ipsis ineuitabile Dei iuditium subibitur, & coram Deo cuiusque criminis, iniusti'q; facti, exceptione omni, dilatione'q; reiecta examen agetur. Sed ut de nobis quoque agatur, non est arbitrandũ ciues, futurum, ut nos absoluamur eo iuditio; aut rei non constituamur; quatenus inuicem non fuerimus benefici & quod boni, facultatis'que Dei beneficio acceperimus; à Deo'que gratis obtinuerimus; in medium gratuitò non contulerimus, iuuandis'q; alijs non impenderimus. Quod sanè, si nihil etiam nobis discriminis agendi iuditij ratione immineret: summopere est cauendum tam causa uitandæ ingratitudi-

nis, quàm utilitatis, beneficijq́; potioris sentiẽdi gra
tia. Quæ enim est ingratitudo; ut cum nihil boni
habeamus, quod à Deo nõ acceperimus; et quod Dei,
Christiq́; beneficẽtiæ à nobis referendũ non sit acce-
ptum: si Deus ipse, siue Christus petat, atq; exigat; ut
quod gratis nobis dederit, eius participes alios quoq;
nos faciamus; id recusemus, detrectemusq́; facere:
& cuius beneficentiæ nihil non debeamus, eius uo-
luntati non pareamus, & placito, atque iussui non
obtemperemus? Cum præterea quæ Dei, Christiq́; be
neficio habemus bona; ad ea impertienda alijs, atq;
communicanda à Christo, Deoq́; ipso prouocemur
oblata longè meliorum sponsione: cuius est insaniæ,
atque uecordiæ recusare id erogare, cuius repẽsio ma
ximo cum fœnore nobis sit futura: & quod ab eo,
qui dedit, grãdi cum lucro sit deniq; resartiendum?
Quapropter ciues cum quod iuuandis alijs contuleri
mus, & quod operæ, siue rei homini consulẽdi, pro
ficiendiq́; causa impenderimus; id sibi impensum, si
biq́; collatũ relaturus sit Christus: ei quid denegare,
à quo omnia habeamus, tam non debemus; tam eius
causa, qui longè meliora repensurus sit, impendere
quid, impertireq́; alijs non est nobis recusandum: ut
nisi quidquid boni, frugis'ue nobis sit; ultrò, gratisq́;
alijs conferamus: non minus graue uitium ingra-
titudinis simus incursuri; quàm nosmetipsos frau-
daturi longè potioribus, uberioribusq́; bonorum e-
molumentis. Exemplo igitur Christi ciues Christi do
cumento excitemur, inducamurq́; ad benefacien-
dum gratis, & ad impendendum, erogandumq́; gra

tuitò quodcunque à nobis diuino beneficio contin-git haberi: & ne prætermittamus, quantum ani-mis pollemus, quantum uiribus ualemus, quantum facultatibus, & fortunis possumus; gratis cousule-re, gratis succurrere, gratis proficere, atque benefa cere. tenemur, obstrictiq; sumus; si Christum au-dire, si Christum imitari, si Christi monitis, salutisq; institutis insistere uolumus; quod gratis, Deiq; bene ficentia acceperimus, siue animum, siue corpus respi ciat, id gratis impertire, gratuitoq; cum alijs com-municare. Nos prouocauit Christus, nos obstrinxit ad consulendum, proficiendumq; gratis, quatenus fieri potest; quò nulla proficiendi mercede ab eis, quibus profuerimus, accepta; longè maiorem ipse, preciosioremq;, quàm quæ posset ab homine præ-stari, mercedem constitueret nobis, atque præsta-ret. Quò fit, ut quod operæ, atque rei gratis contulerimus Christi instituto obtemperantes: tam non sit ipse Christus pro sua liberalitate passurus, ut gratis sit collatum, mercedisq; succedat expers: ut eius causa tantum præmij, tantum'que mercedis nobis sit allaturus, ut ne animo quidem plus op tando concipi, aut desiderando sperari potu-isset. O' largam, promptamq; Christi erga nos beneficentiam; qui nobis bona confert, nobisq; occasionem præstat: quò possimus prodesse: & proficiendo rursum ualeamus beneficentiam, & largitatem ipsius copiosius experiri. cuius planè be-neficentiam, beneuolentiamq; erga nos quis uel in de non maxime possit arguere; dum à nobis exigit;

ut ipſum plus amemus, quàm patrem, matremq́; ? Qui iuſtitiæ omnis eſt archetypus, quiq́; rectitudinis omnis, & æqui exemplar eſt: nequaquam exposceret ſe plus, quàm patrem, matremq́; à nobis amari: niſi conſcius ſui erga nos amoris, & ſuæ in nos beneficentiæ ſtudiũ agnoſcẽs ſciret, omnino ſe ſuperare ſua in nos charitate, & beneficentia quancunque paternam, maternamq́; charitatem, & beneficentiam. Nec pro eo, quem ſanguinis, & carnis ineſſe natura homini affectum nouiſſet, ſe plus amari, quàm patrem, qui genuiſſet, & quàm matrem, quæ peperiſſet, educaſſetq́; ; aliquo pacto poſtulaſſet: niſi ſuam in nos charitatem, ſuamq́; in nos beneficentiam maximo interuallo antecedere, ſummoq́; cumulo ſuperare paternam, maternamq́; beneficentiam, & charitatem animaduertiſſet: & id quamplurimis argumentis patere, conſtareq́; poſſe cognouiſſet: ut minus abſurdum uideri poſſet, quod exigeretur, nec difficile adeo præſtatu: quando quidem quæ ratio eſſet exceſſus, facile poſſet, quod foret ſanguinis eneruare. Cur enim quem ſua in nos beneuolentia longo interuallo comperiamus ſuperare cuiuſque patris in filios beneuolentiam; & quem longè in nos beneficentiorẽ experiamur, quàm patrem in ſe quiſquã filius: eum non facile poſſimus, ſi uelimus, plus quàm patrem amare; & maiori, quàm patrem ipſum beneuolentia proſequi? Si poſſumus, nihil eſt, quin quoque debeamus, cum iuſtitiæ, atque æqui ratio poſtulet; ut à quibus plus amemur, pluribusq́; beneficijs, & maioribus afficiamur: eò

maiori

maiori charitate prosequamur; eisq; arctiori amoris, & obsequij uinculo obstringamur. Quod si tam debemus, quàm possumus; cuius fuerit iniustitiæ, cuius fuerit inertiæ; ni præstemus, quod exigatur? Adeo nihil sanguinis, nihil cognationis, nihil humanæ coniunctionis Christi charitati, Christiq; obsequio præferendum est: ut Christi causa, Christiq; amore ius sanguinis abnegare, uim cognationis infringere, omnemq; coniunctionis humanæ nexum rescindere debeamus. Hinc machæram, hinc bellum attulisse se in terras protestatus est Christus: cuius causa quàm sit parum curanda, nihiliq; facienda ratio sanguinis, humanæq; coniunctionis affectio; ipse suo quoque nos exemplo docuit: cum matris, fratrumq; nomine interpellatus non aliam se matrem, nec alios se fratres agnoscere; quàm qui studio pietatis, cultuq; Dei detinerentur, affirmauit. O piam, sanctamq; Christi assertionem; ex qua non minus eius bonitas, quàm largitas arguatur, & ex qua non minus animi, speiq;, quàm documenti nobis afferatur. Quatenus enim Christus se obtulit futurum fratrem, filiumq; eorũ; qui summi, patrisq; Dei uoluntatem exequerentur: non'ne suæ bonitatis, suæq; immensæ benignitatis maximã significationem attulit; qui cum Dei filius esset, & pater humani generis, palam professus est futurum se filium homini, atque fratrem: qui Dei mandatis obtemperaret. Quantum animi, quantũq; spei potuit cuique nostrum afferre? quibus oblata est facultas fraterni iuris, fraternæq; coniunctionis cum

Christo, Deiq; filio ineundæ? Quantum præterea documenti reliquit? dum traducto sanguinis, cognationisq; affectu docuit animos nostros in Deum solum dirigendos, afficiendosq;: & duntaxat coniunctionem esse contrahendam cum eis, & seruandam: qui eodem spiritu, affectuq; agantur in Deum amandum, atque obseruandum. Qui pro sua in hominem beneficentia, & charitate se ab eo diligi plus quàm patrem, plus quàm filium amari exigit: & qui nullum cognationis, humanæq; coniunctionis affectum sibi præferendum significauit: idem pro sua excellenti bonitate, & erga hominem propensione protulit, asseruitq; palam se esse futurum filium, fratremq; homini, modò uoluntati Dei obsequeretur; patrisq; Dei mandata custodiret. Nec solum hic pro sua bonitate, benefaciendiq; homini promptitudine, non reiecit unquã, repulit'ue quenquam; à quo causa beneficij, muneris'ue alicuius obtinendi adiretur, peteretur q;: sed etiam ultrò comperitur accersisse ad se, ad seq; ultrò inuitasse labore affectos, quò leuarentur: & beneficio indigentes, quò reficerentur. O plenam charitatis Christi inuitationem. O benignam, summæq; bonitatis, & beneficentiæ indicem promissionem. Quis fuerit tam stupida mente, tamq; segni oppressus ueterno; qui cum beneficum, studiosumq; iuuandi, solandiq; hominis Christum audiat publicè ad beneficia accipienda inuitantem; & diuina sua uoce adhortantem, dicentemq;: Accedite ad me omnes, qui anxiè laboratis, & grauiter estis onusti, quò uos leuẽ, uosq;

reficiam: & pro onere, quo grauiter premimini, & pro iugo, quo anxiè laborantes detinemini, onus meum uobis imponam, quod leue sit, & gratum: & iugum meum uobis inijciam, quod suaue sit, & iucundum; plurimumq; uobis afferat tranquillitatis, & quietis: non inducatur ad tam benignam, largamq; beneficentiæ oblationem accipiendam: & tam amica, plenaq; charitatis inuitatione non commoueatur ad habendam sui commodi, suæq; quietis rationem: & colendum, obseruandumq; eum, à quo sibi tantum beneficij, tantumq; commodi animaduertat offerri. Quid amplius hæremus ciues, quid ulterius expectamus? quin grauiter onusti, & anxie laborantes adeamus eum, eumq; accedamus: qui nos ultrò inuitat, ultroq; nos interpellat; quò leuemur oneribus, & anxijs laboribus exoluamur. Quid differimus, cum graui detineamur affectuum humanorum iugo; & anxio mundi, uitæq; huius onere, atque labore premamur; eum adire, eumq; accedere, qui nos ultrò accersit, quiq; nobis ultrò se offert excussurum graue iugum, & laborem omnem, onusq; ablaturum? Eia agite ciues capiamus iter ad Christum; Christumq; adire properemus, prius quàm grauius nos premat huiusmodi iugum, & prius quàm labor hic improbus, importunumq; onus nos durius affligat, atque debilitet. Non amplius commoremur uocantem nos, ultroq; nos inuitantem adire; si uolumus graui iugo seruitutis liberari; & quo labore, atque onere grauamur, leuari. Si uolumus graui fasce perturbationum exone=

rari; & læta, dulciq; quiete potiri; adeamus Christum; Christiq; iugum subeamus: quod tam futurum non est graue; ut ipsius testimonio, qui mentiri non potest, cum sit ueritas, plurimum suauitatis, iucunditatisq; sit nobis allaturum. O' potens, salutareq; Christi iugum: quo detenti non serui, sed liberi fiunt; non grauantur, premuntur' ue, sed exonerantur; non affliguntur, nec torquentur, sed læte iucundeq; uiuunt; & quiete, felicitateq; fruuntur. Qui iugum id subierit, tam nihil tristitiæ, mali'que pati potest, tamq; nihil grauaminis, atque laboris experiri; ut undique gaudium, undique bonum, undique quietem percipiat. id est iugum, quod nisi subeatur ab homine, fieri non potest, ut in hac uita quidquam quietis sentiat; & post hũc uitæ cursum, salutis aliquid, seu felicitatis consequatur. Id enim iugum est, quo uitiorum colla domantur; insaniq; appetitus ceruices opprimuntur: & quo uirtutis omnis ratio refertur, & piè, innocenterq; uiuendi institutio omnis designatur. Huius iugi typo maxime designatur contentionis, & fastus repressio, & mansuetudinis, æquanimitatisq; præstatio: quibus inter cæteras uirtutes, quas in se omnes continebat Christus, sic usus est: ut in omnibus tam dictis, quàm factis non minus semper mansuetum, quàm æquanimem se præstiterit. eam enim mansuetudinem præsetulit, eamq; æquanimitatẽ præstitit Christus; ut cum maleuolorum calumnijs, obtrectantiumq; scribarum obiectionibus incesseretur; sic patienter, sicq; mansuetè sese habuerit; ut nõ mi

nus sapienter obiecta diluendo, quàm occasionem sæuiendi subtrahendo semper perstiterit in officio probitatis; & nunquam restiterit, quin prodesse studuerit; & beneficentiæ, atq; charitatis officia exercere perseuerarit. Quò fit, ut abundè colligi possit, quanta fuerit Christi bonitas, Christiq; ad benefaciendum, proficiendumq; homini propensio: qui licet ab eis, quibus prodesse procuraret; calumnijs afficeretur; & dum benefaceret, palam à maleuolis, iniquisq; malè audiret: & quæ piè, beneficeq; ageret damnari, obtrectatoresq; inuenire cognosceret: tamen pro sua eximia bonitate, suaq; benemerendi de homine singulari cura, atq; cupiditate nunquam destitit: quin oblata quacunque occasione prodesset: & suæ beneficentiæ, atque potestatis aperta argumenta proferret. Quamuis enim sibi detrahi à phariseis sciret, quatenus sabbato curabat infirmos: tamen idcirco beneficētiæ largitatem non repressit: quin sabbato quoque hominem contractam, aridamq; manum habentem sanaret, sanitatisq; beneficio afficeret. Nec etiam pro suæ bonitatis, & beneficentiæ magnitudine temperauit, quin hominem, qui Demone uexaretur; & non minus mutus esset, quàm cæcitate laboraret; tam Demone expulso, quàm loquendi, uidendiq; facultate concessa liberaret: licet palam, uulgoq; phariseos audiret se criminantes, sibiq; obijcientes, quòd primatis Demonis potestate Demones abigeret. O' prauam, pertinacēq; hominum malitiā. O' supremā Christi bonitatem: & constās in proficiendo propositum.

Nulla calumniantiũ pertinatia, nullaq́; obtrectantĩum, & quæq; optima criminantiũ peruersitate, atq; malitia potuit fieri: quin Christus propositũ proficiendi, consulẽdiq́; homini prosequeretur: et quancũq; occasionem iuuãdi, beneficioq́; afficiendi hominis arriperet. licet ea scribarum foret peruersitas, ut quæ diuinè, beneficeq́; à Christo agerentur, sinistrè interpretari, in malamq́; partem trahere conarentur: tamen Christus pro sua singulari bonitate, & proficiendi cura non recessit ab officio iuuandi hominis: & quantũ ipse homo pateretur, beneficio afficiendi. Exemplo quoq; nos Christi ciues addiscamus non ingratitudine eorum, quibus prodesse studeamus, deterreri; quominus proficiamus: nec calumnijs, criminationibusq́; aliquibus desistere; quin constanter propositum demerendi, iuuandiq́; prosequamur; & data occasione, quatenus uires nostræ patiuntur, consulamus passim, atq; prosimus. Nunquam proficiẽdi rationẽ deserere, nunquã proposito benè, beneficeq́; agẽdi decedere debemus: licet quæ beneficè agamus, et quæ studio proficiẽdi, cõsulẽdiq́; faciamus, pro praua, nequamq́; aliquorũ mente, atq; opinione trahantur in malam partem, calumniationẽq́; subeãt. non est aliquo pacto committendũ, ut maleuolorũ improbitas, atq; nequitia tantũ polleat; ut propositũ, studiumq́; iuuãdi à nobis remittatur; & occasio proficiendi, conferẽdiq́; beneficij prætereatur. Sicut cõperimus Christũ seruatorem nostrũ propter calumnias, criminationesq́; scribarũ non remisisse curã iuuandi: nec ob malorum, inuidorumq́; obtrectationes restitisse,

quominus prosequeretur rationem proficiendi;ita si quid opera,studioq́; nostro prodesse nos posse sentiamus; adeo calumnijs, obtrectationibusq́; malorũ nõ debemus beneficã operam remittere,studiũq́; iuuãdi deserere; ut tantò promptiores nosmet in conferendis beneficijs,nauandaq́; iuuandi opera præstare debeamus: quantò facilius ipsa in iuuando,proficiendoq́; constantia potest conuincere ipsorũ calumniatorum,obtrectatorumq́; malitiam,atq; peruersitatem. Sed ueluti exemplo Christi officium consulendi,proficiendiq́; intermittere nõ debemus, obtrectationeq́; deterreri: ita eiusdem exemplo cauendum est,ne studio laudis, humanæq́; gloriæ gratia iuuandi prouinciam suscipiamus: sed si quid beneficè, liberaliterq́; egerimus, id omne ad laudem, gloriamq́; Dei referamus: & quatenus in laudem Dei uergat,procuremus, ut innotescat: quemadmodum procurasse reperitur Christus,qui liberatum immundo lemure hominem iussit uulgò narrare, quonam beneficio foret à Deo affectus:cum tamen idem Christus curatis cæcis,infirmisq́; sanatis cõperiatur præcepisse;adhibitisq́; etiã minis indixisse; ne cui quod beneficij accepissent, indicarẽt; hac iussione omnino significãs,nihil magis in proficiẽdo cauendum esse homini,quàm studiũ quærẽdæ laudis,captandæq́; gloriæ.Beneuolè, beneficeq́; se egit Christus erga eum; quem contractã aridãq́; manũ habentẽ in sinagoga curauit à uitio manus,quam ad aliquid agendũ extẽdere non poterat;quaq́; operari quidquã benè nequibat.Sed qui Christus pro mirabili sua potẽtia,suaq́; insigni bene=

ficentia liberauit eiusmodi manus uitio laborãtem, idem longè maiori uirtute, beneficentiaq; usus, non tam in sinagoga Hebræorum, quàm in cõuentu gentium impotẽtes ad benemerendũ de Deo hominis operationes correxit: et qua benè merẽdi, salutariterq; operãdi manu, potestateq; carebat homo, eam ualidam, uigentemq; reddidit. Quæ nullius salutaris meriti iefficax operatio hominis fuerat; & quæ facultas hominis manca, debilisq; erat ad demerendũ Deum, salutariterq; operandũ, Christi merito, Christiq; uirtute, & beneficentia facta mirè est potẽs, atq; efficax. Quatenus uerò Christus cæcũ, mutum, laborantẽq; Demone hominẽ curauit; et tã potentẽ loquẽdi, uidendiq; effecit, quàm liberũ immũdo larua reddidit: tantò maiorẽ suæ erga hominẽ beneficentiæ, suæq; in operando uirtutis, atq; potẽtiæ significationẽ tulit: quantò pluribus apparet ipsum hominẽ noxis, atq; detrimentis exemptũ, atq; liberatũ fuisse. Sicut hæc Christi erga hominẽ respectu corporis exercita potestas, atq; beneficẽtia tantò potior, maiorq; arguitur: quãtò plura in homine detrimenta curata fuisse apparet: ita quæ animi respectu uirtute, beneficioq; Christi in homine facta est uitiorum, noxarumq; curatio: tantò maiorem ostendet Christi ipsius erga hominem beneficentiam, & potiorem in operando uirtutẽ: quantò plures noxas, pluraq; uitia, quæ unà concurrissent, in ipso homine curata, sanataq; fuisse cõstiterit. Quid uerò typo cæcitatis, typo mutescẽtiæ, typo lemuris uexantis cõtineatur, cum separatim sit semel explicatum; repetere amplius non fuerit opus: cũ nullus sit,

qui si noscat, quid singillatim quodq; referat, non æquè intelligat, si unà concurrant, quonam pacto accipi oporteat: cum ex concursu ratio cuiusquam, siue sensus non immutetur. Duas quoque mulieres reperitur Christus pro sua proficiēdi promptitudine, suoq; iuuandi studio liberasse: quarum una cum spiritu prauo ita foret affecta; ut prona, incuruatáq; incederet; & nullo pacto suspicere, cœlumq; intueri posset; erecta fuit, & cœli spectandi, recteq; gradiendi potestate donata est: altera, cum rea foret adulterij, & ex lege saxis esset impetenda, atque occidenda, opera Christi fuit absoluta; & à morte, cui destinata fuerat, beneficio eiusdem liberata. Typo sanè cernuæ, deorsumq; spectantis mulieris gens Hebræa designatur: quæ cum terrenis, corporeisq; rebus intenderet; & cœlestem, spiritalemq; Dei cultum nesciret; Christi opera, Christiq; beneficio ab eis, quibus prona incumbebat terrenis, & corporalibus liberata, erecta fuit cœlestia intuenda, & ad spiritalem colendi Dei rationem excitata: quæquidē excitato, siue erectio tam Christum potentem, beneficumq; ostendit, ut huiusmodi cum potentia atque beneficentia ne minima quidem ex parte id beneficentiæ atque potentiæ, qua cernua, pronáq; mulier erecta fuit, conferri mereatur, atque comparari. Quæ uerò mulier rea adulterij memoratur seruata à Christo, Christiq; beneficio à morte liberata, congruenti typo refert nationem Ethnicam: quæ cum ueri Dei thalamo derelicto, cultuq; deserto adhæsisset idolis colendis, & mœchata esset cum Demoni-

bus; ut mortem mereretur, mortemq́; subitura esset: Christi officio, Christiq́; beneficentia absoluta fuit, & à mortis imminenti periculo liberata. O' beneficentiam Christi singularem. O' promptã in tuẽdo, seruandoq́; homine Christi curam, & diligentiam. quæ mœchata fuerat mulier, & quæ natio toro, thalamoq́; Dei uiolato libidini Demonum inseruiuerat; eã mortis reã Christus non habita suæ, paternæq́; offensæ ratione pro sua bonitate, suaq́; in hominem propensione, et charitate absoluit, noxaq́; remissa liberam, incolumemq́; dimisit. In huius sanè mulieris adulteræ causa liceat'ne magis admirari Christi bonitatem, Christiq́; beneficam facilitatẽ, qua usus sit in parcendo, compatiendoq́;; an sapientiam, qua usus sit in liberando, pro ut non facilè discerni poterit: ita duplicis documenti rationem colligi difficile haud quaquam nobis fuerit. Quatenus enim mulierem, quæ peccauerat, Christus absoluit: et admonitam ne amplius delinqueret, abire permisit incolumem: docuit nos, uel eos potius, quibus absoluendi, condemnandiq́; ius competit: cuiusmodi moderamine in condemnando uti oporteat; & quàm propensiores esse deceat ad compatiendum delinquentibus, eisq́; correctis, atque admonitis parcendum. Exemplo eius, qui se uelle miserari, non perdere asseruit; & qui se malle uitam, quàm mortem peccatoris protestatus est; addisci conuenit, quemadmodum leniter, humaniterq́; agendũ sit cum delinquentibus, & quàm non sit facilè sæuiendum in uitam hominis: & prætenta legis seueritate, iustitiæq́;

ciuilis rigore non deueniendum ad necem hominiin ferendam. Non est ex Christi placito, non est ex seruatoris nostri instituto; ut alicuius delicti causa sæuiatur in uitam hominis, & homini mors inferatur: sed ut parcatur, quantum fieri potest, uitæ hominis: parcendoq; procuretur eius correctio, atque emendatio. Quapropter quod ciuilis legis diuturnos, perpetuosq; carceres prohibet, locum sibi minus uendicare, pro ut arbitror, posset: si cõtingeret haberi ex Christi instituto rationem delinquentis in uita cõseruandi, ad pœnitentiamq; redigendi. Ex modo quoque, & ratione, qua sapienter Christus reperitur usus in liberanda muliere à morte, exitioq; quod ei ex seueritate legis molirentur Hebræi: admoneri possumus, quales esse deceat eos, qui sumere de delinquentibus supplicium possint, & qui legũ, iustitiæq; ciuilis pœnas exigere iustè ualeãt. Quatenus enim Christus in mulierẽ, quæ rea foret adulterij, iussit eũ, qui nihil in legẽ cõmisisset, nulliusq; delicti ex legibus esset reus, inijcere lapides; et eũ sumere de rea suppliciũ ex legis seueritate permisit, qui sibi nullius cõtra legẽ cõmissi criminis foret cõscius: ostendit aptè, quàm incõgruũ sit, et inconueniens; ut quis agat de puniendis ex lege alijs, qui ex lege æquè puniendus sit: aut quisquam studeat, procuretque ex lege de alijs supplicium sumere: qui nihilominus ex eadem lege dare pœnas mereatur. Qui deprehensam in adulterio mulierem ad Christum adduxerant: eamq; ex lege censuerant lapidibus incessendam, atque interimendam; simulatq; tacitè

sibi uiolatam legem obijci senserunt, reosq; se consti tui ex lege animaduerterunt: tacti conscientia, pro priæq; noxiæ conscij sensim abiere: & muliere, quã ex lege duxerant occidendam, Christi iuditio relicta, taciti recessere. Ne uerò typi ratione habita credatur Christus, se duntaxat in paucos singillatim potentem, beneficumq; præbuisse: en qui priuatim in singulos pro cuiusq; indigentia beneficia contulit: publicè turbas hominum, miscelaneamq; mortalium multitudinem beneficio afficit; potentiq; sua, mirabiliq; uirtute iuuat. Cum enim multitudo hominum ad quinque millia præter paruulos, & mulieres eum foret insecuta; & iam imminente nocte non haberent, quid comederent; quóque urgentem famem pellerent: iussos omnes unà discumbere quinque panibus, duobusq; piscibus; quos solum habuerat in paupere penu, cibauit, abundeq; refecit. Sic etenim abundè refecit: ut omnes exaturaret, & nullus foret ex tam uaria, ingentiq; turba, qui famesceret, quiq; comedendi desiderio amplius ageretur. O' miram, stupendamq; Christi potentiam. O' largam, lateq; diffusam beneficentiam. Quinque panibus, duobusq; piscibus cibata, exaturataq; fuit tam numerosa, ingensq; multitudo mortalium: ut nisi, qui egisset id, esset is, qui posset omnia; & qui pro sua ui, potestateq; plurima id genus quotidie operaretur: inquiri posset, & hæsitari quonam pacto id fieri potuerit. sed si perpendamus à quo id effectum sit, eum esse, cui nihil arduum, aut difficile sit, nedum imposibile; & cui nihil non

factu facile: quod alioqui opera naturæ quotidie fiat: non solum non fuerit, cur hæsitando inquiramus; sed etiam stuporem ipsum, admirationemq́; remittamus. Si enim præ oculis habemus, quotidieq́; cernimus naturam rudem, alienamq́; materiã effingere, conuertereq́; in fruges, fructusq́;, & alimenta homini producere ex eis, quæ nullum cum ipsis alimentis uidentur symbolum retinere; quid mirum uideri debet, credituq; difficile: si qui uim, potestatemq́; conuertendi, producendiq́; affert naturæ: ipse conuertat, producatq́; sine opera eius: & quod alioqui opera naturæ aliqua cũ mora ferre soleat: ipse ablata mora momento temporis suapte opera edat, atque perficiat? Si qui tam materiæ, quàm formæ condendæ uim, potestatemq́; habet: uelit uel materiam, cui formam indat condere: uel ex seminali iam condita materia, una dumtaxat accedente priuatione, aliquid producere: quis nisi cæcutiat, eum non uideat, non agnoscat facile id effecturum: & nihil ei obstiturum, quominus, quod uelit proferat, atque perficiat? Quos igitur Christus quinque panes, duosq́; pisces memoratur fregisse, tradidisseq́; discipulis distribuendos multitudini discumbentium: eos frangendo sic auxit, multiplicauitq́;: ut nõ solum tam numerosæ hominum multitudini sufficerent saturandæ: sed etiam fragmenta ex eis superarent, quæ duodecim cophinis sufficerent implendis. Qui panes, atque pisces alioqui uix potuissent sedandæ quinque hominum fami satisfacere; potentia, uirtuteq́; Christi tam abundè aucti, tamq́;

copiosè multiplicati fuere: ut ex eorum reliquijs, fragmentisq;, quæ millibus quinq; hominum, & amplius saturandis superfuissent, duodecim cophini replerentur. Sicut hoc insigni facinore Christus suæ uirtutis, suæq; potestatis magnum, præclarumq; specimen edidit: & se Deum omnino declarauit; ita egregiam, mirificamq; tulit suæ beneficentiæ, suæque erga homines charitatis, & liberalitatis significationem. Quos enim ingruente nocte uiderat non sine incõmodo cibum sibi paraturos, nec famem facilè toleraturos: eos benignè, amanterq; acceptos pauit, refecit, saturauit. Quos paucos in suum, disci pulorumq; cibum, destinatos panes, atq; pisces habuerat: eos pro sua benefica largitate, suoq; multitudini hominum insecutæ consulendi, prospiciendiq; studio iussit depromi, atque afferri: & depromptos, allatosq; accipiens tradidit distribuendos cibandæ, pauendæq; multitudini. O' summam Christi charitatem. O' promptam ad succurendum, proficiendumq; alijs Christi bonitatem. Quod cibi sibi opus erat: quod escæ sibi usui fuerat: id omne tradidit distribuendum, erogandumq; pascendæ multitudini: & non habita sui commodi, suiq; usus ratione curauit alios cibo reficiendos: & indigæ, famescentiq; turbæ duxit in primis esse succurrẽdum. O' quàm ciues hac in re contingit nos ab exemplo Christi decedere, qui nõ solum, quod nostris usibus sit necesse, non impendimus, nec impertimur miseris sustinendis, inopiq; hominũ multitudini alendæ: sed etiã qui supersunt prouentus uitæ delicatè luxurioseq; agendæ seruamus,

condimusq; : & ex eis procuramus facultates auge re, remq; domesticam locupletare. Adeo nihil nostris commodis, usibusq; nostris detrahimus: quò miseris, indigentibusq; exemplo Christi succuramus: ut cum quotidie uideamus, coramq; habeamus, qui nuditate laborent, fame crucientur, præ inopiaq; gemant: studeamus tamen nos onerare horrea, implere loculos, fundosq; late protendere. Proh diram impietatem. Proh ferinam immanitatem. Quoniã iure possumus nobis ex Christo uindicare cognomẽ, nosq; christianos censere: si non solum quæ Christo repugnent agamus: sed etiam quæ committamus, sint homine indigna: & ab omni humanitatis ratione aliena. Tantum enim abest; ut possimus meritò censeri christiani, aut cum Christo conuenire: nisi inopum miseratio nos excipiat: nisi indigentibus ita compatiamur: ut uel nostro cum incommodo eis succuramus, prosimusq;: ut ne digni quidem simus, qui censeamur homines, hominisq; appellationem mereamur. Quid enim humani censendi sumus habere: si qui nobis eadem speciei, naturæq; ratione coniuncti sint, eos fame premi, inopiaq; urgeri; cum possimus succurrere, sic permittamus; ut in uitæ discrimine, tam famis, quàm nuditatis causa assidue uersentur: & nobis spectantibus strati per uias, in compitisq; iacentes fleant, gemant, conquerantur? Quin nisi egentium, inopumq; hominum miseratione afficiamur: & ad succurrendum eis, eisq; opitulandum commoueamur: tam nihil hominis, humaniq; nihil conuincemur habere: ut immanita-

te, atq; diritate quodcunq; genus ferarum immanissimum superare possimus existimari: cum id opis, atque subsidij denegemus homini: quod nulla fera, si posset, aut cognosceret, feræ suæ speciei esset negatura. Itaque ciues ne feris immaniores arguamur: ne inhumani prorsus, indigniq; qui uocemur homines, uideamur: & ne denique à Christo auersi, à Christoq; prorsus alieni conuincamur; procuremus inopes nostris prouentibus alendos, sustinendosq;: & si prouentus ipsi non sufficiant, distrahamus prædia: & si opus est, uictui, usuiq; nostro necessaria subtrahamus: quò fame leuemus inopes: & quò miseris, egestateq; pressis succurramus. Id si fecerimus, Christumq; in hoc imitati fuerimus, nihil est cur arbitremur defuturum nobis, unde uiuamus: quoniam quem imitati fuerimus in erogando, atque tribuendo, eius beneficio consequemur: ut nobis contingat, quod ei contigisse traditum memoriæ comperimus: qui cum paucos panes quos suo uictui destinatos habuerat, famescenti turbæ distribuendos obtulisset: cibatis, satiatisq; omnibus, longè plus retulisse, quàm obtulisset, inuenitur. quinque panibus, duobusq; piscibus Christus non minus benefice, quàm potenter numerosam mortalium multitudinem cibauit, refecit, leuauitq; fame. Quod si Christi panem, quo tot mortalium millia exaturata memorantur: discusso, explicatoq; typo referre, designareq; diuini uerbi uirtutem intelligamus; tantò plus diuinæ potentiæ colligemus, & tantò maiorem Christi erga genus hominum beneficentiam, charitatemq; agnoscemus:

cemus: quantò potioris uis, maiorisq; beneficij existimari poterit panis, quo nutriatur animus, & quo perpetuò uita sustineri possit; quàm sit ipse panis, quo corpus alatur: & modico, breuiq; tempore solum uita sustineatur. Ea est diuini uerbi uirtus, quæ typo panis designatur: ut si cum obsonio duorum piscium, fidei uidelicet, & rectæ operationis in cibum adhibeatur: non tam possit multitudini mortalium alendæ, cibandæq; sufficere: quàm ipsis altis, atq; cibatis perpetuam uitam tueri, atq; custodire. O' mirã, beneficamq; diuini uerbi uirtutẽ; o' duorum piscium fidei, et rectæ operationis salutare obsonium. Christi panis, diuiniq; uerbi uirtus, tam pro multitudine edentium deficere non potest, tam non potest imminui: ut quantò plures ea cibati fuerint: tantò maior appareat, tantòq; abundantior deprehendatur. Vt panis huiusmodi, huiusmodiq; uirtus diuini uerbi hominem perpetuò sustineat: uitamq; eius tueatur immortalem: expedit, atq; opus est: ut sumatur, edaturq; cum obsonio fidei, rectæq; operationis: qui sunt gemini pisces tãta consuetudine, atq; necessitudine inter se coniuncti, atq; fœderati: ut non maiori, qui perhibentur, cœlestes inuicem necessitudine, atq; societate conuenire sint existimãdi. Panis iste diuinus, ut hominẽ sustineat, uitamq; homini perpetuam afferat: exigit fidei, rectæq; operationis obsonium; sine quo quidem obsonio nec panis ipse salutariter sumi; nec prorsus in uitalem animæ chymum potest conuerti. Tam fieri nequit: ut sine fidei, rectæq; operationis obsonio Chri

sti panis, diuiniq; uerbi uirtus nutrimento sit animæ; uitamq; perpetuò tueatur: ut nec atteri, nec inglutiri possit ab homine: nisi id genus obsonij adhibeatur. Nec etiam sine piscibus, huiusmodiq; genere obsonij reperitur cibata, refectaq; fuisse multitudo illa: quæ cum æquè Christum insecuta esset: & iam triduo perstitisset, perseuerassetq; in eo insequendo: Christi ipsius potentia, atque beneficentia fame, & esuritione, qua maximè laboraret, leuata fuit: & septem panibus, qui in paupere penu fuerant, exaturata. Ex quo quidem Christi facinore, cum quatuor hominum millia, præter pueros, et mulieres referantur septem panibus, paucisq; pisciculis refecta abundè, & satiata: licet æquè arguere Christi potentiam, Christiq; promptam ad succurrendum, benefaciendumq; homini benignitatem. Nec minus licet diuini uerbi uirtutem intelligere in cibandis, reficiendisq; animis: & salutare, uitaleq; beneficium agnoscere: quod in sustinenda, tuendaq; uita hominis diuini uerbi uirtus, Christiq; panis affe rat: modò morales uirtutum habitus, pauciq; pisciculi in obsonium cedant, atque condiantur. Sed iam mihi succurrit ut explicem, atque discutiam Christi beneficium in Syrophœnissam mulierem: in quo quidem concedendo cum præter solitam consulendi, proficiendiq; promptitudinem tardum, difficileq; aliquatenus uideri posset se prestitisse Christus; ne sine causa id egisse, ne'ue idcirco à suæ bonitatis, & beneficentiæ ratione, aliquo pacto defecisse existimetur: operæ precium fuerit super huiusmodi benefi-

cij ratione aliquid attingere: & tam mulieris petentis conditionem, quàm Christi concedentis difficultatem excutere, atque examinare. Ter se peti, seq; ter rogari passus est Christus à muliere Syrophœnissa, priusquã uoluerit petitis eius annuere, eiq;, quod beneficij peteretur, concedere. Unde hæc Christi ad concedendum mora? unde hæc ad proficiendum difficultas? Qui alioqui solitus fuerat uel ultrò succurrere, uel saltem beneficium petenti benignè annuere, rogatus ab huiusmodi muliere, ut quam haberet filiam Demone uexatam liberaret: nihil ultra respondit: sed interpellatus à discipulis dixit se duntaxat ad oues, quæ gregis forent Israelitæ, liberãdas accessisse: & cum nihilominus persisteret mulier rogando, renuens quod peteretur præstare, protulit destinatum filijs panem canibus obijci non expedire. nec mulieri exorabilem se prius præstitit Christus, quàm tertiò petitus, atque obsecratus persistere eam in rogandi proposito pertinaciter animaduertit. Quò fit, ut uideri possit Christus quod peteretur, potius improbitate mulieris uictus, quàm suapte proficiendi uoluntate motus contulisse. O' rei miram, arcanãq; rationem. O' Christi, diuinæq; sapientiæ, & prouidentiæ exactam moderationem. Qui maioribus Hebræorum promissus fuerat à Deo seruator: & qui salutis author generi Hebræorum peculiariter fuerat prædictus: licet pro Dei, suoq; erga genus hominum studio, & charitate sine ullo personarum delectu omnibus potestatem consequendæ saluis esset allaturus: et se seruatorem, salutisq; authorem indif

ferenter omnibus tam Græcis, quàm Hebræis, tã Barbaris, quàm Latinis foret præstaturus: tamen ne dubitari posset de diuinæ promissionis implemento: & quò promissionis ipsius executio facilius fidem inueniret: summa prouidentia factum est: ut qui promissus fuisset seruator: in primis se se offerret eis: quibus facta fuisset promissio: & apud quos pro cõseruata promissionis factæ memoria promissionis ipsius successus facilius fidem contraheret: & ut eorũdem opera, & testimonio in cæterorum notitiã postmodum efficacius pertransiret. Quapropter si Christus dixit, se duntaxat ad oues Israelitas seruandas aduenisse: quò se comprobaret euidẽtius esse eũ: qui promissus fuisset: dum se eorum causa, quibus promissio facta fuisset, solũ uenisse attestaretur: non est admirãdum, cum etiam corporalis, mortalisq; præsentiæ ratione ipse Christus duntaxat Hebræis, Israelitis'ue monẽdis, in uiamq; salutis dirigẽdis operam dedisse, studiumq; impendisse reperiatur: & quidquid salutaris instituti, atq; beneficij in cæteras hominum nationes diffudit, opera, ministerioq; Apostolorum diffudisse cõperiatur. Quò fit, ut nõ minus uerè quàm sũma cũ ratione, cautoq; benefaciendi studio protulerit Christus, se duntaxat Israelitæ gregis seruãdi causa accessisse: cuius quidem responsio ad mulierẽ se cũdò petentẽ, obsecrantemq; eò etiã tendebat; ut eos maximè demereretur, fidemq; eorum maximè captaret: quorũ testimonio, atq; opera sciret ueritatis, salutisq; rationem facilius, agiliusq; posse cæteris mortalibus cõprobari. Quibus enim uerbis: qua'ue appella

tione potuiſſet melius animos Iſraelitarum demereri Chriſtus: fideq́; apud eos ſibi conciliare: quàm eos filios appellando, et aſſerendo ſe eis gratificandi, benefaciẽdiq́; cauſa ſolum aduenisse. Vnde Chriſtus prius quã Ethnicæ, Cananeæq́; mulieris uoto ſatisfaceret: petitioniq́; eius annueret, ea moderatione uſus eſt: ut nõ minus curaret eos, quibus peculiariter fuiſſet promiſſus, demereri: et in primis ſibi cõciliare quos noſſet cõciliandi paratiorem aditum, promptioremq́; rationẽ oblatam eſſe: quàm ſtuderet beneficentiæ officiũ ſic exercere: ne uideri poſſet beneficia malè collocare: et dum uideri uellet nimis beneficus, nimisq́; in hominẽ liberalis: in cõferendis beneficijs nullam rationem habere. Si enim Chriſtus mulieri Syrophœniſſæ, quæ ex patriis inſtitutis idolis deſeruiebat: & à ueri Dei cultu abhorrebat: aures primò nõ adhibuit: & ſecũdò rogantem canis appellatione reiecit: id non niſi ſumma cum ratione feciſſe cenſendus eſt; quando quidem qui nouerat optimè quonam affectu, qua cõcepta fide, quo propoſito peteret, rogaretq́; mulier: et qui pſectè callebat, quàm ſe idoneã accipiẽdo beneficio præſtaret, & quàm ſe potentem præberet impetrandi, qđ peteret. quã primò indignã, cui reſpõderetur, exiſtimauit; ſecundò rogãtem, potioriq́; fide obſecrantem reſponſo excepit: dignamq́; duxit, quæ cognita repulſæ cauſa repelleretur. Sed ſimulatq; Chriſtus nouit mulierem ipſam eò fidei perueniſſe, eoq́; profectus animi pertigiſſe: ut eſſet idonea accipiendo beneficio, & pro fide concepta ſe præſtaret habilem, aptamq́; cui conferri beneficium poſſet: & in quam

beneficentia efficaciter quiret exerceri: non detrectauit, quod peteretur, concedere: nec distulit ulterius beneficium conferre, quàm petentis ipsius conditio exigeret. O exactam diuinæ beneficentiæ libram. O miram, prouidamq; Dei in conferendi beneficij ratione obseruationẽ. Deus enim qui pro sua in hominem charitate, et beneuolentia summum gerit studium, curamq; ei proficiendi, sicut nullã prætermittit occasionem succurrendi ei, atque consulendi: ita exactè obseruat modum, & rationem: qua ex hominis parte accipiendi beneficij facultas constituatur: ne quod beneficè alioqui præstetur, cedat incassum, aut ex hominis ipsius incuria, atque indignitate nocendi potius, quàm proficiendi rationẽ suscipiat. Quapropter si Chistus uidetur se difficilem aliquatenus præstitisse in concedendo, quod peteretur, Syrophœnissæ, Cananeæ'ue mulieri: tam non potest idcirco detrahi eius erga hominem iuuandum, beneficioq; afficiendum studio, atque promptitudini: ut id difficultatis, quod præstitit, atque ostendit: tendat, uergatq; ad maiorem ipsius erga hominem beneficentiam, atque chariratem arguendam, atque comprobandam: dum prius partim dissimulando audire rogantem, partim responso redarguenti repellendo petenti mulieri præbuit occasionem: ut in petitione persistendo, repetendoq; preces eam fidem conciperet: quæ sufficeret impetrando beneficio: & qua se idoneam præstaret ad utiliter obtinendum quod peteret. Qua ratione fit: ut non solum suam uirtutem, beneficentiamq; osten

derit Christus in concedendo quod peteretur, sed etiam in ratione, modoq́; concedendi, quatenus, rogantem bis repellendo eam aptam, idoneamq́; cui cõcederetur reddendam procurauit. Quæ enim Syrophœnissa mulier spaticã, uexatamq́; Demone filiam sanari petiuerat, accepta duplici repulsa persistẽs in rogãdo, tam in fide profecit Christi beneficio: ut quod peteret, efficaciter consequeretur; & propter fidem, quod uellet, impetraret. Impetrauit mater filiæ ab immũdo larua liberationem: quæ quanti beneficij sit censenda tum typi causa, tum rei, quæ typo refertur gratia, cũ satis cõstare possit ex iam cõmemoratis, recensere amplius non ducimus necessarium. Sicut ex eis, quæ iam de uexante hominem Demone, tam typi, quàm rei ratione explicauimus: cõstare satis potest cuiusmodi fuerit Christi uirtus, & beneficentia; qua sit usus in liberanda huiusmodi Syrophœnissæ filia: ita ex illis, quæ allegorica ratione tradidimus: dũ uirtutẽ, beneficẽtiamq́; Christi in liberãdis à maris tẽpestate, atq; summersione discipulis explicabamus: poterit satis argui, atq; deprehendi, quem sensum allegoricè referat id ostensæ à Christo potentiæ, exercitæq́; beneficentiæ: cum se super fluctus maris deambulantem ostendit, & Petrum, quem æque per maris æquor gradi iusserat, irruente uento periclitantem, summergi que iam incipientem ualida manu sustinuit: & quo minus mergeretur, potenter, beneficeq́; prohibuit. Interea tamen admonitos uos uelim: ne credatis ab re Petrum inter cæteros Christi discipulos iubente Christo deambulasse per

mare: uirtute, beneficioq; eius sustentatum, quo minus urgente uento periclitaretur, fuisse. Dum enim solus à Christo Petrus obtinuit: ut instar ipsius per mare graderetur: & dum graderetur, sustineretur, quominus summergeretur: Christi authoritas, Christiq; potestas præcipuè Petro fuisse concessa colligitur: & designatur Christus nunquàm defuturus Petro id genus potestatis, authoritatisq; exercenti: quominus tutò, efficaciterq; exerceat. Velim tamen, qui iura Petri teneant, quiq; potestatem Petri referant: non adeo à uita, fideq; Petri degenerare, si tutò uellent super mare deambulare: & urgente aliquo uento Christi manu, quominus periclitentur, sustineri. præcipuam quoque Petri potestatem, peculiaremq; Christi erga Petrum beneficentiam declarat iussu, uirtuteq; Christi, piscis à Petro captus: qui staterem ore contineret, qui tam pro Petro quàm pro Christo didrachmatis exactoribus exolueretur: ex quo quidem facinoris genere non solum argui potest ingẽs Christi uirtus Petri exercita ministerio: Christiq; in Petrũ ipsum peculiaris beneficẽtia, dum capto pisce inuentus stater æquè pro Petro exolutus est: sed etiam christi ipsius bonitas, Christiq; modestia comprobatur: qui ne cuiquam offendiculum non exoluto didrachmate pareret: non renuit, neque detrectauit; licet facilè posset, tributum impendere: & unà cum cæteris publicũ grauamen subire. Pro ea, qua affluebat bonitate; & pro eo, quo detinebatur proficiendi, satisfaciendiq; omnibus studio; non est passus, licet non haberet, quod solue-

ret: nec arctaretur ad ſoluendum, ſi nollet: ſe exemptum, immunemq́; ab eo, quod ex humana lege penderetur ab alijs tributo. Qui Dei filius erat, qui cũcta manu continebat: qui nihil non ſuæ poteſtati ſubiectum habebat; is ſe humanæ legi, atq; poteſtati ſubdidit: is ſe tributarium fecit: is unà cum cæteris hominibus non prouentus, quem nullum habebat, ſed perſonæ, ſeu corporis potius uectigal exoluit. Qui non detrectauit tributũ exoluere: qui ſe ſubiectum principi homini in ſoluendo tributo præſtitit: qui ſe à Regum conditione alienum, longeq́; filijs Regum, qui minimè tributa exoluerent, inferiorem, & cuicunq; ſubdito, priuatoq́; homini parem in tributi penſione oſtendit: is tribus ex diſcipulis ſecum adductis cum montem excelſum conſcendiſſet: nõ ſolum apparuit omni humana ſpecie illuſtrior, & dignitate, atque poteſtate præſtantior quocunque humano Rege: ſed etiam uoce de nube prodeunte Dei filius aſſertus eſt: & prædicatus eſt exiſtere, cui pareri, obtemperariq́; ab omnibus deberet. O` inſigne ſpectaculum. O` miram, efficacemq́; uocem. Eum totum circunfulſit lux: ei facies inſtar ſolis reſplenduit: & uti nix indumenta eius cãduerunt. Viſus eſt cum eo legifer Moſes loqui: uiſus eſt Helias eum ſermone compellare. Tam pulchri, ſpecioſiq́; ſpectaculi delectatione capti diſcipuli cauſam morandi optabant, & diutius ſpectaculo id genus intereſſe affectabãt. qui tamen ut tonitrum diuinæ uocis ex nube audierunt, exhorruere animis; & ſtupore correpti, perculſiq́; timore proni in terram procubuere. Audita

uoce Dei filium suum prædicantis horruere discipuli: & humano auditu diuinæ uocis sonitum nō potuere intrepidi sustinere. Qui uisu sustinere lucem diuinitatis in corpore Christi refulgentem potuerūt: & qui Mosen, Heliamq; cum Christo loquētes, summa cum delectatione spectarunt: ut uocem Dei, tonitrumq; diuini oris audiuerunt: non potuere sese continere, sed timore correpti humi procubuere. Qui cum homines essent, quiuere conscenso monte diuinitatē homini coniunctam uisu tolerare: hi ad puræ, minusq; corpori coniunctæ diuinitatis auditum defecere. O tenuem, debilemq; hominis in diuinis percipiendis, sensuq; perferendis potentiam. Cū omnis ratio percipiendi, atque intelligendi prodeat ex sensu, uix fieri potest: ut à sensili species, idæaq; sic abstrahatur; quin quoddā semper consortium cum ipso sensili habeat, & relationem aliquam ad sensile in ratione intelligendi non retineat. Quò fit, ut quæ duntaxat intellectu constant: & tam materiæ quàm corporis expertia sunt: cuiusmodi sunt diuina, nullo pacto sensu, quo solum percipiūtur quæ corpore constant, & materia: percipi queant, & nullo modo opera sensus, atq; officio ad intellectus perceptionem perfecte deduci ualeant. contingit quoq; ut cum ratio exprimendi, uerbisq; explicandi prodeat ab intellectu, quatenus ipse intellectus rem percipit, reiq; notitiam consequitur: non magis exprimi uerbis, quàm intellectu nostro percipi possint, quæ diuina sunt. Quin etiam tantò minus exprimi uerbis diuina possunt, quàm intellectu apprehēdi:

quantò ratio intelligendi longius recedere potest à sensu, quàm possit ratio exprimendi: quæ sic deduci tur ab intellectu; ut nequeat aliquo pacto à sensi li, sensusq; officio disiũgi. Efficitur etiã gratia, beneficioq; Dei, ut possit humanus intellectus percipere aliquid diuinitatis, cui tamen exprimendo, nec potestas loquendi sufficiat, nec uerbi cuiusquã ratio, siue natura competat, atque conueniat. Qua ratione fit, ut qui Dei beneficio, atque gratia ad perfectiorem diuinitatis cognitionem peruenere, & ad diuinorum perceptionem ulterius, quàm natura, siue ratio humani intellectus ferat, processere: hi uel subticuerint omnino rati non esse conandum, quod nullo pacto præstari possit: quemadmodum fecisse reperitur: qui se ad tertium usque cœlum raptum cõmemorat: uel tentarint uerbis exprimere quàm potuere efficacibus, atque propinquis: quemadmodum fecisse censendi sunt tres discipuli: qui lucis, solisq; uocabulis conati sunt significare, quam uiderãt in Christo coniunctam humanitati diuinitatem: & quam corporis sine labe peccati, uirilisq; seminis immunditiæ conceptionem maxima arcani ratione cognouerant; nomine albedinis, niuisq; candore tentauerũt explicare. Qui dum etiam retulere Mosen à se Heliamq; uisos, qui cum Christo loquerentur: indicare uoluerunt uisam à se rationem, agnitamq; seriem omnium, quæ nõ minus in prophetarum uaticinijs, quàm in legum traditionibus, atque institutis Christum referentia, Christoq; congruentia continerentur. O pulchrum, delectabileq; uisum. Quantæ

uoluptatis, quantæq; iucunditatis fuisse putandum est uidere, atque percipere, quemadmodum singula quæque, quæ Mosis legibus, atque institutis continerentur, Christum indicarent, de Christoq; intelligerentur: & quonam pacto symbolorum quorumcunque rationes conuenirent, atque congruerent Christo significãdo, Christiq; beneficio in ratione salutis referendo, atq; designando. Quantum etiam delectationis, & gaudij eis affuisse credendũ est; qui perciperent, atq; agnoscerent ea, quæ à prophetis sub uerborũ inuolucris, rerumq; symbolis fuissent cõmemorata: tendere ad Christum indicandum, Christiq; salutare beneficium significandum: & non tam designare munera, quæ Christi opera forent generi humano quærenda, quàm Christi ipsius ortum, conditionem, uitamq; indicare. Nemo non potest hinc nouisse Christi erga tres discipulos singularem amoris affectum, beneuolentiamq;: quos cum secum in montem excelsum deduxisset, & ad sublimem contemplationis speculam extulisset, suæ diuinitatis intelligendæ beneficio affecit: & non minus ad mysticam legum intelligentiam euexit: quàm ad prophetarum arcana percipienda admisit. In tres potius discipulos, quàm in omnes id genus beneficij à Christo fuisse collatum quisquã non admirabitur: si consideret pro conditione rerum, atque personarum uaria uarijs beneficia Dei, Christiq; bonitate, atque beneficentia impendi, atque distribui: & non æquam esse omnibus accipiendorum beneficiorum facultatem, atque aptitudinem. Impẽdit enim, erogatq; Deus pro

ſua in conferendis beneficijs prouidentia, quatenus quenque idoneum, potentemq́; accipiendi beneficij animaduertit: & quatenus collatum beneficium intelligit, non fore pro eius, cui conferatur persona, atque conditione ſuperuacaneum, atque inane. Qui tres duntaxat in montem deduxit: tresq́; ſolum ad diuinorum arcanorum perſpectionem admiſit: idem omnes pro ſua larga benefaciendi prõptitudine donauit ea poteſtate, eaq́; uirtute: ut poſſent tam iubendo, ſtatuendoq́;, quàm miſerando, parcendoq́; ſic alligare, ſicq́; exoluere: ut quæcunque alligarēt in terris, alligata forent in cœlo: & quæ exoluerent in terris, æquè in cœlo eſſent exoluta. O' poteſtatem egregiam. O' inſignem authoritatem: quæ ſanè omnibus diſcipulis conceſſa, non tam præcipuam Chriſti erga diſcipulos beneuolentiam, atque beneficentiam arguit, quàm Chriſti ipſius erga genus humanum ſtudioſam curam, ſtudiumq́; beneficum oſtendit: quo adductus eſt, ut authoritate diſcipulis, diſcipulorumq́; ſucceſſoribus tradita publicè conſuleret ſaluti generis humani: et omnes procuraret tam flagris à malo deterrendos, quàm beneficijs, atque donis ad bonum inuitandos. Sed quoniam quæ exoluendi, alligãdiq́; poteſtas, authoritasq́; cõceſſa à Chriſto reperitur omnibus Apoſtolis: ea prius Petro peculiariter conceſſa memoratur: non mirum, ſi Petri, Petri'ue ſucceſſorum poteſtas in ratione exoluendi, atque alligandi potior ſit cenſenda cæterorum poteſtate qui ſint Apoſtoli, Apoſtolorum'ue ſucceſſores. Quibus exoluendi, alligandiq́; plenam poteſtatem tradi

dit Christus, eisdem pro sua maxima proficiendi ho mini propensione obtulit se præstaturum: ut quidquid concordes animis, constantiq; proposito à cælesti patre peterent, consequerentur prorsus, & impetrarent. Quin pro sua bonitate, suaq; erga hominẽ charitate, & beneuolentia spopondit nunquam futurum: ut duo, uel tres unà conueniant causa ipsius, aut rei cuiuspiam piæ, honestæq; gratia: quin ipse sit affuturus, seq; ipsum præsentem, adsistentemq; exhibiturus. O benignam sponsionem. O largam, beneficamq; oblationem. Non solum enim Christus pro sua bonitate, suoq; benefaciendi homini studio se obtulit procuraturum apud patrem, effecturumq; omnino: ne quid, quod integro proposito, concordibusq; animis petatur; non impetretur, non obtineatur: sed etiam spopondit se semper affuturũ, præsentemq; se ipsum stiturum; ubicunque contigerit duos ex nobis, aut tres, nedum quamplurimos rei piæ, honestæq; causa unà conuenire. Quis dubitet ciues, cum simus hic in Christi nomine tot cõgregati, & tam piæ, honestæq; rei gratia: ut nihil honestius, piumq; magis queat esse, conuenerimus: Christum ipsum interesse, nobis adsistere, hoc in loco præsentem se exhibere: & hic inter nos esse, atq; conuersari? Hic prorsus adest: huic nostræ dictioni, nostroq; huic conuentui interest Christus. non uidetis, non agnoscitis ciues? est hic, hoc in loco adsistit: præsentem se hic præstat, me audit, me admonet: & quæ dicam, proferamq; uobis, mihi suggerit, atq; dictat. Vnumquenque uestrum uidet, necnon ex=

acte obseruat, cuiusmodi uosmetipsos præbeatis in audiendo: & quàm attentos uosmet præstetis suæ in uos beneficentiæ, & charitati intelligẽdæ: quam mea hac uoce uobis explicandam, ostendendamq; decreuit. uocem, quam auditis; sonum uocis, quem auribus accipitis; meum autumatote, meiq; huius uitalis spiritus esse existimatote: cætera tam uerba, quàm sensa tam procul abest, ut audeam asserere mea, mihiq; adscribere: ut ingenue fatear nihil eorum, quæ dicãtur, meopte ingenio, meopteq; marte edi, atque excogitari: sed cuncta Christo mihi suggerente, atque dictante proferri: & tanquã à rhapsodo, siue recitatore nudæ uocis opera explicari. Quapropter cauendum est ciues, ne dum segniter, & oscitanter quæ dicuntur à me, audiendo Christi erga uos beneficentiam, & charitatem minus attenditis, atque perpenditis: duplicem noxam incurratis, & non solum Christum grauiter offendatis: ipsius uerba negligenter accipiendo: ipsumq; mea uoce loquentem incuriose auscultando: sed etiã in eum turpi ingratitudine peccetis, nihil minus attendentes, aut agnoscentes: quàm eius in uos insignẽ beneficentiam, atque charitatem. Excitate itaque uosmet ciues ad audiendum: & quæ Christi charitas, beneficentiaq; erga uos Christo ipso præsente, atque dictante à me explicatur; eã tam attentis animis, quàm gratis accipite: & nolite cõmittere, ut qui præsens curat uos suæ erga uos beneuolentiæ, atque beneficentiæ admonendos: non quò exprobret, sed quò uobis prosit; fraudetur suo uobis proficiendi proposito:

& uestra incuria, atque ingratitudine detineatur: quominus efficiat uos eius, quod maximum omnium ultro offert, beneficij participes: cuius quidem conferendi uobis tam uehementi pro sua bonitate, suaq́; in uos beneuolentia, studio, desiderioq́; tangitur: ut nisi ingratos prorsus uosmet præstetis, & in delinquendo pertinaces: restiturus non sit, quominus id uobis conferat: & eo tam parcendo sæpe, quàm noxas dimittẽdo uolentes, consentientesq́; uos afficiat. Quàm cupidus seruandi hominis, & quàm studiosus consulendi, cauendiq́; uobis sit Christus, ex ignoscendi promptitudine, remittendæq́; iniuriæ facilitate animaduerti potest: quam cum præstet erga nos, à nobis quoque exigit inuicem præstandam. cõsultus enim à Petro, quoties ignoscendum esset offendenti, iniuriamq́; inferenti, non solum septies, uti Petrus existimabat, sed & decies septies remittẽdam offensam, iniuriamq́; condonandam respondit nimirum innuens huiusmodi decadis, atque septenarij numerali perfectione, toties in nos peccanti esse ignoscendum, quoties peccari cõtingeret. Hæc sanè in condonandis iniurijs facilitas, promptitudoq́; Christi, quam cum exigat, omnino præstare reperitur. summã erga nos arguit, comprobatq́; Christi ipsius charitatem, & ad succurrendum, proficiendumq́; nobis maximam propensionem. quæ quidem Christi promptitudo, atque facilitas in remittendis iniurijs, condonandisq́; noxis tam pro ea ex qua prodit, oriturq́; in nos Christi ipsius charitate, non debet in offendendo eo, iniurijsq́; afficiendo, faciles audacesq́;

nos reddere: ut conari omni studio, atque opera debeamus, ne quem adeo nostri amantem, nobisq; consulendi adeo studiosum ex huiusmodi ignoscendi promptitudine comperiamus; eum aliquo pacto offendamus, iniurijsq; afficiamus. Quaenam haec fuerit rei indignitas: ut quem pro sua bonitate facilem sciamus in condonandis iniurijs, & pro sua in nos charitate, & beneficentia promptum ad ignoscendum, offensasq; acceptas remittendũ: non quaeramus eum omni quo possimus genere officij, atque obsequij potius demereri: & ei potius, quatenus detur, mutuo amore, & charitate respondere: quàm iniurijs, offensisq; afficiendo, deteriorem in dies causam nostram efficere; & tantò maiorem ingratitudinis notam incurrere: quantò maiorem parcentis, condonantisq; benignitatem cõtingat experiri. Haec itaq; à Christo in condonandis iniurijs, remittendisq; offensis praescripta, praestitaq; facilitas, debet non solum prouocare nos ad colendum, amandum, mirificeq; obseruandum: quem sic benignum in nos, beneficumq; comperiamus: sed etiam tam exempli, quàm dogmatis ratione admonere; cuiusmodi praestare nosmetipsos debeamus in remittendis, condonandisq; iniurijs: quas adeo rependere, ulciscendoq; retaliare non debemus; ut tam Christi exemplo, quàm dogmate teneamur eas toties condonare; quoties eis nos affici contingat. Sed sicut ex Christi instituto, atque dogmate prõpti, facilesq; esse debemus ad ignoscendum offendentibus, iniuriasq; inferentibus parcendum: ita cauere nos oportet; ne cuiuspiã, quem

fortè offenderimus, facilitas in remittendo nos incautiores, audacioresq́; reddat in offendendo: & ne quæ offensi bonitas, atque benignitas in causa est; ne quod intulerimus, recipiamus; inducat nos, ut tam contra charitatis, quàm iuris diuini, atq; humani rationem amori odio, & benignitati respondeamus iniuria. Sicut bonitas, benignitasq́; Christi, qua se promptum, facilemq́; præbet in remittendis iniurijs debet prouocare nos ad amoris, & obseruantiæ præstanda officia: ita quam sciamus cuiusquam benignitatem in facilè remittendis iniurijs, eam mutuis benignitatis officijs prosequi debemus: & non pati, ut quod amoris, & beneuolentiæ plurimũ mereatur, ex eo occasionem offendendi, iniuriãdiq́; arripiamus: tametsi id occasionis à quoquã arreptum iri non existimem; qui eum in condonandis iniurijs se præstet, quem Christus exigit: quem omnino temperaturum ab iniurijs inferendis sit credendum: aut si contingat, ut aliquo pacto inferat, nihil magis ægrè laturum, quàm fuisse illatas. Non solum itaq; ciues temperandum nobis est ab iniurijs inferendis, sed etiam si quid nobis iniuriæ inferatur, tam non debemus ultionem sumere, parq́; pari iniuriando referre: ut Christi exemplo, documẽtoq́; debeamus remittere quascunque iniurias, atque offensas; quibus affici nos utcunque contingat: quod quidem si minus fecerimus, nihil est cur cõfidamus Christum, quem alioqui promptum, facilemq́; in remittendis iniurijs experturi simus: condonaturum nobis iniurias; quas ei peccando intulerimus. dum enim illa

tas nobis iniurias condonare recusamus, & de accepptis offensis ulcisci nosmet studemus; indigni omni no simus, quibus Christus quidquam iniuriæ, atq; offensæ remittat, atque condonet. Nisi faciles simus in parcendo, ignoscendoq́; eis, à quibus iniuria affecti fuerimus: & nisi benignè, innocueq́; nosmetipsos habeamus erga eos, à quibus offensi extiterimus: nullo pacto sperandum est, Deum nobis parsurum, nobisq́; ignoturum, quatenus ipsum offenderimus, ipsumq́; iniurijs affecerimus. Tantum abest, ut facilem Deum in parcendo, ignoscendoq́; nobis simus habituri: nisi æquè nos parcamus, ignoscamusq́;: ut ex parabole, qua seruus, cui à domino ignotum fuisset, conseruis non ignoscens inducitur, constare satis, abundeq́; possit, Deum deprehensis nobis ab ignoscendo alienis, reuocaturū etiam quid quid pro sua parcendi, ignoscendiq́; facilitate semel remiserit: & acriter uindicaturum in nos, repetiturumq́; tormentis etiam adhibitis, quod æris alioqui fuisset condonatum. Cum nihil iniuriæ, atq; offensæ à seruo conseruis inferri queat, quin in offensam, iniuriamq́; domini ipsius redundet: nō mirum, si cui se benignū, beneficumq́; præstiterit dominus: simulac eum cognouerit conseruis iniurium, atq; infensum; & tam contra suam uoluntatem, quàm præscriptum commiserationis sæuientem in conseruos; ipsum tanquam ingratum, atque immerētem cogat exactè eorum, quæ remisisset, rationem reddere: & rescisa ob ingratitudinem omni, quam fecisset, debiti condonatione exoluere compellat qua-

dranti tenus, quodcunque ei debitum alioqui remi ſiſſet, atque condonaſſet. Qui ſeruus debitor expertusfuerat dominum in ſe benignum, atque liberalem: is ſi nulla habita ratione benignitatis, atq; beneficentiæ à domino in ſe exercitæ cõtra domini propoſitum, atque uoluntatem ſæuiter ſe habeat, atq; immaniter cum conſeruis ſibi aliquid debentibus: tum propter ingratitudinem, qua peccat in dominum, tum propter iniuriam, offenſamq́;, quam domino infert, conſeruis inferendo: tam meretur priuari omni iure condonati, remiſſiq́; debiti; quàm ſe rurſus reum efficit, atque conſtituit omnium, quæ ſemel ſibi remiſſa, condonataq́; fuerint. Nobis imputandum, nobis adſcribendum omnino fuerit ciues, ſi ulciſcentes iniurias, iniuriasq́; inferentes facilem, promptum in remittendo, ignoſcendoq́; nobis Deum non obtinuerimus: & quæ fortè remiſſa, condonataq́; fuerint, exoluere coacti fuerimus: quoniã cuius bonitate, cuius'que benefica benignitate abutamur; & in quo offendendo, iniurijs'que afficiendo perſiſtamus: non ſolum nos ipſos indignos conſtituimus, qui eum benignum, liberalemq́; experiamur, & ab eo aliquid beneficij accipiamus: ſed etiam inhabiles ad accipiendum, & ad retinendum, quod acceperimus, impotẽtes conſtituamus. Quem in remittendo iniurias, condonandoq́; nobis, quod debeamus, benignum, beneficumq́; oſtendimus: eum quoque quàm beneficum, liberalemq́; ſimus experturi in accipiendis præmijs, mercedeq́; operarum, atque obſequio-

rum, quæ ei impenderimus, eiq́; præstiterimus, congruũ fuerit hic explanare. Qua liberalitate, quaq́; beneficentia agatur Deus erga hominem; & quàm promptum sit, & liberale Dei studium in remunerando homine, beneficijsq́; prosequendo; ex patris familias parabole, qui operarios ad uineam excolendam mercede conduxerat, abundè declarauit Christus. dum paterfamilias typo ualde congruenti designans Deum, qua larga mercede conduxerat mane operarios, eandem omnibus, qui deinde quacunque hora diei in uineam operatum accessissent, præstitit: suam nimirum largitatem, atque beneficentiam testatus est. nam quod mercedis fuerat etiam mane conductis, totoq́; die operantibus largiter, liberaliterq́; oblatum; id æquè impendens, erogansq́; eis, qui uespere, medio'ue die sint conducti: tam se largum in operarios, tamq́; beneficum ostendit: ut uideri possit, quod impendat, atque præstet, pro sua liberalitate, suoq́; in operarios studio potius præstare, atque impendere, quàm pro ipsis operis, ipsoq́; operandi ministerio. Quis enim non intelligat ciues eam esse mercedem, eiusmodi esse præmium, quod Deus nobis offerat; si in uineam operatum concedamus: & uitæ huius studio uirtutum, pietatisq́; operibus excolendæ rationem ineamus: ut id ipsum potius Dei largitati, Deiq́; in nos benignitati, & beneficentiæ, quàm cuiusquam nostri operantis merito sit attribuendum? Nam si omnes huius uitæ rectæ operationes, omnesq́; labores piè, sanctèq́; in hac uita su

ſcepti ex Apoſtoli ſententia, ne minima quidem ex parte æquare poſſunt mercedem illam, quam præparauit, deſtinauitq; Deus piè laboranti, recteq; operāti in uinea uitæ huius homini: quis non percipiat in conſtituenda id genus mercede Deum ſuæ bonitatis, ſuæq; beneficentiæ rationem potius habuiſſe, quàm cuiuſpiam laboris, operationis, meritiq; humani? Quòd ſi tam larga, tamq; precioſa mercede nulli toto etiam uitæ ſpacio ab homine obiti labores, nullæq; huius uitæ totius operationes dignæ exiſtimantur: ſi mercedis huiuſmodi conditio quodcunque laborantis, operantiſq; iugiter in hac uita hominis meritum exuperare ita cenſetur; ut Dei potius liberalitati, beneficentiæq;, quàm merito cuiquam hominis adſcribi mereatur: quis non intelligat Dei, patris'ue familias, qui tantum mercedis etiam ei tribuat, qui extrema diei hora duntaxat in uinea operatus ſit: eam eſſe liberalitatem, atq; beneficentiam, ut ipſa nec ſatis ore exprimi, nec ingenio ſatis complecti poſſit. O' benignum, liberalemq; Deum. O' largitatem, beneficentiamq; Dei erga hominem ſingularem. Denarium ſalutis non ſolum eis, qui mane conducti toto die in uinea ſint operati, ſoluit; ſed etiam eis præbet, qui uel extrema diei hora ad uineam excolendam acceſſerint, breuemq; operam, atque laborem in colenda uinea præſtiterint. Quacunque hora diei operarius ſe contulerit ad uineam colendam, & quocunque tempore uitæ rationem rectè operandi inierit homo; ſalutiq; quærendæ operam dederit; fu=

turum est, ut pro insigni patrisfamilias liberalitate, & pro summa Dei bonitate, & beneficentia denarium salutis accipiat: & perinde ac si toto die operam præstitisset, mercedem consequatur. Quo uerò iure, quaue ratione fiat; ut tantum mercedis obtineat, qui duntaxat horam in uinea sit operatus, quantum consequatur, qui totum diem, quàm longus est, laborarit: si quis fortè curiosius inquirat: nihil aliud ausim respondere, quàm quod respondisse ipsum patrem familias mane conductis apparet: ex qua quidem responsione colligitur, egregiam Dei liberalitatem huiusmodi æquatæ mercedis causam esse: & id genus æqualitatis ex ingenti Dei benignitate, atque beneficentia prouenire. Qui diutius laborarit, diuturnius'que in uinea fuerit operatus, non habet, unde iure queri possit: si ob liberalitatem patrisfamilias eos uideat, qui modico tempore operati sint, eandem, quam ipse, mercedem accipere: dummodo ipse eam habeat, quæ etiam multò maior ex liberalitate patrisfamilias sibi sit constituta, quàm diuturni laboris, atque operæ meritum exigeret. Non est cur mussetur, non est cur offendiculum concipiatur: si quæ bonitas, & liberalitas est ipsius patris familias, merces cuiquam operario tribuatur longè maior, quàm præstitæ operæ breuitas mereatur: cum quod mercedis erogatur eorum etiã, qui diutius operati sunt, ratione, non paruam Dei remunerantis liberalitatem, atque beneficentiam contineat. & si ea

eſt arcani conſilij, diuinæ'que prouidentiæ ratio, ut intellectui humano aliquo pacto patere nequeat: tamen ſi quidquam ulterius audere, aut effari nobis liceat; & præter patrisfamilias reſponſum, quod pro temporis, & perſonarum conditione ſatis opportunum fuit: aliquid ſuper huiuſmodi mercede ſoluta operarijs tam ueſpere, quàm mane conductis perſcrutari: non nihil fortaſſe poterit ſuper hac re afferri; quod nec abſurdum creditu uideri poſſit, nec à Dei exacta iuſtitia, æqualiq; in omnes homines propenſione alienum. Cum enim in ſalutis ratione laborantis, operantisq; hominis non tam diuturna operatio uim obtinendæ mercedis habeat, quàm uehemens operandi contentio; mirum non fuerit, ſi qui tam contentè operetur, ut modico tempore operando æquet operam eius, qui licet diutius operatus ſit, tamen ſeſe remiſſius habuerit in operando: æqualem cum eo mercedem conſequatur. ita fit, ut non minus iuſtitiæ diuinæ, quàm liberalitatis, & beneficentiæ ratio ſibi locum uendicet. dum enim æqualem mercedem non habita ratione temporis conſequuntur, qui æquè profecerunt operando: diuinæ iuſtitiæ ratio optimè cuſtoditur. quatenus uerò longè maior, longeq; precioſior merces conſtituitur operantibus, quàm merita operantium exigant, & quàm operarum præſtatio mereatur; Dei liberalitas, diuinaq; beneficentia comprobatur. Deus itaque, qui pro ſua ſumma liberalitate, & beneficentia homini piè operanti, in uineaq; ſalutis laboranti

longè maiorem mercedem, multoq́; preciosius præmium decernit, quàm quod aliquo labore, aliquaue opera mereri possit, animaduertens suæ esse iustitiæ æquam æquali operationis profectui mercedem deferri, quos comperit æqualiter, licet inæquali tẽpore promeritos, atque operatos: eos æquali mercede remuneratur, atque donat. Quòd si efficaciam operandi, profectumq́; operationis humanæ tribuendo Deo rursus eundem scopulum incurramus; & non minus uim contentius operandi, quàm æquatæ mercedis rationem Deo ipsi deferendo, incidamus in eundem admirationis nodum: quidquid scopuli fuerit, ni fallor, superari, et nodus omnis Herculeo more exolui poterit: si quæ ratio, efficaciaq́; rectè operãdi, et qui profectus humanæ operationis Dei gratiæ, Deique uirtuti adscribendus est, consensum etiam hominis requirens existimetur: & quæ diuinæ liberalitatis, & beneficentiæ ratio æquè omnes homines respiciat: pro consentientium, permittentiumq́; se affici, conditione redigi ad certos consideretur. Quæ enim Dei gratia, Deiq́; beneficentia omnes respicit: cum plerosq́; repugnantes, quosdam consentientes inueniat; euenit, ut salutarem profectum duntaxat pro consentientium, minusq́; repugnantium numero pariat. Sed sicut pro maiori repugnantium, quàm consentientium numero Dei gratia, atq; beneficentia profectum, operationemq́; salutarem in paucioribus edit: ita profectus ipse, operatioq́; salutaris pro uario consentientium affectu, atq; promptitudine differentem, uariamq́; uim, atq; efficaciam confe-

qui, continereq; potest. Quò fit, ut non solum uaria, differensq; meritorum ratio constituatur; & pro uaria, dispariq; profectus ratione disparis, uariæq; cōditionis merces diuina ex iustitia decernatur: sed etiam par, æquaq; salutaris operationis, atq; profectus ratio conficiatur dispari, differentiq; temporis spatio. Vnde mirū uideri non debet, si quem Deus conductum uespere conducto mane parem profectu, meritoq; operandi esse deprehendat: ei æquè parem tribuat, impendatq; mercedem. Nullo pacto existimandus est acceptator esse personarum Deus; qui pro sua bonitate, suaq; consulendi omnibus propensione neminē prætermittit, cui se beneficum non offerat, atque exhibeat: cuius quidem salutarem beneficentiam si pauci sint, qui agnoscāt, admittātq;: nihil est, cur detrahi possit eius beneficentiæ, eiusq; erga omnes charitati, & beneuolentiæ: sed omnis culpæ, detrimentiq; ratio reicienda est in ipsum hominem: qui pro sua nequitia, suaq; malè agendi promptitudine non permittit à Deo se dirigi in uiā salutaris profectus; nec se sinit salutari beneficio affici. Bonitatis enim, & beneuolentiæ diuinæ est, ut multi, omnes'ue uocentur, interpellenturq; ad uirtutum cultum, salutisq; studium. sed humanæ prauitatis est, et nequitiæ, ut pauci sint, qui uocationi consentiant, interpellationem'que admittant. Quatenus multos, omnes'ue uocat, interpellatq; Deus ad cultum pietatis, studiumq; salutis: suam eximiam erga genus humanum beneuolentiā, suamq; consulendi, proficiendiq; omnibus propēsionē

ostendit, atq; declarat. dum enim uocat, atque interpellat, se beneuolum, studiosumq; proficiendi mõstrat: & se beneficum offert, prorsusq; paratum exhibet ad conferenda salutaria beneficia, modò permittatur. Si uerò adeo pauci sint, qui uocanti, interpellantiq; Deo consentiant; & se beneficio salutis à Deo affici permittant: id imputandum est omnino hominis ipsius prauitati, non autem cuiquam angustæ Dei liberalitati: qui dum se promptum, paratumq; omnibus salutari beneficio afficiendis præbet; non deest, quin seruet omnes, omnesq; albo salutis adscribat. Studiosam Dei curam in uocandis ad salutem hominibus, & ad salutare beneficium accipiendum interpellandis optime Christus ostendit patrisfamilias parabole: qui non solum mane interpellandos ad cultum uineæ operarios curauit; sed etiam tertia, sexta, nona, undecimaque diei hora prodiens, qui ociosi in foro existerent, interpellauit; & ad præstandas uineæ colendæ operas proposita mercede inuitauit. Sed qui typo patrisfamilias omni adhibita diligentia procurantis ad cultum uineæ operarios conducere refertur Deus: idem typo hominis ad magnam, splendidamque cœnam multos inuitantis designatur: qui cum pro sua bonitate, & liberalitate multos ad cœnam inuitasset: & ex eis alius, quominus ad cœnam posset accedere, excusasset uisendam uillam; alius emptos boues; alius ductam uxorem; alius aliud imminens negotium: iussit seruum adire plateas, uicosq; omnes ciuitatis; & ad paratam cœnam ad-

ducere pauperes, cæcos, claudos, debiles, et qui cunq; uellent accedere. quod quidem cum ex iussu domini procurasset seruus: & tamen pro recusantium, nolentiumq́; accedere numero, loci adhuc plurimi in conuiuio uacarent; iussus est in uias, angiportusq; concedere, & quoscunq; inueniret, interpellatos cogere, ut intrarent, ad cœnamq́; conuenirent. O maximam Dei liberalitatem. O summum in iuuando, seruandoq́; homine Dei studium. Non solum enim Deus pro sua benignitate, suaq́; liberali, & beneuola erga hominem uoluntate procurat ipsum hominem ad cœnam beatitudinis, conuiuiumq́; salutis acciri; sed etiam eum, si fortè pro segnitia, atque ignorantia renuat ingredi, cogi mãdat, atque impelli. Adeo Deus nulli beneficio salutis afficiendo auersum se præbet; adeo nulli suæ beneficentiæ, liberalitatisq́; salutare munus subtrahit; ut nõ modò accersat ipsum hominem ad salutis beneficiũ accipiẽdũ; sed quibusdam etiam modis eum cogat, atq; impellat accipere: dum uel destinatis legatis eum monitis urget, & adhortationibus; uel illatis calamitatibus, atque infortunijs eum cogit resipiscere, relictisq́; peccatis uiam salutis, atque ueritatis inire. Suam, patrisq; Christus curam, & propensionem erga hominem iuuandum, beneficioq́; afficiendum sic patris familias, symposiarchesq́; parabole exprexit: ut non solum ad beneficium accipiendum ostenderet à se uocari, interpellariq; hominem, sed eum etiã cogi, atq; impelli declararet. Qui se studiosum iuuandi hominis typo patris familias,

ſympoſiarcheſq; oſtendit; idem ſe miniſtrum eſſe prædicauit, qui ſaluti hominis inſeruiret; ſuaq; opera, atque miniſterio hominem tuendum, beneficioq; ſalutis afficiendum procuraret. Cum enim diſcipulis, quemadmodum ſe habere deberent ratione dignitatis, atque præſtantiæ, præſcriberet: ſe miniſtrum aſſeruit, & ſe miniſtrandi, inſeruiendiq; alijs gratia acceſſiſſe atteſtatus eſt: qua quidem atteſtatione non ſolum ſuam bonitatem, ſuamq; proficiendi, ſuccurrendiq; homini curam, & ſtudium cõprobauit; ſed etiam exemplum reliquit, documentumq; tradidit; quonam pacto ſe habere debeãt, qui dignitate, poteſtateq; præſtẽt, & qui alijs maiores eſſe uideantur. Qui ſanè ſi Chriſtum imitari, Chriſtiq; inſtituto, atque documẽto adhærere uoluerint; tantum abeſt, ut poſſint quid ſibi ſuperbi imperij, imperioſiq; faſtus in cæteros uindicare; ut debeant paſſim inſeruire; & quatenus uniuſcuiuſq; utilitas, atque neceſſitas exigat, operam, ſtudium, officiũq; præſtare. Noſtri præſules, noſtriq; antiſtites quidquid iuris, atq; poteſtatis ex Chriſti traditione, Chriſtiq; delegatu in nos habent; id ex eiuſdem Chriſti documento, atque exemplo exercere benignè, beneficeq; debent; et omni ſublato faſtu, pompaq; dominandi omni dimiſſa noſtræ utilitati, noſtris commodis, noſtræq; ſaluti ſic incumbere; ut nec ſuperbè, nec arroganter, nec auarè erga nos ſe gerant: ſed prout nos excellũt dignitate, et authoritate præſtant; ita quod dignitatis, authoritatiſq; habent; id totum impendant, prout Chriſti, qui tradidit, pro-

positum exposcit, nobis consulendo, nostram utilitatem procurando, nostræq; saluti, atq; incolumitati inseruiendo. Quod quidem si minus agant, tam Christi instituto non satisfaciunt, tamq; uestigijs Christi, atque Apostolorum non insistunt; ut cum dominari, non inseruire studeant: uel, quod iuris, atq; potestatis habeant, amittere sint existimandi: uel potius gentium principibus æquiparandi: quorum dominandi superbum morē auersatus est Christus: et à se, suisq; exclusit, atque exterminauit. Ea Christi ciues fuit erga genus humanum charitas, & beneficentia; ut quæcunque officia beneficè in hominem præstari possunt; & quæcunq; in hominem quocūq; personæ titulo beneficia conferri queunt; ea omnia præstiterit, uel paratum se præstare obtulerit. Quæcunq; à patre beneficè in filium, quæcunq; à filio officiosè in patrem præstari possunt; ea Christus in hominem præstitit, uel paratum se præstare obtulit. Quodcunq; genus beneficij, et liberalitatis à domino in seruos exerceri, & quodcunq; genus obsequij, operæq; iuuātis à seruo, ministro'ue in dominū impendi potest; id omne Christus in hominē executus est, uel se executurū, quatenus pmittatur, spopondit. Nulla officiosa præstatio, nullaq; benefica opera amici erga amicum, & consanguinei erga consanguineum esse potest; quam erga hominem Christus non exercuerit, uel causa hominis se exerciturum non sit professus. Quidquid deniq; officij, beneficij, obsequij piè, amanterq; homini ab homine præstari potest; & quidquid ex cuiusquā cōditione personæ beneficè fieri, liberali

ter impēdi, ſtudioſe exhiberi ualet; id Chriſtus ſic præſtitit, ſic impendit, ſic exhibuit ipſi homini; ut omnem præſtandi officij, conferendiq; beneficij rationem unus abſoluerit, atque impleuerit. Sed ſicut Chriſtus conſulendo, proficiendoq; homini cuiuscunq; perſonæ officia, & munera impleuit; & nihil prætermiſit officij, atq; beneficij, quod aliquo perſonæ titulo in quenquā benignè, amanterq; conferri poſſet: ſic nullum perſonarum genus reliquit, in quod ſe beneficū, liberalē, ſalutarem nō præbuerit. Tam mares, quàm fœminas, tā iuuenes, quàm ætate prouectos, et tā ignobiles, quàm nobiles uarijs tū animorum, tū corporum beneficijs affecit. non minus filios, quàm parentes, nō minus ſeruos, quàm dominos, nec minus alienigenas, quàm gentiles uarijs beneficiorum generibus proſecutus eſt. Varios uarijs beneficijs ſic affecit, ſicq; proſecutus eſt Chriſtus: ut non minus potentiæ, quàm bonitatis, & amoris argumenta proferens à nullo ſe fruſtra rogari paſſus ſit: & tot à morbis, uitijs, morte liberarit: ut eis ſingulatim recenſendis plurimum operæ ſit neceſſarium. Præter enim eos, quos recenſuimus uarijs morbis, uarijs uitijs, & morte liberatos: plures adhuc adduci poſſent, qui beneficio, uirtutéque Chriſti ſanitatem, uitamq; conſecuti ſint. poſſent enim duo cæci, qui ſecus uiam conſidebant, commemorari; qui prætereuntis Chriſti opem implorantes, uiſum receperunt; & qua detinebantur cæcitate, Chriſti beneficio liberati fuere. poſſent præterea recenſeri decem leproſi; qui iuſſi ſe ſacerdotibus oſtendere,

dũ quò iussi pergerent, Christi uirtute, atq; potestate, qua perfusi erant contage, sanati sunt. Excitatum quoque Marthæ fratrem; qui quatriduo ante obierat, adferre possem: & commemorando explicare, quantum fuerit id beneficentiæ, & charitatis; quod tum erga fratrem, tum erga sorores Christus ostenderit. Syderatum sub piscinæ porticu iacentem: demissos ablatis tecti imbricibus paralyticos, claudos, surdos, debiles, pluresq; alios morbis, langoribusq; uarijs obsessos; qui Christi beneficio curati fuere: possemus etiam separatim prosequendo in medium afferre; & pro cuiusq; corporei morbi, uitijq; curati diuersa ratione diuersas animorum pestes, & morbos Christi beneficio curatos typo explicato demonstrare. Sed quoniam singula quæq; Christi beneficia, atque miracula exactè exequi, singillatimq; explicando ad allegoricum, mysticumq; sensum redigere, pro numero ipsorum, & uarietate tam longi, difficilisq; foret laboris: ut si nos id tentaremus, facilè pro uirium debilitate possemus labori succumbere: & uideri non satis loci, temporis, uestriq; rationem habere; quamplurima dimittimus: quæ licet numero distinctam ab eis, quæ explicauimus, rationem habeant: tamen cum eandem uirtutem, eandemq; proficiendi propensionem præseferant; & non nihil interpretamenti, quatenus ad allegoriam pertinet, ex iam interpretatis possint accipere: non ab re uidentur posse prætermitti. Quæ relata, explicataq; fuere, sunt eiusmodi: ut ea nullis alijs accedentibus sufficere, satisq; esse possent, diuinæ Chri

ſti poteſtati, atque uirtuti oſtendendæ, & eius mirificæ, ſingulariq; charitati, & beneficentiæ erga hominem ſignificandæ. Eorum, quæ retulimus, ea eſt ratio: ut qui non agnoſcat ex eis diuinam Chriſti poteſtatem, Chriſtiq; miram ad proficiendum homini promptitudinem, nec ex aliquibus alijs, quæ ſimilis ſint farinæ, ſit agniturus. Cum Chriſtus tribuendo conferendoq; maxima ſuæ charitatis, & beneficentiæ erga hominem argumenta edidiſſet; & ſe bonum, potentem, amantem, beneficumq; curando, ſanando, uiuificandoq; comprobaſſet: ne aliquid omnino relinqueret, quo ferre poſſet teſtimonium ſuæ immenſæ bonitatis, ſuæque charitatis, & beneficentiæ ſingularis erga hominem: ſe ipſum tormentis, probriſq; tradendo, & cauſa hominis morti ſe ſe obijciendo, tam ſe bonum, tamq; amantem hominis ipſius ſe præſtitit, atq; oſtendit: ut quisquis tam inſigni bonitate, tamq; eximio in ſe amore, & charitate non excitetur, non inducatur ad eum colendum, amandumq;; cenſendus ſit penitus inhumanus, & à natura hominis prorſus abhorrens, atq; alienus. Cum itaq; Chriſtus editis tot miraculis, totq; inſtitutis, atq; documentis traditis, atq; diuulgatis uiam ſaluti ſtrauiſſet; & pro ſalutis beneficio conſtituendo ſolida fundamenta ieciſſet: tempus iam animaduertens appetere, quo ratio ſalutaris beneficij extremam manum acciperet: & quo iam cœptum ſalutis opus abſolueretur: conſtituit urbem Hieroſolimam, ubi ſalutis humanæ perficiendæ gra-

tia probra initurus, tormenta passurus, mortem subiturus erat, accedere. Quare totius rei, priusquam quid eueniret, successu discipulis indicato duos ex illis misit; qui asellum commodatò acciperent; cui regiam urbem ingressurus insideret. Qui nunquam, nisi pedes iuerat, qui toties pedes urbem Hierosolimam petiuerat; iam mortem aditurus, salutisq; negotium confecturus conscendit asellum, urbemq; ipsam comitantibus discipulis, & solenni pompa quam plurimis occurrentibus ingressus est. par enim, conueniensq; fuit; ut qui illustrem triumphum de morte acturus, & morte deuicta, subactoq; peccato triumphaturus urbem ingrederetur; more triumphantis incederet, instarq; eorum, qui de hoste triumpharent, solenni pompa exciperetur. congruum quoq; fuit, & consentaneum; ut qui tormenta perferendo, mortemq; oppetendo iam sibi gloriam, sibiq; celebritatem paraturus erat, non uti antea pedes, sed sublatus asello incederet; & non priuatim, uti soleret, sed publicè, solenniq; pompa ingrederetur. Qui toties se manibus, impetitionibusq; maleuolorum, ne occideretur, subtraxerat; qui toties, ne quid detrimenti pateretur, ne'u e quid subiret periculi, se se in tutū receperat: iam se in apertū discrimē coniicit; iam se ultrò offert morti; iā se se exhibet occidendum. O' mirā Christi prouidentiā. O' exactam in iuuando, seruandoq; homine Christi curam, et diligentiam. subtraxit se periculis, mortemq; deuitauit, quousq; suam operam, suumq; of

ficium pro instituendo homine, in studiumq́; salutis prouocando, atq; excitando animaduertit esse necessarium. Simulatq; uerò sensit monitis, documentisq́; satis esse indultum, & salutis rationem satis esse ostensam: quam mortem pro seruando, liberandoq́; homine, & pro salutis ratione absoluenda, complendaq́ue oppetendam, subeundamq́; superesse nouerat: ob singularem suam erga hominem charitatem, & ob suum ingens succurrendi, consulendiq́; homini studium, & desiderium adeo non detrectauit, adeo non subterfugit; ut se ultrò in periculum coniecerit, & se ultrò occidendum obtulerit. Vrbem Hierosolimam ingressus Christus ad eum diuertit, apud quem sibi, suisq́; discipulis cœnam parari iam commiserat. cum enim festi, celebresq́; dies azimorum adessent, & ex more ueterum Hebræorum solennis instaret Phases celebritas; quæ occisi agni immolatione, atq; comestione tam ad eius diuini beneficij, quo ab Aegypti seruitute liberati fuissent Hebræi, memoriam conseruandam tenderet; quàm typo referret beneficium salutis, quod generi humano Christi opera esset conferendum: eiusmodi morem sibi quoq; seruandum duxit Christus: & non minus typi, quod gereret, quàm memoriæ, quam tueretur, causa custodiendum. Cum foret ipse Christus, qui agni typo designaretur; & qui ueram generis humani liberationem typo Aegyptiæ liberationis indicatam afferret: insigni diuinæ prouidentiæ mysterio effectum est, ut ueri agni immolatio, ueraq́;

liberatio in id temporis incideret, quo typici agni immolationem fieri, & symbolicæ liberationis memoriam celebrari ex Dei mandato, ueterumq; instituto contingeret. Christus itaq; constituta ex ueteri, solenniq; more cœna cum benignè, amanterq; discipulos accepisset; benignitatem benignitati adijciens, & suam bonitatem cum summa charitate coniunctam multò illustriorem reddere uolens, surrexit à cœna; & candenti præcinctus linteo pelui aquam indidit; & pedes discipulorum summissus lauit, atque abstersit. O' summam bonitatem. O' admirandam summissionem. qui magister erat, & præceptor, discipulis pedes lauit, linteoq; abstersit. qui dominus erat, atque Deus, erga seruos, atque homines usus est ministri officio; & eorum pedes lauit: quos pleno iure sibi obnoxios, subiectosq; sciret. Hoc sanè genere ministerij in discipulos præstiti non magis discipulos, quàm nosmet admonitos uoluit Christus, quàm benignè sit semper agendum, & quàm summissè, atque humaniter omnibus, quantum fieri potest, inseruiendum. Postquam pedes discipulis lauit Christus; & pedum ablutione facta animaduertit discipulos; qui alioqui præter pedes fuissent mundi, sic sensuum affectu expurgatos, sicq; ad piè sentiendum, recteq; agendum animatos, ut ne cogitationis quidem, aut affectus cuiuspiam labe tenerētur: rursus ad mensam, quò beneficium beneficio superadderet, & maiorem suæ bonitatis suæq; in discipulos charitatis, & beneficentiæ significationem proferret: panem ex mēsa manibus acce

ptum, & in sui corporis substantiam immutatum discipulis præbuit edendum: & uinum cratere excePtum, in suiq; sangninis substantiam conuersum obtulit, tradiditq; bibendum. priusquam enim mortẽ oppeteret Christus, studuit id genus muneris, atque sacramenti instituere; quo non solum sui memoriã discipulis relinqueret, suamq; ingentẽ in discipulos charitatem, atq; beneficẽtiã testaretur: sed etiã cæteros, qui futuri essent, sui memores redderet; suæq; charitatis, & beneficentiæ participes efficeret. Quonam enim pacto suam erga hominem charitatem, beneuolentiamq; melius, efficaciusq; Christus potuisset exprimere, quàm sui corporis in cibum, suiq; sanguinis in potum substantiam ei tribuendo? O rẽ stupendam. O eximium charitatis, beneuolentiæq; argumentum. Huiuscemodi sacramenti institutione maiorem'ne suæ potentiæ, atque uirtutis, an charitatis, & beneuolentiæ testificationem ediderit Christus, sic hæsitari potest; ut tamen facilè dignosci queat eum tam ratione charitatis, quàm potentiæ modum omnem excessisse, & metas humanæ cõprehensionis transcendisse. Vt uinum uertatur in sanguinem, & ut panis substantiam corporis, atque carnis suscipiat, nulla naturali concoctione, appositione, unione, assimilationeq; interueniente, pro ut nulla naturæ uis, atque facultas exequi potest: ita nulla naturalis, humanæq; charitatis uis, atque ratio quit efficere: ut quis suum sanguinem in potum, suamq; carnem in cibum cuiquam præbere, offerreq; sustineat. Pro ut nulla ui potesta=

teq́; naturæ fieri potest, ut superante rei specie, & superstitibus, quæ rei accidunt, qualitatibus res ipsa uertatur in aliam rem; & suapte amissa substantia in aliud sic immutetur; ut tamen quam habuerit speciem, & quas natura qualitates consecuta sit, nulli subiecto adnixas retineat, atque conseruet: ita nulla humani, naturalisq́; affectus ui, nullaq́; cadentis in hominem charitatis efficacia fieri potest, ut quis pro sua in quenquam charitate, & beneuolentia suum sanguinem ei in potum præbeat, suamq́; ipsius carnem ei offerat in cibum. Christus hoc instituto sacramento suam ipsius carnem sic comedendam, suumq́; ipsius sanguinem sic bibendum homini præbet, offertq́;: ut qui comedat, bibatq́;, Christum ipsum in se sit habiturus, & ipse in Christo omnino sit futurus. Virtute huius sacramenti fit, ut Christus ita constituatur in homine, homoq́; ita inserteturin Christo; ut mutuo complexu cohæreant, mutuaq́; societate conueniant. O' dulce sodalitium, iucundumq́; complexum, quem contingit esse homini cum Christo. O' mirificam dulcedinem. O' iucundam, suauemq́; uoluptatem, quam sentit, quam percipit, qua fruitur homo, dum Christo inest, Christumq́; in se habet. Qui Christum in se habet, habet in se uitam, atq; salutem. qui Christo inest, est in felicitate, est in beatitate: cum Christus ipse sit uita, sit salus, sit felicitas, atq; beatitudo. Sed si uolumus ciues sic Christi carnem edere, sicq́; Christi sanguinem haurire; ut Christus in nobis constituatur, nosq́; in Christo exi=

ſtamus: oportet nos inſtar eorum, qui agnum Phaſes comedebant, eſſe circunciſos, nec ſolum glande circunciſos, ſed toto corpore, atq; animo. Niſi curauerimus nos tam animo, quàm corpore circunciden dos; & omnes in nobis tam agendi, quàm cogitandi ſordes abradendas: nihil eſt, cur arbitremur nos aptos, atq; idoneos, qui Phaſen agamus, ad agniq; eſum admitti ex Dei inſtituto iure poſſimus. Qui ſic procurarit carnem Chriſti ſibi edendam, Chriſtiq; ſanguinem ſic bibendum: ut non minus Chriſtum imitetur corporis, quàm animi officijs; & tam cor pore, quàm animo præſtet, quæ à Chriſto conſtet in ratione uiuendi fuiſſe præſtita: is procul omni du bio Chriſtum in ſe habere, in Chriſtoq; eſſe exiſtimandus erit. Quòd ſi quiſpiam, qui nihil minus agat, quàm quod Chriſto conueniat; Chriſtiq; uitæ, atque inſtitutionibus congruat; arbitretur ſe poſſe Chriſti carnem edere, Chriſtiq; ſanguinem potare: & edendo, bibendoq; Chriſtum in ſe admit tere, ſeq; in Chriſtum inferre: tam fallitur, tamq; decipitur prorſus: ut quod ſigni, ſiue ſacramenti aſ ſumit, atq; deglutit; adeo ad uitam, ſalutem, beatitu dinemq; comparandam, quæ Chriſtus eſt, nihil conferat: ut maximam calamitatis, atq; mortis rationem habeat adducendæ. Si nihil aliud etiam benefi centiæ in diſcipulos exercuiſſet Chriſtus; nihilq; aliud benignitatis, & charitatis oſtendiſſet; quàm quod exercuiſſe, oſtendiſſeq; comperitur; dum eos cœna accepit; eorum pedes abluit; eisq; ſuam carnem edendam, ſuumq; ſanguinem bibendum obtulit:

debuerat quenque eorum, qui uel immanissimus fuisset, sibiq; infensissimus tam promptis charitatis, & beneficentiæ officijs non solum placare; sed etiã in sui admirationem, suiq; amorem, & obseruantiam prorsus commouere. Inuentus tamen fuit ex illis, quos tam benignè, beneficeq; habuerat, & in quos tantum charitatis, tantum'que mansuetudinis, & liberalitatis ostenderat, unus, qui nulla domestici conuictus, acceptorumq; beneficiorum habita ratione, actus auaritia eum prodere, in maleuolorumq; manus tradere sustinuerit. Is enim cum dispensator foret, & loculorum curam haberet; satis opportunam furandi, intercipiendiq; occasionem sibi ex unguenti preciosi effusione ademptam ægre ferens; & indignatus unguentum non fuisse distractum; cuius precium in manus suas fuerat peruenturum: quam iacturam sibi ex unguenti effusione factam conceperat; & quod furando, intercipiendoq; emolumenti ex unguenti precio se relaturum fuisse cogitarat; id resarcire omnino studuit: & quod furto, suppilationeq; non ualuit consequi, proditione procurauit obtinere. Exprimi uix posset, quàm transuersos agat homines auaritia; & quàm nullam iusti, rectiq; sinat rationem ad homine haberi. Simulac enim homo correptus est auaritia; tam nihil cogitat, quid pium, rectumq; sit, tamq; nihil censet, quid iustè, pieq; fieri possit: ut nullũ non scelus, nullũ non flagitium aggrediatur: modò inde sibi quidpiam lucri, aut emolumenti excipere, cõsequiq; speret. Cum itaq; perfidus ille, atque auarus nosset,

quàm scribæ, phariseiq; Hebræorum infensi essent Christo; & quàm enixè studerent Christum perdere: secretò eos conuenit, obtulitque se traditurum, quem odissent: modò pecuniam sibi afferrent, proditionisq; mercedem constituerent: qui oblatam conditionem libenter accipientes spoponderūt proditori triginta nummos argenteos se exoluturos: cum primum eius opera, atque auspicio factum fuisset; ut Christus in manus suas perueniret. Hi enim perditi homines, & non minus liuore, quàm auaritia laborantes Christum, quem fucis suis aduersum nossent; & quem suæ hipocrisi, suisq; carpendi lucri, fallendiq; uulgi tendiculis inimicū scirent: summo studio, summoq; affectu optabant de medio tollere. Sed cum æquè nossent propter insignia edita miracula, & propter quamplurima beneficia tum priuatim, tum publicè collata, non paruam esse Christi apud populum existimationem; nec paucos ex populo erga Christum esse affectos, atque animatos: occasionem aliquam, opportunitatemq; offerri sibi expetebant: qua manus in Christum inijcere tutò possent; & nullo populi tumultu concitato, quem odissent, morte afficerent. Quapropter quàm libenter proditoris oblationem audierint; & quàm facile petitioni eius annuerint; unusquisque potest existimare: qui perpendat uix ullam aliam potuisse eis incidere commoditatem, occasionemq; tutiorem, quod optarēt, perficiēdi: quàm eam quam oblatam haberent ex discipuli, domesticiq; proditione. Nihil itaque amabili cœnæ conuictu, nihil beni-

gno, ſummiſſoq; ablutorum pedum officio, nihil carnis, ſanguiniſq; benefica oblatione permotus ille perfidus: quod ſemel auaritia inductus animo conceperat, & quod cupiditate pecuniæ promiſerat; exequi, præſtareq; procurauit. Quapropter peracta cœna cum Chriſtus adhuc ad menſam cõſideret; & inſtituendo, admonendoq; ea prædiceret, quæ tum ſibi euentura, tum diſcipulis ipſis ſucceſſura forent; inde ſe ſubtraxit proditor: & noctu adiuit eos, cum quibus de proditione egerat: & omnium admonuit, quæ agenda eſſent; quò Chriſtum caperent, in ſuamq; poteſtatem redigerent. Cum uerò Chriſtus uarios cum diſcipulis undecim ſermones habuiſſet; & plurima eis tradidiſſet de ſuo ad patrem reditu; de ſua erga eos charitate; de mutua inter ipſos dilectione ſeruanda: & non ſolum expoſuiſſet, quæ forent præſtanda, agendaq; ab eis; ſed etiam quam ſuam, paracletiq; ſpiritus opem in agendo eſſent experturi, indicaſſet: ſurrexit à menſa, & unà cum diſcipulis domo exiens torrentem Cedron traiecit; & ex ſolito more montem oliuetum orandi cauſa conſcendit: hortumq;, qui in monte fuerat, ingreſſus relictis ſeorſum diſcipulis preces ter Deo patri obtulit; terq; orando diuinum patrem compellauit. Vix orandi finem fecerat; ſomnoq; diſcipulos dormientes excitauerat: cum proditor militari cohorte, multaq; armatorum manu comitatus apparuit: quem Chriſtus adeo non declinauit; ut ei obuiam procedens, non ſolum ſe oſculari permiſerit: ſed etiam amici nomine eum compellarit. O miram

Christi bonitatem. O plus quàm humanam charitatem. Quem nouerat sibi inimicum; à quo se prodisciebat; quem conspirasse in necem suam perspiciebat; ab eius aspectu non abhorruit; eius osculum non detrectauit: sed prodiens obuiam benignè se erga eum habuit; amicũq; eum appellauit. cui tantam Christi bonitatem, tantamq; mansuetudinem, & charitatẽ cogitanti, animoq; uoluenti, non inducatur, non inflectatur animus ad Christũ amandum, colendumq;; & Christi exemplo non remittatur cordis duritia aduersus eos, quos sibi infensos habuerit, atque inimicos? Adeo Christus pro sua bonitate, suaq; insigni charitate nõ est auersatus eũ, à quo proderetur, à quo in necem traderetur: ut non minus benigne eum aspexerit, quàm amanter compellarit. Qui tam proditorem, quàm proditoris armatam manum solo uerbo, oris'que spiritu poterat perdere, profligare, necare: adeo nihil nocuit, adeo nihil detrimenti attulit, aut mali: ut discipulum, qui in impressione pontificis seruo aurem gladio absciderat, uehementer redarguerit: & iussum uagina recondere gladium non solum represserit ab impetu resistendi, lædendi'que: sed etiam quem læsum ab eo, truncum'que aure perspexerat, curauerit; restituta'que aure sanarit. Adeo ui resistendum non esse inimicis; adeo uim ui repellendam non esse existimauit Christus: ut ab eis, quos respondendo se eum esse, quẽ quærerẽt, consternarat, terra'que prostrauerat: se ultrò capiendum, uinciendumq; præberet: & tanquam insignem latro-

nem, perditum que homicidam apprehendi, duciq́; permitteret. Qui ſic beneficum, liberalemq́; erga hominem ſe præſtaret; ut nullum genus beneficentiæ, atque largitatis exercendæ prætermitteret: is pro ſua bonitate, ſuoq́; ſeruandi hominis ſtudio uti latronē, uti prædonem ſe apprehendi, ſeq́; uinctum duci, trahiq́; permiſit. Qui uenerat, ut hominem ſeruaret, hominemq́; à morte redimeret, & uitam homini, quam peccato amiſiſſet, reſtitueret: ſe uti homicidam paſſus eſt pro ſua in hominem charitate, ſuoq́; conſulendi homini deſiderio conſtringi uinculis, ligatūq́; adduci. Reſiſtere poterat Chriſtus, quominus caperetur: qui capiendi cauſa acceſſiſſent armati, eos facile poterat Chriſtus ſua uirtute, atq; poteſtate fundere, atque perdere: & ſi nolebat, qui colligendi, ſeruandiq́; cauſa ueniſſet, fundere, ſiue perdere; ſaltem incolumem ſe poterat ab eis auferre. Qui ſe, cum poſſet facile, armatorum manibus non eripuit; qui nihil minus, quàm ne in manus inimicorū incideret, cauit: procurauit tamen ter armatos conſternando, terraq́; ter proſternendo faciendam diſcipulis abeundi, periculoq́; ſe eripiendi poteſtatem. O' ſingularem Chriſti bonitatem. O' beneficam, promptamq́; ad conſulendum alijs Chriſti potentiam. Qui ſe impeti ab armatis, qui ſe inuadi ab inimicis uidit: non ſe diſcrimini eripere, ſed ſuos; non ſibi cauere, ſed diſcipulis procurauit. Ne quid læſionis, aut detrimenti paterentur diſcipuli, ne quid ſubirent diſcriminis, aut incommodi: non minus amanter cauit, quàm potenter egit Chriſtus: cuius bonitatem,

beneficentiamq; eximiam, si nihil aliud foret, quod possit indicare; inde maxime possemus perspectā, cognitamq; habere: quod cum restituta aure, qui foret inimicus, incolumem reddidisset: & discipulis, quominus quid detrimenti paterentur, consuluisset: sibi tamen cauere non studuerit, sed se ipsum in apertum discrimen coniecerit; & se comprehendendum, uinclisq; obstringendum præbuerit: quò tam inimicis, quàm amicis consuleret: & tam alienos, quàm suos incolumes tueretur. Comprehensum, uinctumq; Christum armata cohors, ministriq; Hebræorum adduxere ad principem sacerdotum: apud quem & scribæ, & pharisei substructionis id genus, & intriti authores conuenerant: eumq; coram ipso principe, necnon phariseis, & scribis stiterunt. O' indignum, informeq; rei spectaculum. Cuius ui, uirtuteq; uniuersa rerum, & naturæ series constat, contineturq;; & quibusdam ueluti uinculis connectitur, atque constringitur: is deuinctus, uinculisq; innexus, atque obstrictus detinetur. Qui tam diuinæ, quàm humanæ naturæ princeps erat; & qui tam iudicandi omnes potestatem habebat, quàm à nemine poterat iudicari: sistitur coram principe homine; & apud hominem reus agitur, atque iudicatur. Qui tam omnis noxæ expers erat, tamq; ab omni peccato, & crimine alienus: ut sua innocentia, suæq; bonitatis meritis noxam omnem peccati, omnemq; humani criminis labem abstersurus esset, atque deleturus: apud impios ab impijs, atque nefarijs impiè arcessitur, graui=

terq; accusatur. Reus agitur, & falsis testibus inductis, subornatisq; grauiter accusatur: qui non minus innocentiæ, quàm ueritatis fons erat: & qui uenerat ut reos absolueret; de crimineq; conuictos imminenti supplicio liberaret. Constitutus ante pontificem, scribas, phariseosq; Christus non solum se patienter habuit in obiectis falsò criminibus audiendis; sed etiam dum alapis cæderetur; dum uelatus faciem percuteretur; dum sputis fœdaretur, probrisq; afficeretur omnigenis: sic pacatè, æquanimiterq; pro sua bonitate, pro suaq; instituendæ salutis humanæ cura tulit, tolerauitq;: ut ne hiscere quidem uisus sit, nedum ægre ferre deprehensus. Ea fuit Christi bonitas; eaq; in procuranda generis humani salute propensio: ut nullum iniuriæ, probriq; genus indignè, ægreq; ferret: quod sciret conducere saluti instituendæ, & usui esse homini in uiam salutis inuitando. Tantum bonitatis, tantumq; æquanimitatis prætulit Christus in tolerandis tam uerborum, quàm factorum iniurijs, atq; probris: & tam sui, suæq; existimationis nullam rationem habuit: ut ne obiecta quidem crimina diluere tentarit; nec aduersus iniuriam, probraq; inferentes conquestus sit. Ad quæcunq; obiecta, ad quæcunq; probra se tacitum, æquanimemq; præstitit: & probris petitus, lacessitusq; uerbis, nunquam quid oblocutus est, atq; respondit: nisi quatenus uel obloquendo, uel respondendo prospexit se aliquid prodesse posse: & quod responderet, facere animaduertit, uel ad tuendam Dei patris, suæq;

diuinitatis authoritatem; uel ad instituendam, solidandamq́; salutaris beneficij rationem. Quem conspuendo, quem colaphis cædendo, quem uarijs probris afficiendo ad satietatem usq; infensi, maleuoliq́; Hebræi torserant, deuexarantq́;; eum deniq; falsis criminationibus incusatum, dignumq́; morte iudicatum tradiderunt urbis præsidi non tam capitali quæstioni subijciendum, quàm supplicijs afficiendũ, atq; necandum. quod cum proditor animaduertisset; & quàm nefariè, quàmq́; impiè egisset, iustum, piumq́; præceptorem prodendo agnouisset; actus pœnitudine, quam mercedem proditionis acceperat, ad eos, qui dederant, retulit: & grauitate flagitij inductus sibi mortem intulit: suspendioq́; se necauit. Negari non potest, quin commisso scelere dignum exitum sortitus sit proditor: cuius quidem noxam, siue crimen si perpendamus ex eius, quem prodidit innocentia, beneficijsq́; acceptis; maius profectò iudicabimus, quàm quod uideatur posse ullam ueniam mereri, aut aliquo pacto aboleri. Quòd si bonitatem, promptamq́; ad ignoscendum, benefaciendumq́; homini benignitatem eius perpendamus, qui offensus, proditusq́; fuit: tam nihil fuerit, cur dubitemus proditorem, si sibimet ipse pepercisset, ueniam ab eo, quem prodidisset, fuisse impetraturum: ut uel summopere qui proditus esset, existimari possit optasse proditoris ipsius incolumitatem, atq; salutem. Nihil erat ò miser cur diffideres ab eo te ueniã posse impetrare; quem toties beneficum, propensumq́; ad benefaciendum expertus fueras. nihil erat, cur du-

bitares ab eo ueniæ beneficium petere, atque expo=
scere; quem toties nec rogatum, nec petitũ in te be=
neficia contulisse noueras. nõne iam comperieras ex
iugi eius consuetudine, atque conuictu, quãtæ fo=
ret lenitatis, quantæ benignitatis, quantæ ad profi=
ciendum omnibus promptitudinis. nonne apertis,
manifestisq; testimonijs comprobatum habebas eius,
quem prodidisses, eam esse charitatem, beneficenti
amq; erga hominem; ut nihil ab eo unquam bene
ficij frustra fuerit petitum, nihilq; ab eo muneris un
quam frustra rogatum? Si noueras eum, quem tra=
didisses, eius fuisse bonitatis, eiusq; extitisse ad be=
nefaciendum propensionis; ut non solum petitus,
rogatus'ue beneficentiam exercuerit; & erga no=
tos, cognitosq; beneficum se præstiterit; sed etiam
nec petenti, nec roganti beneficium contulerit: &
ignotis, alienigenisq; se facilem, exorabilemq; præ=
buerit: quantò magis tu, qui fueras ex illis; quos
inter cæteros maxime caros, acceptosq; haberet; &
quos præcipua, peculiariq; beneuolentia, & charita
te prosequeretur: debueras confidere, te, si modò ti=
bi pepercisses, manusq; uiolentas à te continuisses,
petendo, rogandoq; ueniæ beneficium fuisse impe=
traturum? In obtinendo ueniæ beneficio non fuisses
apud eum, qui nullum non pœnitentem libenter
audit, admittitq;; deterioris conditionis; quàm fue
rit collega tuus: qui cum ter eum abnegasset; & iu
reiurando falso se eum nescire asseruisset; pœnitu=
dine tamen actus, cum minus diffideret, impetra=
uit ueniam: & quam abnegando, peierãdoq; no=

xam

xam contraxerat; confisus bonitati eius, & benignitati quem offendisset: non solum in pristinam gratiam restitutus fuit; sed etiam ad arctiorem beneuolentiæ affectum, potioremq; beneficentiæ rationẽ fuit admissus. Grauissimè quidẽ ciues peccauerat Iudas; & tantò grauius Petro deliquerat; quantò pernitiosiorem rem prodendo, quàm Petrus peierando commiserat: & quantò peius fuerat auaritia, quàm timore peccare. Sed cum ea sit bonitas, benignitasq; nostri Christi; ut immenso, infinitoq; excessu superet omnem humani peccati rationem: fit, ut par sit, æquaq; Christi in ignoscendo ratio: licet pro conditione, grauitateq; noxæ ex parte hominis diuersa constituatur pœnitentiæ ratio: & pro conditione delicti pœnitudinis ratio uarietur. Sicut enim una, eademq; est ratio infiniti ad quodlibet fine aliquo terminatum: licet fine determinata pro finis ratione uicissim inter se differre comperiãtur: ita Christi infinita bonitas, atque benignitas indifferenter se habet in ignoscendo: tametsi delicta inter se differant; & alia alijs grauiorem noxam contineant. Quæ sanè mutua delictorũ differentia ex parte reorum sic exigit differentem pœnitudinis rationem; ut conditioni delicti respondere oporteat pœnitudinis conditionem. Non minus itaque Iudas, nec qui Iuda grauius in Christum deliquisset, obtinuisset ab ipso Christo ueniam, quàm Petrus impetrauit: si modò pro ratione delicti pœnitentiam egisset, & pœnitudine grauitati delicti respondente actus reuertisset. Præses urbis ut interrogatum, quæ situmq; exa

ctè Christũ nihil criminis admisisse reperit, quo mortem mereretur: & ex obiectis criminibus, obijcientiumq; conditione animaduertit eum propter inuidiam incusari, ad mortemq; posci; eius dimittẽdi, absoluendiq; occasionem quærebat. Quapropter cum ex more foret, ut quotannis tempore Phasis in populi gratiam dimitteretur aliquis à præside, qui capitis iuditio arcesseretur; tentauit Christum ipsum dimittere: cuius dimissioni ex scribarum, pharisęorumq; suggestione sic à populo est reclamatum; ut latro dimitti, Christusq; necari sit petitus. O' perfidam, ingratamq; gentem. ò uulgus hominum inconstans, atque uolubile. Quem externus, alienigenaq; dimittere, seruareq; tentat; eum sui, gentilesq; flagitant perdi, poscuntq; necari. Quorũ imprimis seruandorum, redimendorumq; à morte causa aduenerat Christus; ab eis maximè perdi, occidiq; exposcitur: & eos maxime infensos, inimicosq; experitur: quos non tam generis cognatione, quàm peculiari beneficentia, & charitate deuinctos, obstrictosq; maxime habere merebatur. Qui præcipuè beneficijs affecti fuerãt; & qui uarijs langoribus, infirmitatibusq; curati; hi sunt, qui latronem, homicidamq; poscunt dimitti: & eum, à quo beneficia acceperunt; & sospitatem, sanitatemq; consecuti sunt: insontem prorsus, & innocentem flagitãt occidi. Quem modò edentem miracula sequebãtur, et quem tam priuatim, quàm publicè beneficum suspiciebant, atque admirabantur: eum nunc morte dignum clamitant, & occidendum uociferantur.

Quem exaturati, insignibusq; beneficijs affecti, nuper Regem, si permisisset, uoluerant cōstituere: nunc scribarum, phariseorumq; suasionibus excitati eum sibi nomen regium usurpare, idcircoq; capitali supplicio dignum esse proclamant. Cui pridem urbem ingredienti obuiam perrexerant; et quē multo plausu, atque lætitia excipientes honorificè habuerāt, amanterq; salutarant: eundem nunc animis in contraria studia conuersis poscunt, exigūtq; ignominiose necari, infamiq; crucis supplicio affici. Cū quam optaret Christi dimissionem, hac minus successisse præses animaduerteret: alia aggressus est, tētauitq; uia, si fortè, quod optaret, posset succedere: et quod suasione, reiq; ipsius opportuna occasione non obtinuerat: expertus est, si fortè quiret commota miseratione extorquere. Præses itaque licet in Christo nihil inueniret, quod mortem, aliquod'ue supplicium mereretur: tamen cum populo satisfacere omnino statuisset: tentauit, si fortè afficiēdo Christum aliquo miserabili potius, quàm lethali supplicio, posset peruicaciam populi captata miseratione reprimere: & Christum ipsum, quominus necaretur, prohibere. O' studium placendi iniustum, atq; iniquum. O' propositum gratificandi populo impium, atq; deforme. Tantum potest popularis auræ captatio, tantumq; potest placendi, gratificandiq; populo studium: ut æqui, iustiq; semita deseratur; et contra Dei, iustitiæq; normam, atque instituta committatur. Qui insons inuenitur, & qui propter innocentiam nihil minus meretur, quàm supplicio

quoquam affici, quò satisfiat populo, & quò uulgi gratia ineatur; tam duriter affligitur, tamq; informi, dirоq; supplicij genere afficitur: ut id uel spectaculo ipso posset sufficere ad captandam cuiusq; uel infensissimi commiserationem. Dum Christo cauere, ne necetur, ita studet præses; ut tamen nolit dimittendo rem populo ingratam facere: id supplicij genus intulit; quod ignominiæ, cruciatusq; causa tantò morte deterius uideri possit; quantò diuturnius, quàm mors, affligat; & quantò ignominiosius, quàm mors, spectaculum referat. quod enim tormenti, quod supplicij id fuisse censendũ est, quod Christus pertulit; dum ad palum, columnãq; detractis uestibus deuinctus flagris sic cæsus, cõtususq; fuit: ut ab imis pedibus adusque supremum uerticem nihil corporis plaga illæsum, nihil membrorum uulneris expers reperiretur? cuiusmodi dolor, atq; cruciatus ille putandus est extitisse; quẽ toto corpore uulneratus, omnibusq; mẽbris cõtusus senserit Christus; et quẽ nõ tam districta carne, quam oblæsis neruis sit expertus. Hinc effectum est ciues: ut dum commiserationem captare, captatãq; cõmiseratione Christum à nece liberare tentauit præses; longè miseriorem Christi conditionem redderet, quàm si mortem subitò intulisset. dum enim parcere tentauit, durius, sæuiusq; afflixit: & dum captare commiserationem uoluit; causam rei duriorem, deterioremq; fecit. Nam quod supplicij arcendæ mortis gratia intulit; non solum ad arcendam mortem nihil profuit, nihilq; adinducendam commiserationem profecit;

ſed etiam ad durius ſæuiendum animos excitauit; & mortem, quæ alioqui una fuiſſet, & ſubita; multiplicem reddidit, atque diuturnam. Adeo nihil præſes, quod illato ſupplicio moliretur, aſſecutus eſt: ut apud quos miſeratio captari quærebatur, eorum animi tantò ſæuiores fierent, & ad poſcendum capitale ſupplicium pertinatiores; quantò meliorem ſibi cauſam ex calamitate Chriſti concipiebant; & quantò propenſiorem ad ſibi ſatisfaciendum præſidem animaduertebant. licet ſenticea corona capiti impreſſa, & rubro, purpureo'que indumento corpori iniecto non minus deridiculam, quàm miſerabilem Chriſti ſpeciem reddere tentaſſet præſes ratus non minus deriſum captatum, quàm commiſerationem poſſe mitigare ſæuientis uulgi animos: tamen nihil adeo profecit: ut ſimulac Chriſtus tam miſerabili, deridicula'que ſpecie uiſus, conſpectusq; uulgo fuit; tantò magis increbreſcerent uoces exigentium eum necari, cruciq; affigi: quantò magis ſpecies id genus noxalem cauſam præſeferebat; & regium aliquid, & ſi deridiculo, referebat. regium enim nomen in Chriſto ſic oderant Hebræi; ut licet ei deridiculo deferretur: tamen indignarentur maxime, & ægreferrent ſpectare aliquid, aut audire, quod uel ioco, uel ſerio Regem Chriſtum referret. Ò perfidam, & peruicacem Hebræorum nationem. Tanto odio eum proſequebantur, qui uenerat, ut regeret, ſeruaretq; ipſos: & pro ſua bonitate, atque charitate dignos, idoneosq; redderet, quibus in cœ

lo denique dominaretur; ut uel indigne ferrent, si quid honesti nominis, aut muneris ioci causa ei deferri contingeret. Sed quod ludibrij causa tam à præside indumento purpuræ, quàm ab Herode alba ueste effectum fuit; eam rei seriæ significationem continet: ut Regis, maximiq; sacerdotis peculiari habitu regij muneris, sacerdotalisq; officij potestas in Christo designetur. prout enim pontifex Hebræus publicæ utilitatis causa de medio auferendum Christum proferens eius utilitatis uaticinium edidit; quæ futura esset, successuraq; foret humano generi ex morte Christi: ita quancunq; speciem Regis in Christo utcunque effinxit, repræsentauitq; præses uel habitu, uel uerbis, uel scripto; ex ea colligitur, quæ successit in genere humano regia Christi dignitas: qui cum non minus maximi sacerdotis, quàm Regis munere esset functurus: ab Herode licet illudente indutus est alba ueste: cuius usus non minus flamini Diali apud Romanos, quàm maximo pontifici apud Hebræos solennis fuerit. Cum iam præses animaduerteret Hebræorum animos aduersus Christum sic obduratos, ut nullo pacto dimoueri possent ab eo, quod semel inierant occidendi eius proposito: nihil minus respiciens, quàm quod iuris esset, & iustitiæ; & pluris æstimans auram uulgi, quàm Dei, rectiq; cultum: eorum uotis annuit; Christum'que tradidit cruci affigendum, morteq; afficiendum. Interim, dum dura mortis instrumenta apparantur; & dum necis triste ministerium instruitur; undique Christus probris, iniu=

principio

rijsq; lacessitur: undique tam uerbis, quàm factis malè, ignominioseq; habetur. erant, qui capiti tenacius spineam coronam imprimerent: erant, qui in os, faciemq; expuerent: erant, qui caput arundine percuterent: & subsannantes genibus summissis eum salutarent: non deerant, qui uellicarent, qui cæderent, qui probris incessèrent. nunquam tamen tot supplicijs, tot ignominijs, tot probris fieri potuit; ut qui norat, quidquid toleraret, ac pateretur, saluti humanæ instituendæ conducere; & in hominis seruandi beneficium cedere, quidquã diceret, aut ageret: quod indignum uideri posset sua in hominem charitate, suaq; consulendi, benefaciendi'que homini propensione. Tanto enim studio seruandi hominis, atque liberandi agebatur; tanto desiderio tangebatur generis humani ex seruitute eruendi: ut quidquid tormenti subiret, aut ignominiæ; instar honoris, instar que uoluptatis maximæ censeretur. corpore quidem tam dolorem, cruciatum'que sentiebat, quàm qui maxime: sed pro sua in hominem charitate, suaq; de homine benemerendi cupiditate tam nihil molestè, impatienterq; tulit; quod causa hominis se ferre sciret: ut uel libentissime ferret, lætoq; animo pateretur. O' maximam Christi erga hominem charitatem. Quidquid doloris, atque tormenti sentiebat, propter eum, quo detinebatur, seruandi hominis affectũ, loco uoluptatis sibi ducebat. Non secus sese habebat in omni genere probri, atq; ignominiæ perferendo; quàm se habere debuerat,

qui nosset hominem; quem mirum in modum dili geret; & quem singulari charitate prosequeretur: tantò plus honoris consecuturum, tantoq; maiorem gloriam sibi relaturum; quantò plus ignominiæ ipse subiret, maiusq; ludibrium pateretur. Cum nihil tormenti, nihilq; ignominiæ sibi subiri, tolerariq; sciret, ex quo non pareretur tantundem uoluptatis, & gloriæ ipsi homini: pro eo, quo beandi, gloriaq; afficiendi hominis studio, desiderioq; afficiebatur: tam quod tormenti pateretur, ignominiæq; subiret, molestum non fuit, toleratuq; difficile: ut cum perpenderet, quantum ex suo cruciatu, atq; ignominia accederet homini incolumitatis, & gloriæ: nihil magis optaret, quàm cruciari; nihil magis affectaret, quàm ignominia affici. Cuiusmodi fuit hæc Christi charitas in nos ciues; qua fiebat, ut lucro sibi imputaret, uoluptatiq; adscriberet, quidquid tormenti, atque iniuriæ causa nostri subiret; subitumq; sciret nobis fore utilitati, nobisq; pro consequenda salute esse conducturum? Quis est ex uobis, qui sibimet adeo sit amicus, adeoq; suæ utilitatis studiosus: qui si possit patiendo tormenta, quæ Christus pertulit; & subeundo iniurias, quas Christus subiuit; plurimum utilitatis sibimet comparare, & maximam gloriam sibi denique contrahere: eligat tam dura tormenta ferre, constituat tam atroces subire iniurias: quò sibi denique utilitatem comparet, & gloriam? Nõ esse quenquã ex uobis, apud quẽ tormentorũ horror, et dedecoris, iniuriarumq; auersio non plus polleat, quàm futuræ cuiusquam uti

litatis, aut gloriæ ratio: inde manifestè elici potest: quòd cum proposita sit nobis salutis æternæ acquisitio, uitæq; beatæ, & immortalis consecutio, si Christũ imitemur; Christiq; instituta, atq; documẽta custodiamus: nullus tamen inueniatur (quòd sciã) qui Christum ipsum in uiuẽdi ratione, nedum in tormẽtis, iniurijsq; ferẽdis imitetur. Si quod nostræ utilitatis, nostræq; salutis causa nõ ipsi nos præstamus, id Christus nostri gratia præstitit: non ne aptè colligitur Christũ sua in nos charitate superasse quãcunq; nostram in nosmet ipsos charitatem? Si quæ Christus nostri causa sustinuit, atq; tolerauit; ea nos ipsi nostramet causa nec sustineamus, nec toleraturi simus: quid est cur nõ agnoscamus, eam esse in nos Christi charitatem, et beneuolẽtiã: ut in diligendis, amãdisq; nobis nosmet ipsos superet, atq; uincat? O' nostrã ignauiã, nostrãq; ingratitudinem. Quid est id ignauiæ; ut quæ nostri causa Christus subiuit, atq; sustinuit; ea ne minima quidem ex parte nostrapte causa subire, sustinereq; procuremus? quid est id ingratitudinis; ut à quo superari in amãdis nobis nosmet ipsos cõperiamus: non studeamus eũ amãdo nos ipsos superare; aut eius in nos amori aliqua ex parte respondere? cũ præsertim noster amor in eũ, et charitas ueram amandi nos ipsos rationẽ in se cõtineat; et ad nostrã utilitatem, nostramq; salutem uergat. Qui neq; agẽdo, neq; dicendo, neq; patiẽdo quidquam operæ, studij, officijq; prætermisit; quo patefacta sua bonitate, ostensaq; sua in nos amãti uoluntate, & charitate in sui amorem, atq; charitatem nos æquè prouocaret: non ut ex no-

stro amore sibi quidquã cõmodi, aut emolumẽti perci peret; sed ut uitã, atq; salutẽ, quæ in ipso amãdo, colẽ doq; cõsisteret, nobis afferret. hũc quicũq; amare, cole re, charitateq; prosequi non curarit, atq; studuerit; is nõ solũ insigniter reũ ingratitudinis se cõstituet: sed etiã sui ipsius minus amãtem, suæq; utilitatis, atq; sa lutis minus studiosum se se ostẽdet. Si Christus id subi uit ignominiæ, idq; tormẽti ꝑpessus est causa homi= nis, quod ipse homo sui ipsius causa nõ sit passurus: nemo nõ potest intelligere hominẽ longè maiorẽ Chri sto debere amorẽ, atq; charitatẽ, quàm sibimetipsi : quatenus amor hominis in se ipsum sit alius ab eo, qui sit hominis in Christũ, amore. Ea sunt tormenta, eaq; sunt ludibria, quæ Christus causa hominis per tulisse reperitur: ut maiora propemodum excogita= ri in cõditione humana, & ab homine aduersus ho minem inferri nequeãt: quæ cum plurimũ enormi= tatis, atq; indignitatis ex persona patiẽtis, conditio= neq; inferentiũ accipiãt: nihil est, cur ea pro magni= tudine explicari, et pro indignitate satis exprimi pos se arbitremur. Simulatq; omnia tã instrumẽta igno miniosæ necis, quàm ministeria instructa, parataq; fuere: exutum chlamide coccinea, qua ludibrij causa induerãt, Christum suis uestibus induerunt: indutiq; humeris crucem, cui affigeretur, ferendã imposue= rũt. Extra urbẽ, urbisq; mœnia locus erat in accliuẽ collem fastigiatus; in cuius plano uertice de reis sumi suppliciũ capitale solitũ foret: & quicũq; rei mortis essent, necari solerẽt. In hũc itaq; locũ adductus unà cũ duobus latronibus fuit Christus, quò cruce suspen

deretur, patibuloq; affigeretur. Vt fuit ad locum huiusmodi peruētum: protensa humi ingenti cruce uestibus Christū exuerūt; nudūq; cruci imposuerunt: impositumq; ita extēderūt; ut clauis ferreis tam manus, quā pedes eius ligno affigerēt: et tormēti insigni specie traijciētes applicarent. Crucem mox suffixo pedibus, manibusq; Christo extulerūt: eamq; sic calce terræ impressam firmarunt; ut suspensum altè Christū ostenderet; & spectandū undiq; præberet. O dirū, crudeleq; spectaculum. Qui nullius culpæ reus, nulliusq; sons criminis erat, ex uasta, proceraq; cruce pēdere spectabatur ramnis caput cōfixus, manus, pedesq; clauis ferreis traiectus, & toto corpore lacer, totusq; largo fluens sanguine. Cum dextra, sinistraq; duo latrones, quos unà adduxerāt, æquè in crucem sublati essent; spectabatur inter eos cōstitutus, cruceq; propendens: qui non solū totius uitæ tempore innocenter, pieq; egerat; & ab omni peccati, atq; criminis genere se cōtinuerat: sed etiā tam monendo, quàm operando studuerat omnibus proficere, omnibusq; benefacere. qui tam nihil rapinæ exercuerat, tā nihil latrocinij cōmiserat, ut nihil aliud tentaret, atq; conaretur, quàm rapinas Diaboli dissoluere: & quam hominis, generisq; humani prædā egisset Diabolus, in libertatem uindicare: inter duos latrones de cruce pendere spectabatur: & longe peius, quàm latrones ipsi tum tormenti, tum ignominiæ causa se se habere. Quòd si is, qui cū innocens, pius, beneficusq; esset, sic diriter cruciatus, sic ignominiose habitus est: ut eum spectare horridū foret, atq; immane: cogitetur,

consideretur'q; fuisse Deus, Dei'q; filius, qui cũcta cre asset; cuncta sustineret; cũcta moderaretur: quid fue rit id horroris, quod ex huiusmodi spectaculo cõcipie tur? quid fuerit id immanitatis, quod ex spectaculo id genus deprehendetur? non poterit non multũ hor= roris concipi: non poterit nõ plurimum immanitatis coargui: si qui spectetur tam ignominiosè habitus, tam'q; diris modis tractatus, cõsideretur non solum insons, innocẽs'q; esse: sed etiã Deus, Dei'q; filius existe re. Sed quid? si causã cogitemus, perpendamus'q;, qua tã ignominiosæ morti, tã'q; immanibus supplicijs su= bijciatur: qui non solum pius, innocẽs'q; sit homo, sed etiã Deus, Dei'q; filius existat? Non minus sanè amo= ris, et charitatis, quàm immanitatis, et sæuitiæ ex hu iusmodi spectaculo deprehendemus: dũ enim qui De us, Dei'q; filius erat; et qui tã diuinitate potens, quàm humanitate innocẽs fuerat, tã probrosa tormẽta per= tulit; tã'q; diram, atrocem'q; mortẽ subiuit nostri cau sa, causa'q; humani generis ex seruitute eripiendi; nõ minus suam in nos arguit, ostendit'q; beneuoletiã, & charitatẽ, pro quibus passus sit: quàm eorũ à quibus tot sit passus, sæuitiam, immanitatem'q; cõprobauit. Nostrũ est sanè ciues cur tã dira, tam'q; ignominiosa passus sit Christus animaduertere; et ex indignitate, atrocitate'q; eorũ, quæ passus sit, æstimare, atq; perpen dere eius ingentem erga nos beneuolentiã, et charita tem. Ad rem nostram maximè pertinet: rei nostræ ma ximè expedit intueri, atq; cõsiderare, non quàm im piè, immaniter'q; inferẽdo supplicia se habuerint He bræi; et quantum immanitate peccarint: sed quàm

patienter se se habuerit, & quàm amanter se gesserit Christus in subeundis, tolerandisq; nostri causa tot immanibus supplicijs: et quàm se promptũ, paratũq; præstiterit ad subeunda, tolerandaq; tam dura, ignominiosaq; tormenta: quo nobis proficeret, & nostræ incolumitati, atq; saluti cõsuleret. Non expedit, ut sæuiamus in Hebræos, inuehamurq; in eos; qui tã diris supplicijs Christum affecere: sed ut perpẽdamus Christi ipsius in nos amorẽ, Christiq; in nos charitatẽ: qua affectus nõ detrectauit tam crudelibus supplicijs affici, et tã immaniter cruciari; quò nobis salutẽ pararet, nosq; incolumes à morte, supplicijsq; lethalibus redderet. Nõ præterea arbitror expedire, ut perpẽdendo Christi supplicia cõmoueamur in ipsius Christi cõmiserationem, aut in lachrimas commiserationis prorũpamus: sed potius, ut ex magnitudine ignominiæ, et ex suppliciorũ grauitate; quæ nostri causa, nostriq; beneficio subiuit, pertulitq; Christus; maximã ipsius Christi et singularẽ in nos charitatem perpẽdamus: et perpẽdẽdo ex aduerso excitemur ad ipsum amãdum, colendũq;: et congelatum, astrictũq; animi, atq; cordis affectũ soluamus in amoris, charitatisq; lachrimas; et amoris, atq; charitatis ardẽti igne liquefaciamus, quod frigidi, glaciatiq; in pectoribus nostris continetur in Deũ, diuinaq; affectus. Nam præter arcanam uim, quam mors Christi, Christiq; supplicia in liberãdo homine, instituendaq; salute habere creduntur; nõ mediocrem quoq; rationem salutis retinere sunt existimanda; quatenus homini ipsi exempla salutaris patientiæ constituunt; & quatenus sua magnitu

dine magnam,eximiamq; testantur eius, qui passus sit,charitatem aduersus eos,quorum causa sit passus: & idcirco facile prouocare possunt homines in Christi,Deiq; amorem,à quo ipsum hominem insigniter arguatur amari. Quæ cum etiam singularem bonitatem patientis indicent,non possunt non allicere hominem ad eum amandum , atque colendum, quem tanta bonitate præstare intelligat : in cuius quidem cultu,atq; amore cum ratio salutis humanæ sit constituta: non ab re magnitudo suppliciorum ipsius,ignominiosæq; mortis maximam censeri poterit habere rationem inducendæ , afferendæq; salutis . Si dira Christi supplicia, morsq; ignominiosa nihil etiam arcanæ uirtutis in constituenda salute hominis haberent; & minus constaret,quæ supplicia subiuerit,& quam mortem pertulerit Christus,nostri causa , nostræq; salutis gratia pertulisse,atque subiisse : adhuc ea superesset bonitatis in patiendo,tolerãdoq; à Christo præstitæ,atq; ostensæ efficacia:ut ea posset facilè quencunq; cogitantem in Christi amorem,atq; charitatem prouocare, et ad salutis ineundam rationem deducere . Quem enim in amorem,admirationemq; sui non prouocaret ea bonitate Christus, quam demonstrauit,cum cruci affixus petiuit,rogauitq; patrẽ Deũ,ut eis parceret,atq; ignosceret;à quibus suppliciis, atque morte afficeretur ? A' quibus non solum flagris cæsus,colaphis percussus,ramnis coronatus,in crucem sublatus fuerat:sed etiam, dum de cruce adhuc uiuens pẽderet,subsannabatur,felle potabatur , conuitiis incessebatur,& omni genere iniuriæ impe

tebatur: eos excusat apud patrem, eisq; studet à patre ueniam impetrare. O singularem Christi bonitatem. O plusquàm humanam benignitatem. Exigit Christus à patre, ut eis ignoscatur; à quibus non solū læsus, offensusq; fuisset: sed etiam in lædendo, offendēdoq; persisteretur: et quos non uno genere iniuriæ infensos, inimicosq; expertus esset: sed omnibus numeris iniurios, pernitialesq; tā fuisset expertus, quàm experiretur. A quibus nihil nō tormenti, nihil nō iniuriæ accepisset: et à quibus adhuc torquebatur, affligebatur, necabatur; eis parci, eis ignosci postulat: nec solum postulat ignosci; sed adducit etiam, allegatq; causam, qua sit eis ignoscendum. Animaduertitis'ne ciues: si Christus præstitit, quod alios docuisse comperitur: quatenus inimicos tradidit esse diligēdos: & qui sint infensi, iniuriiq;, charitate prosequendos, beneficijsq; afficiendos. Non solū quatenus ad se pertinet, Christus pro sua bonitate, suaq; in hominem charitate parcit, ignoscitq; inimicis; inimicosq; diligere, beneficioq; afficere promptum, paratumq; se præstat: sed procurat etiam, ne quid aliundè damni, aut detrimenti sui causa eis inferatur: & eos ei conciliare studet, à quo timeat aliquid damni posse prodire. Habemus'ne ciues, cur diffidamus nos, eum benignū, beneficumq; nobis futurum; qui pro sua bonitate, & benefaciendi propensione procurauit incolumitatem, salutemq; eorum, quos capitales inimicos experiretur; et à quibus atroci, ignominiosaq; morte afficeretur? Quem capitales inimici, quē hostes infensissimi amicū beneficū, patronūq; studiosū experti sunt:

nos, qui ſub eius ſignis militamus: eiusq; authorame mento continemur: quam ſpem beneficij obtinẽdi cõcipere de eo poſſumus: quàm ſtudioſum noſtri, & amãtem eum eſſe credere, confidereq; debemus. Niſi ciues peius, quod uix fieri poſſe arbitrer, de eo meriti fuerimus, quàm Hebræi; qui eum ſubſannarunt, excruciarunt, trucidarunt: nihil eſt cur ſuſpicemur, aut credamus eum nobis pro ſua bonitate, atque benignitate defuturum; & à ſuæ in nos charitatis, & beneficentiæ ratione deſciturũ. Defuturus nobis non eſt pro ſua bonitate Chriſtus. Chriſtus à ſua in nos exercenda beneficentia nõ eſt deſciturus. ſed oportet ciues cauere, ne obduratis in peccando ceruicibus abutamur Chriſti bonitate; & reſiſtamus, quominus Chriſti in nos beneficentia exerceatur. Sicut ex eius latronis, qui in cruce ſeruatus eſt, exẽplo intelligere poſſumus, quàm ſit benefica Chriſti bonitas; et quàm largiter ſe beneficum in omnes, qui exigũt, permittant'ue, præbeat Chriſtus: ita latronis alterius exemplo conſtare poteſt, quàm Chriſti beneficentiam non ſentiant, qui nihil minus, quàm Chriſti ipſius bonitatem, beneficentiamq́; agnoſcentes non patiuntur, nec ſinunt ſe beneficijs affici, beneficentiamq́; in ſe exerceri. Qui Chriſtus pro ſua bonitate, ſuaq́; in hominẽ charitate eis ignoſci petiuit à patre; qui infenſi ſibi forent, ſibiq́; necem inferrent: idem ſuæ beneficentiæ largitatem, ſuamq́; beneficam bonitatem oſtẽdit erga eũ; qui cum latro, maleficusq́; eſſet; & iuſtè, quam mereretur, mortem oppeteret: adſcitus eſt in ſocietatem, & in paradiſi incolatum una admiſſus.

Tam

Tam largæ beneficentiæ, tamq; singularis bonitatis extitit Christus; ut nõ solũ bonũ, beneficũq; se, dũ sospes uiueret, se præstiterit: sed etiã insignia suæ bonitatis, et beneficẽtiæ argumẽta, testimoniaq; ediderit; cũ supplicijs affectus moreretur, et in mortis collimĩnio esset. Cũ tertia diei hora in crucẽ fuisset sublatus; & iã triũ horarũ spacio probris, cauillis, iniurijsq; inimicorũ abũdè fuisset uexatus: ut nõ minus moriẽdo suæ diuinitatis, suæq; potẽtiæ testimoniũ ferret, quã uiuẽdo tulisset: et ne minora suæ potẽtiæ, quàm bonitatis, et beneficẽtiæ moriẽdo argumẽta proferret; sexta diei hora restinctũ fuit solis lumẽ, & tenebræ terrã usquequaq; occupauere: et tãta solitæ, naturalisq; cõstitutionis facta est immutatio: ut nõ solũ qui forẽt Hierosolimis, quiq; interessent impio facinori; possent rei insolitæ, atq; prodigiosæ causam agnoscere: sed etiã perhibeãtur fuisse Athenis, qui tã prodigiosam rẽ admirati in naturã, Deum'ue patiẽtẽ eam retulerint. Cum iã tenebræ id genus per tres horas occupatã terrã tenuissent; et iam nona diei (si dies appellãda, quæ luce careat) hora ageretur; spiritu magna uoce patri cõmẽdato Christus mortẽ obiuit, animamq; obiens efflauit. Sic obiuit mortẽ Christus, ut anima prorsus separaretur à corpore, & uirtus uerbi, quæ interuẽtu animæ se corpori humano indiderat; tam animã abeuntẽ comitaretur, quàm corpori anima casso insideret. quæ uirtus diuina uerbi potestatem habebat ponendi animã, rursusq; eã sumendi; sic corpori insedit; ut nihilominus animam comitaretur: & sic animã comitata est, ut corpus ip-

ſum nō deſereret. Cum anima in cōſtituēdo homi=
ne uti forma corpori uniatur; neceſſe eſt, ut ſeparata
à corpore anima homo ipſe deficiat, mortēq; ineat.
nec prohibet uirtus uerbi, licet corpori ſeparata ani=
ma inſideat, quin homo ipſe, in cuius cōſtitutione ac
cedēte anima ſe ſe indiderat, mortē obeat, mortemq;
patiatur. Non minora, quàm præceſſerant, inſecuta
ſunt Chriſti mortem miracula. non minus mortui,
quàm morientis Chriſti diuinitas, atq; potētia inſigni
bus declarata eſt oſtētis. quin lōgè maiora, multoq;
plura rerum miracula, atq; oſtenta mortuo Chriſto,
quàm moriente edita cōperiuntur. uelū enim tēpli,
quo ſacrorū penetralia ab oculis, proſpectuq; uulgi
arcebātur, ab ima parte usq; ad ſummā totū ſciſſum
fuit: terra ingenti motu cōcuſſa eſt: diffiſſæ petræ: de
functorū aperta monumēta: complura mortuorum
corpora excitata. O mira, ſtupēdaq; rerū ſigna, quæ
mortē Chriſti ſunt inſecuta. ò admirāda oſtēta, quæ
ex Chriſti morte prodiere; et Chriſto mortuo ſucceſſe
re. Mortuo Chriſto quidquid ueli, uelaminisq; obten
ſum fuerat legibus, et religioni Hebræorū, quo ſacra
diuinitatis penetralia ſpectari prohiberētur; diffiſ=
ſum prorſus fuit, et diſiectū: et quæ diuina, myſti=
caq; minus hominū cognitioni patebāt, diſciſſo uela
mine, typisq; abruptis aperta, detectaq; fuere. quæ
diuina tā Moſis, quàm prophetarū monumentis de
Chriſto, ueraq; Dei religione cōtinebātur inuolucris
rerū obtecta, Chriſto mortuo patuerūt: et propriam,
genuinaq; faciem oſtēderūt. motu ingenti, ſimulac
Chriſtus obiuit, terrena hominum natio cōcuſſa eſt:

& relicto animorũ stupore excitata est ad cultũ ueræ religionis, studiũq; salutis. morte Christi, quæ prius terreni hominis mens hærebat in rerũ corporaliũ studio; et immota persistebat in uitijs, uanisq; uitæ huius uoluptatibus: cõmota fuit ad rerũ spiritaliũ studiũ; et à uitijs, uanisq; uitæ uoluptatibus excitata se se exercuit in cultu uirtutũ, futuræq; uitæ felicitate cõparãda. Diffissæ quoq; post Christi mortem fuere petræ: obduratæq; instar petrarũ hominũ mentes in ratione peccãdi, maleq; agẽdi studio dissiluere: fractæq; amiserũt illã, qua perstabãt in peccãdo, maleq; agẽdo soliditatẽ, atq; pertinaciã. Quæ duraties humanis animis inerat ad peccãdũ, persistendũq; in uitijs; & quæ obfirmata in rebus corporeis duntaxat curãdis, quærendisq; hominũ fuerat pertinacia: Christi morte fuit perfracta, & rigore resoluto disrupta. Aperta ẽt fuere mortuo Christo defunctorũ monumẽta; et claustra peccati, tetraq; corruptionis humanæ ergastula, quibus homo in morte, et tenebris detinebatur; disiecta fuere prorsus, & reserata. Claustra peccati, quibus homo corruptæ originis causa cõcludebatur; & quibus tam morte, tenebrisq; oppressus; quàm uitæ, & lucis munere cassus continebatur; perrupit, adaperuitq; sua morte Christus: cuius mortui beneficio cũ sit effectũ: ut qui tam peccato originis, quàm actionis laborantes mortui iacerent; & uitæ essent, atq; lucis expertes: excitarentur à morte peccati; & ad uitam beatam, atq; immortalem adducerentur: nõ ab re dicuntur plurima hominum corpora post mortem ipsius excitata

uixiſſe, uiuẽdiq; munia eo defuncto recepiſſe: quorũ ſanè corporũ facta reſurrectio ſicut ex ſacræ hiſtoriæ teſtimonio uerior eſt, quàm ut queat hæſitari: ita nihil prohibet, quin id miraculi unà cũ cæteris, quæ mortẽ Chriſti inſecuta memorãtur; poſſit aliquid præterea referre; quod in animorum potius, quàm corporũ ratione conſiſtat: et uim, uirtutẽq; homini ſalutarẽ ex morte Chriſti prodeuntẽ repræſentet. Moritur Chriſtus, excitatur homo. mortem obit Chriſtus, mortuus homo uitã init, uitãq; recipit. O mirã mortis Chriſti uirtutẽ. O altã, ſublimemq; diuini arcani rationẽ. Quæ nam uirtus eſt hæc? qua fit, ut ex morte uitæ beneficiũ prodeat; & per mortem uita paretur? quis ſatis admirari queat uirtutem, qua fiat, ut mors in cauſa ſit, ut uita inducatur; & mors unius efficiat, uti pluribus uita afferatur? Maior arcani huius eſt ratio: ſecretior huius rei, effectusq; eſt cõditio: quàm ut queat ſatis humano intellectu inueſtigari, aut ingenio hominis aliquatenus apprehẽdi. apprehendimus quidem uim, & efficaciam, quam mors pij, atq; innocẽtis, qua plurimũ ſit bonitatis, atq; charitatis oſtenſum: habere poſſit in animis hominum erga ipſum pium, atq; innocentem afficiendis, beneuolentiaq; commouendis. poſſumus quoq;, prout alias attigimus, ſuſpicari mortem pij publicè prodeſſe ſtudentis conducere compeſcendis uiribus, reprimendiſq; conatibus eorum; qui ſe aduerſos præſtent operari rectè uolentibus. ſed aliud quid arcani arbitror huic rei, ſiue morti ineſſe: quod homini innoteſcere, humanoq; intellectu

apprehendi nequeat: & quod in diuinæ prouidentiæ ratione collocatum non expediat, neq; conueniat ab homine, donec in hac sorde corporea degit, agnosci, atq; intelligi. licet comperta Dei ex morte Christi in nos charitate prouocemur ad amandum, à quo maximè nos amari cõperiamus: & licet iusti morte repressis eius, qui aduersari soleat, uiribus faciliorẽ cõparãdæ animi rectitudinis facultatem consequamur: tamẽ adhuc aliquid secretioris mysterij superesse arbitror; quo factũ sit, ut salutis humanæ institutio maximè robur, efficaciãq; ex Christi morte susciperet, et potissimã sui rationẽ in morte Christi cõstitutã haberet. Quonam pacto sanguis Christi effusus delẽdæ noxæ, seruãdiq; hominis rationẽ in se cõtineat, autumo æquè maioris esse arcani, quàm ut satis apprehẽdi, satisq; possit explicari. si ex effuso sanguine, pro ut ex morte prouocatio charitatis, aduersantisq; repressio inducatur: euenit, ut non minus sanguinis effusio, quàm mortis toleratio certã salutis cõstituẽdæ rationẽ retineat. Nã si repressis aduersantis uiribus, & charitate ex deprehensa charitate suscitata animi rectitudo in homine constituatur, qua salus ipsa cõstet: nõ aliã necesse est esse effusi sãguinis, quàm mortis obitæ in constituenda salute rationem. licet mortis obitæ uis uim sanguinis effusi in commouendo affectu, suscitandáque charitate superare uideatur: tamen si uis obitæ mortis cũ ui sanguinis effusi in reprimẽdo malas uires aduersãtis ex priscis traditionibus, atq; institutis cõparetur: uideri poterit multò appositius se habere san

guinis effusio; & nõ nihil maioris cõgruẽtiæ ad id effectus in se cõtinere. si publica gẽtiũ in aliqua re consensio nõ carere prorsus ratione censenda est: & si quæ traditio ab incunabulis propemodũ mundi tam literatorum hominum, quàm uulgi ipsius consensu admissa, custoditaq́; fuerit: inanis prorsus, & rationis expers existimãda nõ est: qui celebrãdis sacris, placãdis Deis, cõpescendis inferis adhibitus reperitur sanguis, arguere potest arcanã nescio quã sanguinis ipsius uim, et efficaciã: quæ cõgrua, aptaq́; sit tam conciliãdis homini superis, quàm reprimẽdis ab infestando homine inferis. Quòd si prisca illa gens mortaliũ, nescio qua naturæ arcana ratione permota cẽsuere, tradidereq́; publica consensione non solũ humano, sed etiã pecuario sanguine tã superos placari, propitiariq́;, quàm malas, nocuasq́; inferorum pestes auerti: quid mirũ fuerit, si sanguis pij, iustiq́; hominis, eiusdẽq́; Dei plurimũ ualuerit, uimq́; maximã habuerit in conciliãdo, placãdoq́; nobis Deo: & in reprimẽdo ꝑnitioso, exitialiq́; in nos Diaboli impetu, atq; imperio? Sed qui morti obitæ effusum quoq; sanguinem adiecerit; et mortẽ sanguine profuso obitam animaduerterit: pro ut uim geminatã in suscitanda charitate deprehendet: ita in cõciliãdi Dei, reprimẽdiq́; Diaboli ratione conduplicatã efficaciam agnoscet. qui uerò ulterius ratiocinãdo considerarit eũ, qui mortem obiuit, sanguinẽq́; effudit, nõ minus Deũ, quàm hominẽ extitisse: et liuore, operaq́; Diaboli tã mortem obijsse, quàm sanguinem profudisse: is mirè cõgruã in Christi morte, Christiq́; sanguine ra=

tionẽ conciliãdi Deo hominis, hominisq; à potestate Diaboli eripiẽdi cõperiet. quo enim pacto melius, cõgruẽtiusq; Deo poterat cõciliari homo, qui peccando mortẽ incurrisset; morteq; incursa Dei gratiã amisisset: quàm Deo ipso facto homine, & causa hominis mortẽ subeũte? Deus immortalis mortalitate hominis assumpta, dũ mortẽ subit, mortẽ hominis sic sua immortalitate curauit; ut participata morte, quæ fuerat hominis, suæ immortalitatis participẽ efficeret hominẽ. quò fit, ut homo immortalitatis, quam peccato amiserat, cõpos fiat eo moriente, qui alioqui foret immortalis, et nullius peccati sorde laboraret: et ipsa immortalitate, peccatiq; abolitione consecuta Deo cõcilietur Dei ipsius opera, atq; munere. Cũ subiectũ, obstrictumq; sibi causa mortis, atq; peccati hominẽ detineret Diabolus; congruũ fuit, ut retusis in morte ei, qui alioqui foret immortalis, et insons, inferenda uiribus se se reciperet: et confusus morte immortalis, & innocentis cederet possessione hominis, quem mortis, atq; peccati ratione possideret. conueniens quoq; fuit, ut cũ mortem homo, qui alioqui fuisset immortalis, peccãdo incurrisset: et cũ immortalitatem, uitamq;, quam obtinuisset, peccato amisisset: esset, qui cũ immortalis foret, & uitam in se haberet; moriendo mortẽ extingueret, & morte morte ipsa extincta uitã, immortalitatemq; restitueret. Sed cum ratio reddẽdæ immortalitatis, restituendæq; uitæ cõsistat in rectitudine animi inducenda; quæ fide, spe, charitateq; cõstans, uerè hominem Deo conciliat: ea mortis conditio, quæ maximã morientis

bonitatem, atq; charitatem arguat: pollere maximè existimanda est ad fidem, spem, charitatem in ipsum morientem excitandá. Cum uerò tantò maior ultrò morientis bonitas, charitasq; arguatur; quantò mors tolerata apparet sanguinolentior, atq; atrocior: consit, ut non solum congruum, opportunumq; fuerit pro conciliando homine ipsi Deo, Christum mori; sed etiam atroci, sanguinolentaq; morte interire. cum enim sanguinolentia, atrocitasq; mortis Christi præter arcanam uim, quam cõtineat, excitãdo cõducat in Christi, Deiq; amorem homini: quæ conciliatio facienda erat ex affectu hominis in Deũ conuertendo; nulla Deo ipsi contingente immutatione, non poterat melius fieri, efficaciusq; succedere; quàm morte interueniente, atq; ea crudeli, et sanguinolenta: cum huiuscemodi maximè expedire possit pio in Deum, Christumq; hominis affectui commouendo: quem tantò magis, tantoq; efficacius commotum iri existimandum est: quantò plus bonitatis, & charitatis ex genere mortis compertum fuerit fuisse exhibitum, atque ostensum. Ex genere itaque mortis cruento, atque atroci, quod nostri causa ultrò Christus subiuit, perpendamus ciues Christi, Deiq; bonitatem, et charitatem erga nos: & tantæ bonitati, tantæq; in nos charitati studeamus pio affectu respondere. tantæ bonitati, tantæq; in nos charitati oportet pio nos tripliciter affectu respondeamus; si uolumus eam animi rectitudinem cõsequi: in cuius cõsecutione nostræ uitæ, nostræq; immortalitatis, et salutis ratio constituta est. oportet e=

nim fidei affectu sic respõdeamus,ut quem bonũ,beneficũ,amantemq́; ex pluribus officijs,muneribusq́; experti sumus:eũ credamus esse præstaturũ,simulac hinc excesserimus,quidquid beneficij,atq; doni pro sua bonitate,suaq́; in nos charitate nobis spopõderit, atq; promiserit. Quem potẽtem,quẽ benignũ,quem prõptũ ad benefaciẽdũ esse pluribus cõstat,quàm dubitari possit,argumẽtis;in eũ firmæ spei affectũ sic opus est,ut dirigamus:ut speremus nos ab ipso, qui sit potẽtissimus,benignissimus,beneficẽtissimus, cõsecuturos bona,beneficia,munera:quæ pro sua magnitudine,atq; cõditione nequeãt nec ore humano exprimi,nec mẽte,intellectuq́; hominis cõprehẽdi . À quo nos innumeris beneficijs affectos intelligamus ; & quem nullo non genere officij,atque beneficij amãtissimum nostri,nostriq́;studiosissimũ agnoscamus: eum præcipuo amore,ardẽtiq́; charitatis affectu,necesse est prosequamur;& in eũ diligẽdum,colendũ , studioq́; omni amãdum incumbamus.fieri nõ potest sine insigni ingratitudinis nota:ut quẽ tot præclaris testimonijs comperiamus nostri amantissimum , nobisq́; consulẽdi,benefaciendiq́;studiosissimũ;in eo colẽdo,amãdoq́; aliquid studij,operæ,diligẽtiæ prætermittamus,et sinamus quidquã rei,aut negotij,esse;quo distrahamur ab eius amore,atq; charitate:et cuius causa noster in eũ amor,et charitas remittatur,atq; refrigescat. Quin si nostræ salutis rationem habere uolumus;& uitam beatam,atq; immortalẽ consequi optamus : toto studio, toto conatu , totis animis oportet eum colamus , atque amemus : in

cuius cultu, atq; dilectione ratio omnis nostræ salutis, nostræq; uitæ, & felicitatis collocata est. Huius amori, huius charitati tã nihil à nobis est præferẽdũ; ut nisi omnia causa ipsius nauci faciamus: & in ipso colẽdo, amãdoq; præcipuũ studium, operamq; collocemus; non sit cur uideri possimus aliquo pacto ingratitudinis crimen effugere, aut aliquã uitæ, siue salutis rationẽ habere. Cum pro sua benignitate, suaq; proficiẽdi, et cõsulendi homini cupiditate, atq; cura nihil prætermiserit Deus, quo suã in nos beneficentiã, charitatemq; testaretur: testãdoq; prouocaret nos in sui studiũ, atq; amorẽ; quo felicitatem, immortalitatemq; cõsequeremur: nihil fuerit excusationis, quã prætẽdamus; nihil exceptionis, quam opponamus; si tot argumẽtis, totq; ualidis testimonijs comprobatã, ostẽsamq; Dei in nos beneficentiã, et charitatem minus agnouerimus: & tot, tamq; præclaris beneficijs prouocati nõ cõceperimus in Deum ipsum amorem; & pio charitatis affectu in eum acti, cõmotiq; nõ fuerimus. Si Deus omni genere beneficij comperitur inuitasse, prouocasseq; hominem in sui cultum, atq; amorem; & tã suam insignem bonitatẽ, atq; potentiã ostendendo; quàm suæ beneficentiæ, et charitatis clara testimonia edendo procurasse eum excitandũ, atq; trahendum in studium, affectumq; salutiferæ religionis: quæ hominis ipsius ignauia est, & stoliditas; qui tot beneficijs, totq; charitatis testimonijs nõ inducatur, non commoueatur ad amandum, et amando efficiendum; ut longè pluribus denique beneficijs possit affici; & uita beata, immortaliq; salute do

nari? si Deus ab hominis origine eum se semper præstitit erga ipsum hominẽ; ut innumera suæ erga eũ charitatis, & beneficẽtiæ documẽta ediderit: & extremò filiũ miserit: qui sumpto humano corpore homini traderet rationem salutis consequendæ: et nõ solũ uiuẽdo, docẽdo, operãdo; sed etiã patiendo, mortẽq; subeũdo testaretur suã, patrisq; bonitatẽ, potẽtiã, benignitatẽ, charitatẽ: quid amplius exigimus, atq; expectamus, quo possint animi nostri in Dei cultũ, Deiq; amorẽ prouocari? Misso filio, factoq; homine nihil reliquit Deus, quod pro excitãdo, cõmouẽdoq; in sui amorẽ, suiq; cultũ homine cõducere posset; & posset expedire homini ipsi ad salutis, uitæq; immortalis beneficiũ deducẽdo. Multifariã, multisq; adeo modis in Christo, filioq; suo bonitatem, benignitatẽq; suã ostẽdit: ut si quid bonitatis, atq; benignitatis ostẽsæ prouocare amorẽ, animosq; humanos cõciliare potest; nihil præterea desiderari queat, quod ad id efficiendũ pertinere posse uideatur. Suã uirtutẽ, suãq; potentiam in filio sic demõstrauit: ut si quid ostenti, siue miraculi hominem in admirationem adducere, & ex admiratione in cultũ, amoremq; trahere potest: nihil sit præteritũ, quo posset tã admiratio contrahi; quàm contracta admiratione cultus, amorq; conciliari. Sic se beneficũ, sicq; beneuolũ, atq; amantem in hominem filij opera præstitit, atq; comprobauit: ut nulla beneficẽtiæ officia, nulla amoris, et charitatis specimina reliquerit; quibus in hominem nõ sit usus; & quæ in iuuando, tuendoq; homine non exercuerit, atq; præstiterit. Quò fit, ut nullum non

lapidē cōmouerit Deus; nihil non tētarit, et executus sit: quo posset custodito humani arbitrij iure in sui cultū hominē adducere; suoq; hominē ipsum amore succendere: quo succensus, uitā beatam ageret; & salutē æternā consequeretur. Cum itaq; ciues tā illustrem, tamq; comprobatam Dei in nos beneficentiā, & charitatem uideamus: et deprehēdamus nullo non remedio eliciendi amoris à Deo nostri causa nos esse prouocatos ad amādū: nihil est, cur non debeamus rerum humanarum uano amore, & studio deposito, atq; abiecto soli Deo colēdo, amādoq; incūbere: et solius Christi, Deiq; colēdi, amādiq; rationem habere. Non est ciues, nisi desipimus omnino, cur inanibus, uanisq; rerum curis, atq; studijs detineamur: quominus totis uiribus, totisq; animis Deum colere, Deumq; amare contendamus: & conatum omnem, omnemq; uim conuertamus ad eum colendum, atq; amandum: in quo colendo, & amando consistit omnis nostræ felicitatis, atq; salutis ratio. Nō est hic locus ciues nobis destinatus: nō hæc fragiliū rerum nobis propria est possessio: hic peregrinamur: hic precariò habitamus: aliò nos nostri finis ratio accersit: aliarum rerum preciosior possessio nobis addicta est. Quid in hac peregrinatione curam, studiumq; collocamus? quid in rebus non nostris, momentaneaq; rerum possessione affectum nostrum, amoremq; constituimus? eò curam, studiumq; conuertamus ciues: eò affectum, amoremq; dirigamus: ubi perpetuò uiuere; ubi perpetua felicitate frui possimus. eò totis animis incumbamus: eò to-

to studio, atq; affectu feramur: ubi nobis perpetuæ felicitatis possessio sit futura; & ubi ex ratione nostri finis æternam quietem, felicitatemq́; immortalem simus acturi. Vbi perpetuò uiuamus, ubi felicem uitam traducamus, eò perueniemus omnino: si dum hic agimus, atque peregrinamur; proposuerimus cæteris omnibus traductis Deum nobis colendũ, atq; amandum: et gestis, institutisq́; Christi sic in hæserimus: ut nõ minus studeamus uiuendo eũ imitari; quàm bonitatem, potentiã, charitatem, beneficẽtiam eius perpendendo, atq; considerãdo colere, atq; amare. Ne nobismet ipsis ciues desimus; quibus tanto studio, tantáq; diligentia procurauit Deus cauendũ, atq; consulendũ: & ne permittamus eorum cura, atq; amore, quæ nihil firmitatis, nihilq́; quietis habent; et non minus anxietatis, quàm laboris afferũt; animos nostros occupari: sed curam, mentem, affectumq́; omnem nostrum ad Deum conuertamus & Dei colendi, atq ue amandi rationem solum: ineamus: quam tam facilem, tamq́; expeditam pro sua bonitate, suoq́; benefaciendi studio reddidit: ut undiq; inuitemur, & omni ratione ad eã ineundã prouocemur. Dum igitur tempus habemus ciues: & dum superest nobis occasio: his rerum tricis nosmet explicemus: & uanis corporis, atque mundi affectibus in nobis restinctis, totum animi, cordisq; affectum dirigamus ad Deum obseruandum, atque amandum: quod quidem si fecerimus, nihil est, cur diffidamus nos uitam, salutem que consecuturos: & unà cum Christo, quem moriendo fueri=

mus imitati, resurrecturos: qui quidem Christus tam procul abest, ut pro sua bonitate, suáq; in hominē charitate studijs, conatibusq; nostris sit defuturus: ut ex eius promissione, qua excitatus sanxit se semper adfuturum homini, quousq; perdurarent tempora, ualidam opem, præsensq; auxiliū sperare omnino debeamus.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
A A B B C C D D E E F F G G.

VENETIIS
APVD ALDI FILIOS
M. D. LII.

ERRATA.

Folio . 12 . Pagina 1 . linea 5 . aut ab . lege ut ab . Fol . 16 . pa . 1 . lin . 29 . suisq; . lege suiq;. Fol. 26.pa.1. lin.15.Historiam igitur arcæ.lege Historiam arcæ. Fol . 29 . pa . 2 . lin. 10 . est. Dum. lege est: dum . Fol . 34 . pa. 1 lin. 16 . ministrandæ causæ. lege ministranda causæ . Fol . 36 . pa . 2. lin.13. iustitiam: quæ. lege iustitiam, qua . Fol. 37 . pa . 1. lin . 9. qui quocunq; . lege qui quacunq; . Fol.44. pa . 1 . lin . 22 . Dei benignitate . lege Dei benignitati. Fol. 59 . pa. 2. lin. 15 . è quibus.lege à quibus . Fol . 78. pa . 1 . lin. 2. corporis secum lege corporis causa secum . Fol. 92 . pa . 1. lin . 29. quo facto . lege quo fato. Fol. 111. pa. 2. lin. 12 . morte filius. lege morte nepos . Fol. 123. pa. 1 . lin.18. ex scriptorum. lege scriptorum. Fol. 128. pa. 2 . lin . 4 . est; strenue lege est, & strenuè . Eisdem fol. & pa . lin. 10 . quæ non . lege qui non. Fol. 137. pa.2.lin. 24 . affectui . lege effectui. Fol. 143 . pa.2. lin . 24 . suscipitttis . lege suscipit; is . Fol. 158 . pa. 2. lin 11 efficacia: præter.lege efficacia: ut præter. Fol.159.pa.2.lin.6.effectus. lege affectus . Fol. 164.pa.1. lin.30 . abrogare . lege abrogari . Fol.168. pa.1. lin.18. interiora lege inferiora. Fol.175.pa.1.lin.12. ipsis. lege ipsius. Fol.182.pa.1. lin. 14.. correpta.lege correcta. Fol.183. pa.1. lin.9. uiuendi. lege uidendi . Fol.192.pa.2. lin. 30.eò.lege eos. Fol.196. pa.2.lin. 8. metiiefficax. lege meriti efficax . Fol . 197. pa.1. lin 19.fuit cœlestia.lege fuit ad cœlestia . Eisdem fol. & pa. lin. 21. excitato.lege excitatio . Fol.206.pa.1. lin . 22. immunditiæ. lege immunditie. Fol.210.pa.2. lin.16.promptum in . lege promptumq; in. Fol.113 pa.1lin.17. requirens . lege requirere.


ALDI
FILII


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE



7